



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata, Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus, Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curiae forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Relatio Romanæ Curiae Forensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

RELATIO

ROMANÆ CURIAE FORENSIS,

DISCURSUS PRIMUS,

Circa Proemialia, super significatione scilicet vocabuli *Curia*; Et ex quibus
Romana Curia constituitur; Et de aliis generalitatibus, ad materiam
eiusdem Curiae & Curialium,

SUMMARIUM.

- 1 Antiqua Curia Romana duplex erat, & qualis.
- 2 De derivatione huius vocabuli Curiae.
- 3 Quod vocabulum Curiae sit peculiare Curiae Romanae, non usitatum in aliis antiquis aulis Regis.
- 4 Moderna Curia Romana ecclesiastica est maior antiqua temporali, & quare.
- 5 Curia Romana dicitur ille locus, in quo Papa residet.
- 6 Episcopus residere potest, atque tribunal habere in quacunque parte accessit.
- 7 De pluribus personis quas Papa gerit, seu representat.
- 8 Etiam in his, quae concernunt ditionem temporalem ecclesiasticam, vel Episcopatum Romanum, dicitur curia Papae, atque Officiales dicuntur Curiales.
- 9 In his in quibus Papa disponit vel statuit tanquam Princeps temporalis, vel tanquam Episcopus Urbis non subintelligitur potestas Papalis, nisi dicatur.
- 10 Curia Romana majora tractat negotia, quam quacunque alia Orbis Curia, & de ratione.
- 11 Nomine Curialium quinam veniant.
- 12 De differentia inter Curiam Romanam, & alias circa Tribunalis & Magistratus.
- 13 De pluribus Romana Curia speciebus, & de qua specie in praesenti agatur.
- 14 De ordine qui teneatur in hac relatione.

Antiqua Romana Curia, quae totius penae Orbis in temporalibus, domina, triumphatrix, atque regulatrix erat, ex duplici specie seu loco constituebatur; Uno scilicet, in quo Sacerdotes res divinas; Altero vero in quo Senatus, ac populus, alique Magistratus, publicas res humanas tractabant; Isto Curiae vocabulo, derivationem habente à curis publicis quae in locis praefatis apud Deos, & apud homines, seu pro caelestibus ac terrestribus negotiis, pro salute & conservatione Reipublicae gerebantur; ideoque Curia ista, templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput Orbis, ara sociorum, & portus omnium gentium à Cicerone in oratione pro Milone appellatur.

Romanæ autem Reipublicae, vel Imperii, istud Curiae vocabulum esse peculiare, atque ab ea modernorum Principum sedes residentiales illud mutuasse, nos docet illa, quae omnium hi-

storiarum, antiquitate, ac fide mater est, ac magistra, sacra pagina veteris testamenti, dum de quamplurimis Regum ac Principum aulis agendo, in libris scilicet Regum de Regibus David & Salomone, aliisque Regibus Juda vel Israel; Ac etiam in Exodo, agendo de Regibus Aegyptii, quando Abram illam aulam ingressus est; Et quando Ioseph supremam annonariam administrationem habuit; Et quando Moyse tot signa in virga dedit, pro dimissione populi sive agendo de Regibus Assyriorum, & Medorum, in lib. Esther. & lib. Iudith; Aut occasione agendi de Daniele; Sive lib. 1. Machabaeorum, mentionem habendo de Alexandro Magno Macedone, aliisque ibi enunciatis Regibus, ac in aliis locis istud Curiae vocabulum forte adhibitum non legitur.

Agendo verò de Republica Romanorum, eorumque potentia, resque multas benevolentias enarrando, in eodem l. 1. Machab. occasione duplicis foederis inter eandem Rempublicam, ac Duces Machabaeos, Iudam & Ionatham, huius vocabuli mentio habetur, quod scilicet eorum respectivè Oratores Romanæ in illi, introverunt Curiam.

Quamvis autem, illa in temporalibus potentissima, prophana Curia Romana, post Imperii translationem in Graeciam, totque barbarorum incursiones evanuerit; Attamen (ut S. Leo Papa admonet,) tanquam per speciem phœnicis, ex eiusdem Romanæ Civitatis cineribus, alia in spiritualibus majoris potentiae, majorisque existimationis, exorta est Romana Curia Christianæ Reipublicae, eiusque capitis Summi Pontificis Domini nostri Iesu Christi unici, ac supremi Vicarii, habentis totum mundum pro territorio, totumque humanum genus in spiritualibus, ac in temporalibus habitu subiectum; A deo ut rectè adaptetur prophetia Osee, super longè majori gloria modernioris templi Hierosolymitani quod materialiter, inferius, magisque depressum erat, quam antiquioris per Regem Salomonem constructi, cuius absque dubio longè sumptuosior structura materialis erat, in sensu scilicet allegorico, seu mystico, quod licet antiqua Romana Curia belligera, & triumphatrix, in temporalibus longè major esset; Attamen Moderna Christiana, seu caelestis, spiritualiter longè majoris potentiae, & gloriae censenda sit.

De

De ista verò Curia Romanæ Papæ, in præfenti agitur, quæ, sive in ipsa materiali Romana Civitate, sive in alia qualibet mundi parte sit, dum ibi Papa residet, suamque habet sedem semper Romana dicitur; Talis etenim dicitur non ab hujus Civitatis præfisa localitate, sed ab origine, quod scilicet in ea B. Petrus, cathedram vel sedem constituit, ab Antiochena Civitate illam transferendo, tanquam in loco in quo totius Orbis temporalis dominatio sedem habebat, ut ibi hoc majus Imperium spirituale oriretur, atque Cut idem S. Leo Papa admonet, Jea Civitas, quæ omnium errorum, ac gentilium superstitionum mater, ac metropolis erat pietatis, veræque Religionis, mater, ac metropolis efficeretur; Cumque non ipsius Civitatis materialis, sed universæ ecclésiæ Catholice, ac Papæ curia sit, idcirco non materialiter, sed formaliter Curia Romana dicitur omnis locus in quo Papa resideat, atque de ea leges, quæ de Curia Romana agunt, intelligendæ veniunt. *de benef. disc. 3. & alibi ibid.*

Quemadmodum etenim, in singulis Episcopatus habemus, ut denominationem acceperint ab ea Civitate, in qua erectio Cathedralis facta est ac sedes Episcopalis initio constituta, adeo ut Episcopo in alio diocesis quantumvis remoto loco residentiam, & Curiam seu Tribunal habente (ut ei licitum esse receptum est cum declarationibus, quæ in propriis sedibus recensentur; *de juris. disc. 22. & seqq. & in annot. ad S. C. T. & alibi.* Non per hoc tamen Ecclésiæ titulus vel denominatio immutatur *disc. 24. de juris. & disc. 7. de præminent.* Ita si Pontifex, qui universum orbem habet pro diocesi, vel territorio, in quacumque Orbis parte resideat, ejus Curia primævum vocabulum non immutat, indeque vulgare prodiit dictionem, quod ubi Papa, ibi Roma.

Cum autem Papa, cujus Imperii Aula, seu Curia ista dicitur, quadruplicem pluries enunciatam gerat seu representet personam; Unam scilicet jam enunciatam Christi Vicarii generalis, & Episcopi Ecclésiæ universalis; Alteram Patriarchæ occidentis; Tertiam Episcopi particularis Romanæ Civitatis, quæ particularem diocesim restrictam habet, attento moderno statu, & actualiter intra ambitum quadraginta miliarium, qui sub districtus vocabulo explicari solet, habitualiter autem, immò ad certos effectus, etiam actualiter, intra ambitum centum miliarium, ubi alibi juxta varias contingencias advertitur, *sub tit. de præminent. disc. 1. & in Miscellan. eccl. disc. 1. & tit. de Regular. disc. 32.* Et quartam demum Imperatoris, vel Principis temporalis Urbis, illiusque Italiæ temporalis ditionis, quæ sub utriusque medietati, ac immediati Status ecclésiastici nomine explicatur; Ac etiam Beneventanæ civitatis intra viscera Regni Neapolitani, quod de dicto Statu mediato, ratione directi domini dicitur; Nec non Avenionensis Civitatis & Venaissini comitatus in Gallia.

Hinc proinde, quamvis Romana Curia illa propria dicatur, quæ primæ personæ congruit; Atamen istas quoque alias Curias inferiores complectitur, ob diversas personas formales quæ in una eademque persona materiali representantur; Ideoque etiam in iis, quæ particularem Urbis Episcopatum, vel temporalem ditionem

concernunt, Curia Romana dicitur, atque officiales

vel ministri, quorum munus circa istas inferiores vel subalternas Curias tantum versatur, absque aliqua participatione regiminis, vel administrationis Curia majoris, ac universalis, adhuc Papæ Curiales dicantur; atque leges, quæ de Curialibus agunt præsertim super beneficiorum reservationibus vel eorundem Curialium privilegiis, & favoribus, inter quos illum frequentius praxis docet, qui ex Eugeniæ Constitutione circa fori competentiam resultat, ut istis quoque Curialibus conveniant.

Potissime verò quia, licet dictæ personæ, vel respectivè Curia, inter se diversæ sint, diversamque speciem, seu naturam habeant, adeo ut in plerisque; in quibus, uti Princeps temporalis, vel uti Episcopus particularis statuit, Pontificiam auctoritatem interpoluisse non censetur, ut in suis sedibus, juxta casuum contingencias pluries advertitur, *sub tit. de dote disc. 22. & 143. & pluries sub tit. de judic. & infra in hac relatione sepius.* Adhuc tamen frequens est earumdem mixtura; unde propterea ut in singulorum Judicum ac Tribunalium sedibus particularibus inferius advertitur, pleraque sunt Tribunalia, quæ dictæ triplicis Curia negotia peragunt; Universalis scilicet Pontificia; Particularis, ac subalternæ etiam ecclésiasticæ Episcopalis; Ac etiam profanæ, seu temporalis ditionis secularis; Solumque ipsorum negotiorum qualitas, vel natura, hanc distinctionem docet.

Exinde verò manat, ut quoad forensia, seu civilia negotia, de quibus, non autem de politicis, vel militaribus, aut ceremonialibus, vel aulicis, meum est institutum, meæque sunt partes agendi, (ut fabrilis tantum agant fabri, neque tutor ultra crepidam judicet;) Ista Romana Curia omnium aliarum forensium Curiarum mater, ac major totius christiani Orbis merito dicenda est, longèque majora incomparabiliter peragunt, ac decidunt forensia negotia (cum longè tamen minori furo, ac fonitu vel apparatu, longèque breviori tempore, quam singula Tribunalia Urbis tractent, cum totius catholici Orbis causas ecclésiasticas vel spirituales universaliter agant; Ac etiam ejusdem Orbis causas temporales, vel profanas, quæ ratione ecclésiasticæ qualitatis personarum, ab omnibus Episcopalibus, & ecclésiasticis Curis per appellationem ad eam trahuntur; Nec non causas fori Episcopalis ipsius Urbis, ejusque districtus; Ac etiam causas laicales vel temporales universi Italici, & Gallici, ecclésiastici Status temporalis, qui magnum constituit principatum, cum hæc mixtura in alia Orbis Curia, vel Tribunali non sit verificabilis.

Curialium autem nomine, veniunt omnes qui, opera, consilio, labore, aliove munere Papæ intersunt, in Ecclésiæ universalis, ac particularis respectivè, vel temporalis domini regimine, ac administratione, sicque ex pluribus generibus, vel ordinibus Curiales constituuntur; Primus etenim ordo, est cardinalium; Secundus Prælatorum; Tertius aliorum judicum, ac magistratuum, qui Prælatum non fulgeant; Quartus Advocatorum; Quintus Procuratorum; Sextus sollicitatorum fori judicialis; Septimus sollicitatorum negotiorum Dataria, & Cancellaria, qui Expeditores dicuntur; Octavus eorum qui negotia gratiosa, vel extrajudicialia peragunt, sive etiam judicialium negotiorum ali-

quam habentes curam, apud Causidicos affi-
sunt, & qui Agentes vulgò dicuntur; Nonus
Notariorum, aliorumque scriptorum; Et deci-
mus Aulicorum, qui Papæ, & Cardinalibus ac
Prælati in aula affiſtunt ac inferviunt, & qui
vulgò ad differentiam aliorum, Corteggiani di-
cuntur. *De his de benefi. ac etiam in supplementis occa-
sione reservationum Apostolicarum ratione reservatio-
nis ex causa curialitatis*, de quibus omnibus ac sin-
gularum diversis speciebus infra sub propriis, ac
particularibus rubricis distinctè agitur.

Ea verò differentia est inter Curiam Roma-
nam, & aliæ sæcularium Principum Curias,
quod istarum plures, ex ipso Principe tanquam
capite, & ex Senatibus, aliisque Magistratibus,
tamquam membris, efformari dicitur principa-
tus pro solo actu vel exercitio potestatis, cujus
habitus penes universum populum, seu ipsam
Rempublicam esse dicitur, adeo ut omnes Ma-
gistratus, ipsam Rempublicam constituere seu
repræsentare dicantur; Atque, cum debita pro-
portione, æquè concurrant ad ipsius Reipubli-
cæ mysticum corpus efformandum, ipso Prin-
cipe repræsentante caput; Aliis verò reliqua
membra.

Non sic verò est in Curia Romana, quæ tota
constitui dicitur per solum Papam, qui non à
populo, vel à Republica, sed à Deo immediatè,
in iis quæ ad Ecclesiæ universalis regimen perti-
nent, potestatem metitur; Ideoque hujus Curia
Tribunalibus, & magistratibus, nomen non con-
gruit membrorum, quæ idem corpus cum capite
æquè efformant, sed potius nomen famulorum,
vel ministrantium ei, qui unicus est dominus, ac
paterfamilias, juxta majorum, vel minorum mu-
nerum qualitatem, ut in singulorum Magistra-
tuum respectivè Rubricis advertitur; Quod sci-
licet, cum dominus, vel paterfamilias omnia per
seipsum administrare non valeat, ministros, &
operarios adhibet; Ideoque malè aliqui nostri
practici supponunt unicum corpus, cujus sit ca-
put Papa, Cardinales autem membra; *Verstr. in
prax. in princ. oper. & alii moderni. Nisi juxta decla-
rationes de quibus infra disc. 3.*

Eadem Curia plures habet species; Alia ete-
nim forensis dicitur, quæ contentiosa vel gra-
tiosa negotia per tramites juris pertractat ac de-
cidit; Alia politica, quæ utriusque ecclesiastici,
& prophani principatus negotia cum prudenti-
alibus, vel politicis regulis potius agit; Tertia
ceremonialis, circa ea, quæ cultum divinum, ali-
aque sacerdotalia, vel Ecclesiastica munia con-
cernunt; Et quarta merè aulica, circa Aulæ tem-
poralis ceremonias, ac ritus.

De prima verò tantum specie, meæ sunt par-
tes, meumque institutum agendi, pro fori, seu
rerum forensium notitia, & instructione, & ali-
qualiter de secunda super iis quæ pariter praxi
forensi ac negotiorum directioni congrua sint;
Reliquæ autem, ceremoniarum Magistris, sive
ecclesiasticorum rituum professoribus, necnon
politicis, & aulicis relinquuntur, ut omnes pro
sua respectivè sphaera, ea tractent quæ ad pro-
priam pertinent professionem, neque in alienam
se ingerant; Sive (ut jurista dicunt) quilibet in
propriam, non autem in alienam messem, fal-
cem immittat; Ideoque obiter potius de aliis
speciebus quandoque agi contingit.

Ordo autem, qui desuper tenetur, est; Primò
agendi de Papa, ejusque potestate, & electione;

Secundò de ejus Consistorio, ac etiam de Con-
sistorii negotiis, & de Collegio Cardinalium;
Tertiò de Officialibus domesticis, vel palatinis,
qui in Palatio Apostolico Papæ affiſtunt; Quar-
tò de quatuor primariis officiis cardinalitibus,
nempe Vicecancellarii, Camerarii, Penitentia-
rii, & Vicarii; Quintò de illis cardinalitibus Con-
gregationibus, quæ regimen spirituale Ecclesiæ
universalis, vel illud Episcopatus Urbis con-
cernunt; Sextò de illis pariter cardinalitibus Con-
gregationibus, quæ concernunt regimen princi-
patus temporalis; Septimò de Tribunalibus
collegiatis, Octavò de aliis Judicibus, & Tribu-
nalibus non collegiatis; Nonò de Iudiciis par-
ticularibus aliquarum Ecclesiarum, vel piorum
locorum, aut collegiorum, vel artium; Et deci-
mo de Causidicis, aliisque Curialibus; Atque
post hæc, aliæque generalitates ad rem facientes
annectuntur.

Illud autem advertere placeat, quod inter
singulas Congregationes, vel Tribunalia, seu Iu-
dices, ac alios, nullum adhibetur studium, vel
diligentia localitatis, vel majoris, aut minoris
præ eminentiæ, sed ordo provenit à casu, vel me-
moria, quæ prius unum, quàm alterum suggeste-
rit.

D I S C. II.

De Papa, circa ejus potestatem, ac per-
sonas, quas gerit.

S V M M A R I V M

- 1 DE pluribus personis, quas Papa gerit, vel repræ-
sentat.
- 2 Quare de persona patriarchali hodie apud fu-
renses non agatur.
- 3 Ad quid etiam hodie ista persona videatur considera-
bilis.
- 4 De Papa tanquam Episcopo Urbis, & qualis sit ejus
districtus, vel diocesis.
- 5 Qualis sit Provincia Papa.
- 6 De districtu Urbis, antiquo, & moderno.
- 7 A sinibus temporalibus non infertur ad spirituales, &
e contra.
- 8 Quantum se extendat jurisdictio Cardinalis Vicarii.
- 9 Possunt stare simul, ut inferior prescribat jurisdictio-
nem in aliena diocesi.
- 10 Ab assensu preſtito jure Ordinarii non infertur ad
assensum Apostolicum.
- 11 Urbis Vicarius ligatur Constitutionibus Apostolicis,
non autem Decretis sacrarum Congregationum, &
de aliis ad materiam Papa tanquam Episcopi Urbis.
- 12 Leges factæ per Papam uti Principem sæcularem,
habentur tanquam leges laicales.
- 13 Quare plures quæſtiones in materia cadentes ne-
gligantur.
- 14 De causa, cui referri debeat temporale dominium
Ecclesiæ & Papa.
- 15 Princeps non potest facere aliquem sibi æqualem, &
scindere coronam.
- 16 Quod in hoc Imperator minorem habeat potestatem
quàm habeant quidam alii Principes.
- 17 Quare Papa habeat plenum dominium etiam in iis,
quæ concessa sint per Principes sæculares.
- 18 Qua sit vera ratio, cui temporale dominium Papa
referri debeat.
- 19 Quod Papa sit Papa, & Rex.

- 20 An Papa facere possit in feudationes, & concessiones abusivas, vel preventivas.
- 21 De Bulla Pii V. de non in feudando.
- 22 De ratione, ob quam iuramentum dicta Bulla Pii V. magis afficiat.
- 23 Quod redditus, & proventus Principatus temporalis diversam habeant rationem, quam illi Pontificatus.
- 24 Quare in statu ecclesiastico clerici, & persona ecclesiastica gabelis, & oneribus laicalibus subiciantur.
- 25 Canonista magis quam Theologi potestatem Papae ampliant.
- 26 De quibus circa potestatem Papae in presenti agatur.
- 27 Papa est supra Concilium, & derogat Conciliorum decretis.
- 28 Quare requiratur eorum mentio specialis, & quando.
- 29 Non potest convocari Concilium sine auctoritate Papae.
- 30 De Capitulis conclavis, an obligent Papam, qui cum seipso non dispenset.
- 31 De gestis in Concilio Constantiensi.
- 32 Quare Concilium apponat manus in depositione Pontificis.
- 33 De Primatu Petri, & unitate Pontificis, & qualis fuerit potestas Pauli.
- 34 An Papa tollere possit officia, beneficia, & dignitates etiam sine causa cognitione.
- 35 De quaestione, an Papa habeat jus territoriale in toto mundo, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, vel potius sit iurisdictionis in personis, & causis, in territorio alieno latè.
- 36 De ratione, ob quam Principes seculares volunt recognoscere litteras Apostolicas, priusquam executioni demandentur.
- 37 Quod Papa sit Ordinarius Ordinariorum, eosque prevenire valeat.
- 38 De iis, quae soli Pontifici potestati sunt reservata.
- 39 Ad solum Papam pertinet erigere Cathedrales, ac Dioeceses, & territoria dividere.
- 40 Quales leges facere possit, vel qualibus legibus derogare.
- 41 Indicit Concilia generalia.
- 42 Creat Episcopos, & Cardinales, & alia per universum orbem.
- 43 De aliis accidentaliter Pontifici potestati reservatis.
- 44 De legibus Papalibus, an & quando obligent, & an possint non recipi.
- 45 De aliis ad materiam.
- 46 De iis, quae concernunt voluntatem utendi potestate.
- 47 Quando debeat sua potestate uti.
- 48 De commutatione ultimatum voluntatum.

Retento eo, qui absque dubio in iure compatibilis est, pro respectum diversitate, plurium personarum formalium concursu, in eadem persona materiali; ut in praecedenti discursu advertitur, plures in Papa considerantur personae distinctae; Una scilicet Papae, & Episcopi Ecclesiae universalis; Alia Patriarchae Occidentis; Tertia Episcopi Romani; Et quarta Principis saecularis status ecclesiastici; quatenus pertinet ad secundam personam Patriarchae, propter occupationem ab infidelibus aliarum Orbis partium, quae sub aliis, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano Patriarchis cadebant, (unde propterea schismaticorum licentia prodiit, in schismate se confovendi,) cessant illae finium, vel patriarcha-

lis potestatis quaestiones, quae antiquioribus temporibus cadebant; ideoque in hoc merè practico, ac forensi opere, inanis labor esset, ac extra propositum, de illis agere; Unde merito apud Canonistas, praesertim recentiores, ista secunda persona, vel iurisdictionis Patriarchalis, omnino negligi, solumque ad dictas tres alias distinctio restringi solet.

Ubi autem particulares Apostolicae Constitutiones non obstant, illa praesertim recentior Pii IV. tunc ista persona Patriarchalis considerabilis esset, in ordine ad iurisdictionem, vel potestatem collegii cardinalium sede vacante, ut infra disc. 4. advertitur.

Quo vero ad tertiam personam Episcopi particularis Urbis, de illa agitur infra, agendo de Tribunali cardinalis Vicarii, qui istas partes nomine Papae explicat; Solumque extra Vicarii iurisdictionem, remanere videntur ea, quae concernunt ambitum, vel districtum antiquum centum milliarium, (stante moderna ejusdem districtus restrictione ad solum ambitum quadraginta milliarium,) id praesertim, ut infra dictum spatium, nullus detur Metropolitanus. Tit. de praeminent. d. 1. & Miscellan. Ecclesiast. d. 1.

Quamvis etenim hoc centesimi milliaris circundarium, ultra dictum districtum quadraginta mi. sub nomine Provinciae Papae, aliqui explicare soleant, quasi quod ita cum Episcopis intra eundem ambitum existentibus Metropolitanus personam gerat; Erronea tamen opinatio est, quoniam verè, ac proprie, sub nomine Provinciae Papae, veniunt illi Episcopatus, qui sint exempti à quocumque Metropolitanus, per universum Orbem sparsi, atque Apostolicae Sedi immediate subiecti, adeo ut cum eis ipse Papa ob appellationes, vel recursus Metropolitanus partes gerere dicatur, absque hac finium restrictione, quae legi dioeclesanae potius referenda est. Eod. disc. 1. de praeminent.

Cum etenim moderna restrictio ad ambitum quadraginta milliarium, sit recens; (quod magis est,) praefinita per moderna Statuta Urbis, edita sub Gregorio XIII. ad tollendas antiquas controversias, quae antiquitus cadebant super eorundem Statutorum Urbis extensione, ac operatione, quae praetendebatur intrare solum in locis subiectis oneribus falis, & focatici, ut praesertim in Regalium sede advertitur, sub tit. de Regal. disc. 72. & 94. & de praeminent. disc. 1. Receptum verè principium sit, quod à finibus temporalibus arguere non licet ad spirituales, vel e contra, ut in iurisdictionali materia, & alibi pluries habetur; Tit. de iurisdic. disc. 1. cum plur. seq. Hinc proinde dicti moderni fines laicales in temporalibus fortè ob antiqui Romani Imperii dissolutionem, aliasque temporalis dominationis crebras mutationes, immutati, vel praescripti, praedjudicare non debent finibus spiritualibus, qui ab initio statuti sunt.

Et quamvis valde in contrarium urgeat praaxis praefati Tribunalis cardinalis Vicarii, quod scilicet ejus iurisdictionis, ultra dictum ambitum se non extendit, in ea cumulativa cognitione causarum etiam in prima instantia, quam habet, cum Episcopis, vel Ordinariis localibus, ut infra in ipsius Rubrica particulari advertitur; Non tamen exinde ad amissionem hujus territorii spiritualis inferri potest, quoniam non implicat, quod Papa consideratus tanquam Episcopus, sui

fui Vicarii facultates intra hunc breviorum ambitum restrinxerit; Eandem vero jurisdictionem sine restrictione pro se retinuerit, cum receptum sit, ut possit Episcopus, etiam nullum habere Vicarium.

9 Vel (& probabilius) recte in jure datur, ut intra limites dioecesis, vel territorii, inferior Prælati jurisdictionem etiam generalem, & ordinariam præscribat; Episcopus autem, & Dioecesanus aliquos actus dioecesanos adhuc retineat; Eod. disc. 1. & seqq. de jurisdic. Et sic quod Episcopi locales, qui intra hunc districtum dantur, compatibiliter cum Episcopo Romano, contra istum eiusque Vicarium alios actus præscriperint, extra vero præscriptionem remaneat ista prærogativa jurisdictionis in secunda instantia, privatim ad quemcunque alium Metropolitanum potius antiquo jure territoriali, vel dioecesiani, quam jure metropolitico, vel pontificio.

10 Illud autem receptum est, ut illi actus, quos Papa vel per se ipsum, vel per eius Vicarium gerit, hanc personam representando, subjaceant Apostolicis Constitutionibus, aliisque obstaculis, ac prohibitionibus, quibus generaliter alii Dioecesani, seu locorum Ordinarii subjacent, quoties non constet de diversa voluntate, Pontificiam auctoritatem quoque interponendi, atque obstantis derogandi; Unde propterea. Si (ex. gr.) novæ fundationi Conventus, vel Monasterii in Urbe, vel in districtu assensus tribuatur, ita satisfactum censebitur uni ex requisitis consistenti in consensu Ordinarii; Non tamen exinde inferri poterit, ut satisfactum censeatur alteri requisito beneplaciti Apostolici, minusque derogatum, vel dispensatum censeatur, Canonum, vel Apostolicarum Constitutionum obstantiis, cum similibus, quibus eadem ratio congruat. Sub tit. de Regular. d. 23. & inf. d. 24. agendo de Tribunali Cardinalis Vicarii.

11 Illud autem peculiare in ista persona Episcopi Urbis dignoscitur, ut ex speciali provisione, non subjaceat decretis generalibus Sacrarum Congregationum, illius præsertim, quæ Episcoporum negotiis præposita est, quibus alii locorum Ordinarii subjacent, dum Papa hanc dioecesim, præsens administrat per suum Vicarium, ac etiam in plerisque actibus per particularem S. Congregationem, quæ Apostolica Visitationis dicitur, ut advertitur infra disc. 13. & 24. in quibus de ista Congregatione, & de Tribunali Vicarii agitur; In reliquis autem hanc personam concernentibus, sufficit relatio ad ea, quæ inferius habentur in dictis d. 23. & 24. in quibus de dicto Cardinali Vicario, præfataque Apostolica Visitationis Congregatione agitur.

2 Circa quartam personam Principis, ac Domini temporalis status Ecclesiastici immediati, ac mediati; Quoties de superius enunciata voluntate non constat, interponendi scilicet etiam Pontificiam auctoritatem; tunc in papalibus legibus, ac ordinationibus præfatum temporale dominium, vel regimen concernentibus, generaliter procedunt omnia ea, quæ de jure statuta sunt in quolibet Principe laico, super exemptione, vel immunitate clericorum, aliarumque ecclesiasticarum personarum à foro, & legibus, ac oneribus laicalibus; Ideoque omnes quæstiones desuper cadentes, facti, ac voluntatis potius, quam juris dicuntur, an scilicet alteram papalem, seu Apostolicam auctoritatem interpone-

re, & commiscere voluerit, ut in plerisque sedibus frequenter advertitur, atque Agidianæ præsertim Constitutionis quotidiana praxis docet; Unde propterea receptum est, ut actus jurati etiam inter laicos, laicalibus legibus, ac statutis non subjaceant, quamvis papali confirmatione munita sint, quoties confirmationis actus principatus, vel dominio temporali sit referibilis. De hoc habetur tit. de dote. d. 22. & 143. tit. de judic. ad materiam Agidianæ, & alibi pluries.

13 Quatenus itaque pertinet ad hanc personam Principis, ac Domini temporalis, inter scribentes plures subjectionis, vel potestatis respectivè disputantur quæstiones, cum consuetæ opinionum varietate, inter diversos Professores, Theologos scilicet, Canonistas, & Legistas respectivè, ac etiam inter illos ejusdem professionis, sed diversarum regionum, ultra scilicet, & citra montes; Earum autem reassumptio, ac formalis disputatio, incongrua est huic operi, continenti solum Curia Romanæ relationem, ac statum, pro practica instructione fori externi, juxta opinioniones, quæ in eadem Curia receptæ sint, ideoque illa argumenta, quæ in contrarium deduci solent scholarum, sive Academicarum pabulum in eadem Curia reputantur, pro ingeniorum exercitio; sive ferunt forum internum, de quo ad professorem fori externi agere non pertinet.

14 Potissima verò quæstio est, circa hujus domini temporalis causam, vel originem, & ex qua de consequenti inferri solet ad altum dominium, vel superioritatem, quam penes Imperatorem adhuc superesse, nonnulli, ac præsertim ultramontani opinantur; Aliqui enim hoc temporale Ecclesiæ, & Papæ dominium referunt, adeò famigeratæ donationi Constantini in Gratiani Decreto relatæ, in cap. Constantinus 96. distinctè Alii concessionibus, ac respectivè donationibus diversorum Imperatorum, & Principum, præsertim Caroli Magni, Ludovici ejus filii, Pipini, & Comitissæ Mathildæ; Alii verò, (& pro meo judicio probabilius) voluntariæ ditioni popolorum, qui per Romanum Imperatorem in Orientalibus partibus residentem, derelicti, atque ab incurfionibus infidelium, & barbarorum, juxta Principis obligationem non defensi, sed ad barbarorum servitutis jugum redacti, per quod prius Imperium de facto abolitum erat, dum jugum excutientes, pristinaque libertati restituti, alterius Principis dominio, ac protectioni se dare potuerunt; Potissimum verò Summo Pontifici, qui, (ut habetur infra occasione quæstionis territorialis) tanquam Christi Vicarius, habituale dominium totius Orbis habebat.

Quæcumque verò opinio retineatur, etiam si prima, vel secunda, non exinde tamen resultat dicta consequentia, quam aliqui deducunt, & præsertim Germani, qui imperialis potestati adulantur, quoniam juris propositiones, cum quibus ipsi procedunt, generaliter, ac in abstracto sunt verè, manifesta verò fallacia est in applicatione.

15 Verum siquidem est principium, tam in feudali materia, quam alibi insinuatam, quod nemo potest facere sibi æqualem, quodque Imperatori, vel alteri Principi conceditur facultas faciendi Civitatum infeudationes, aliasque concessionem, dependentem tamen, cum retentione saltem alti domini, ac illius majoris superioritatis, quæ vulgò *soveranità* dicitur, cum alias Imperium, seu corona, formalem, ac omnimodam scissuram præ-

teretur, quod non licet; *Tit. de feud. disc. 1. & 60. & tit. de dot. disc. 1. 46. & alibi.* Potissimè verò, & clarius id non licet Imperatori, dum est Princeps electivus, atque Imperium non habet ex propria acquisitione cum vi armorum, ut aliqui Reges, & Principes habent; ideoque ei non congruit titulus domini, ut tibi congruere præterdunt Principes per conquisitionem, sed potius ille, mariti, vel primi ministri, & gubernatoris Reipublicæ, quæ est domina, & à qua potestatem trahit; & consequenter, in eo clarior est defectus potestatis donandi, ac dividendi pleno jure.

Adhuc tamen clarus est defectus applicationis in Papa, ob diversam peculiarem rationem, quæ aliis inferioribus etiam Ecclesiis concessio-
17 nariis non congruit, ratione scilicet habitualis domini totius Orbis, quod Christus Dominus ex ejus claro testimonio ad se traxit, ut latius infra in quæstione territoriali. Et consequenter, quando Imperator, vel alter Princeps, penes quem residet solum actuale Imperium temporale, reddat domino habituali; tunc iste, non ex concessione cedentis, novum jus metiri dicitur, sed proprium tanquam per remotionem obstaculi pleno jure, tam actuali, quam habituali, continuare; adinstar eorum, quæ habemus in refutatione feudi, vel emphyteusis, quæ domino directo fiat; sive illius cessionis, quam usufructuarius faciat proprietario, cum similibus in feudali sede insinuatis. *Sub tit. de feud. disc. 60.*

Ab ista verò difficultate magis exempta est, magisque plana remanet tertia opinio, cui magis adherent docti, benèque versati Canonistæ; Aliæ siquidem opiniones magis vulgares, seu
18 populares esse videntur. Sed quidquid sit, certum est in praxi, ac extra controversiam, ut hoc temporale dominium Papæ, & Ecclesiæ Romanæ omnimodam habeat plenitudinem, ac independenciam; Quæstione remanente in eadem feudali materia peracta, in illis laicalibus concessionibus, quæ inferioribus Ecclesiis factæ sint, ut ibi advertitur *dicto disc. 60. de feud.*

Altera est quæstio, An Papa illum considerando tanquam Principem temporalem, seu (ut idem canones dicunt) *relati sub tit. de præminent.*
19 *discursu 1.* tanquam Regem diversum ab altera persona Summi Pontificis, in puncto juris communis, præcindendo etiam à prohibitione, seu obstaculo Bullæ B. Pii V. de non infeudando, facere possit infeudationes, aliasve concessiones præventivas vel abusivas, quarum casus post
20 ejus mortem contingat, de tempore successoris, quem ita supplantare videatur; atque plerique, & præsertim Ultramontani id negant, ex eadem superius insinuata ratione, quod agatur de Principe electivo, quodque diversa sit suprema Pontificia potestas, quæ à quocumque humanæ legis vinculo soluta est ab ista temporali, qua utitur Papa in istis concessionibus, cum eas faciat non tanquam Pontifex, sed tanquam Princeps à Republica temporali electus.

Adhuc tamen Curia diversam sequitur opinionem, quod scilicet hæc ratio prohibetæ supplantationis successoris, Papam non afficiat; *De hoc agitur sub tit. de Regal. disc. 3. sub tit. de emphyteus. disc. 1. & sub tit. de pension. disc. 1.* Verum tamen est, quod hodie ista quæstio cadit solum in concessionibus officiorum, aliarumque rerum allodialium, vel indifferentium, dum respectu infeudationum dicta Bulla Pii V. quæ in feudali mate-

ria pluries enunciata est, hujusmodi quæstionum occasionem sustulit. *De hac Bulla Piana sub tit. de feud. disc. 1. & 4. & 61. ac pluries.*

Ista verò personarum distinctio, Principis scilicet mere temporalis contradistincti à Summo Pontifice, qui circa spiritualem, seu Pontificiam potestatem est idem, quales erant Petrus, Linus, Cletus, Clemens, & alii primi, nullum
22 temporale dominium actuale habentes, magnum producere videtur argumentum ligaminis, difficilius dissolubilis, quod à præfata Piana constitutione de non infeudando, atque à reiteratis juramentis in conclavi, & extra super ejus observantia præstitis resultat, dum ita id redolere videtur quemdam contractum qualificatum, seu conditionalem, per quem prophana Respublica per Collegium Cardinalium, tanquam per temporalem Senatum repræsentata, in eum transfert prophanium principatum, diversum ab usu clavium, quæ per organum electorum, juxta Catholicæ fidei præcepta, ex operatione Spiritus Sancti, immediatè recipit à Deo. Sicut enim si alter Princeps, vel privatus, per gratuitum, vel correspectivum contractum, rem suam mere temporalem Papæ concederet, sub aliqua lege, vel conditione, ad cujus observantiam ipse cum juramento se obligaret, tunc omnis justitia ratio exigeret, ut ad promissæ fidei observantiam teneri deberet; Ita pariter dicendum videtur in iis, quæ hoc temporale dominium concernunt, diversum à clavium usu, ac à mere pontificio munere; super quo tamen nil firmatur, sed integrum locum veritati relinquendo, hæc obiter ac discursive dicta sint.

Hinc proinde manifesto laborant æquivoco Moderni, & præsertim aliqui Morales, qui unam personam vel potestatem cum altera confun-
23 dentes, pariformiter in utraque eadem adhibent rationes, vel terminos super potestate disponendi de officiis, ac redditibus, ac aliquas faciendi elargitiones conjunctis, dum alia sunt ea, quæ ad unum, & alia quæ ad alterum principatum pertinent.

Et quamvis aliqui hanc diversitatem strictè ponderantes, ex illa scandalum potius concipere soleant, quando vident Ecclesias, & Ecclesia-
24 sticos hujus temporalis Ditionis, pariformiter cum laicis, absque aliqua discretione gabellis, aliisque vestigialibus, & oneribus laicalibus subjeci, quasi quod Principi sæculari id non liceat; at tamen mixtura alterius pontificiæ personæ, quæ in hoc adhiberi solet aliquas habet peculiare rationes, in Regalium sede recensitas, ibique videndas. *Sub tit. de Regal. d. 55. & 56.*

Demum quoad primam, ac principalem personam mere pontificiam, per quam Christi generalis Vicarius, & Ecclesiæ universalis Episcopus, & caput visibile repræsentatur; quamvis iidem dictarum facultatum professores, cum magna opinionum varietate, præsertim inter Theologos & Canonistas, quorum primi magis restringunt, posteriores verò magis ampliant pontificiam potestatem, plures disputent quæstiones, quæ ex sequentibus principiis, vel propositionibus desumuntur; at tamen eis neglectis in hac instructiva relatione illæ insinuantur propositiones, quas Romana Curia recepit, ac præctice retinet, ac servat.

Primo siquidem, in adeo famigerata majoris potestatis quæstione, quam præsertim Theologi

in scholis, vel circulis frequenter disputare solent inter Papam, & Concilium generale, seu Oecumenicum; hodie extra controversiam in curia receptum est, quod Papa sit supra Concilium, atque conciliaribus decretis derogare, vel dispensare possit; ea solum Conciliorum generalium peculiari circumstantia admittitur, ut non veniant sub derogatoriis generalibus quarumcumque obstantiarum, sed egeant speciali mentione; excepto Concilio Tridentino, quod venit sub derogatoriis generalibus. *in annot. ad Concil. Trid. disc. 1.*

Hujus autem specialis mentionis necessitas, non percipit defectum potestatis, vel formam præcisam, sed solum præsumptionem voluntatis, quæ in dubio non præsumitur; ideoque, si ex verborum amplitudine, sive ex argumentis, vel facti circumstantiis, constet de hac voluntate quamvis præsumpta, tunc ea debet attendi; *ibid.*

27 & sub tit. de decim. disc. 1. & seqq. prout extra omne dubium est, nullum posse dari legitimum Concilium generale absque auctoritate Papæ, ad quædam munus convocandi Concilia generalia pertinet, nisi ipso volente alter indicet, sive indicationem factam approbet, atque confirmet.

Item in conclavi sedis vacantis per obitum Urbani VIII. in quo electus fuit Innocentius X. in forma extrajudiciali, apud ipsosmet Cardinales disputatum fuit de celebri puncto, per antiquiores etiam Canonistas, & Morales disputato, circa capitula, quæ in conclavi fieri solent, cum jurata promissione de illis observandis; an scilicet licite illa fieri valeant; Et quatenus sic, an ita efficiant novum Pontificem electum, ut non possit cum seipso dispensare, seque à jurisjurandi obligatione absolvere; In hoc autem non modica dignoscitur opinionum diversitas; Magis tamen recepta praxis docet negativam, ut scilicet ea non obligent Pontificem electum, & quatenus obligent, ut possit cum seipso dispensare, nisi agatur de capitulis, quæ concernant Ecclesiæ universalis necessitatem, vel magnum profectum. *Istam questionem bene disputat Cardinalis Brancavius in ejus dissert. 3. pag. 119. & seqq. ubi referuntur omnes eam disputantes.*

Ut exempli gratia dici posse videtur de capitulis conclavium, in quibus durante teterrimo schismate, exorto tempore Urbani VI. ob electionem Clem. VII. Antipapæ, mortuo eodem Urbano, ejusque successore Bonifacio IX. successivè electi fuerunt, Innocentius VII. & Gregorius XII. ambo hac lege jurejurando firmata, ut pro Ecclesiæ unitate ineunda, etiam cum Pontificatus abdicatione operam darent; Et cui legi quoque se adstrinxit Joannes XXII. alias XXIII. subscripta schedula in Concilio Constantiensi; Quapropter, cum simul viverent dictus Gregorius XII. & Joannes XXII. atque eodem tempore Benedictus XII. dictus XIII. successor Clementis VII. Antipapæ, in Hispania, se gereret pro Pontifice, unde propterea Ecclesia in tres partes diù scissa esset; Hinc ut eidem tandem unio, & tranquillitas redderetur, per idem Concilium Constantiense, declaratum fuit deventi posse ad novi Pontificis electionem; Non quidem deponendo Pontificem in ratione auctoritativa, sed in ratione declarativa, aperiendo si quod nullus eorum bene occuparet Sedem papalem, eamque pro vacua habendo; Ac propterea à Collegio Cardinalium in numero viginti

octo, qui tunc Constantiæ aderant, atque ab aliis viginti electoribus ex diversis nationibus ab ipso Concilio deputatis, electus fuit Martinus V. Isteque actus aniam præbuit aliquibus sustinendi opinionem, quod Concilium sit supra Papam, dum aliàs absque superioritate deponi non potuissent præfati Pontifices Gregorius, Joannes, & Benedictus.

Verum non est argumentum, quod concludat, quoniam ea non fuit auctoritativa depositio, ex proprio libito, seu ex ejus facultate tanquam superioris, & domini, sed potius fuit declaratio ejus quod inerat, quod scilicet Benedictus non esset legitime electus, ac proinde respectu illius non cadit questio superioritatis Concilii, quia ipse non erat Papa, nec unquam fuit Papæ; Alii verò duo, quia in Concilii judicium consenserant, affecti remanerent obligatione renunciandi, quam fecerant.

Sive potius dicendum est, quod tunc aliqua adesset verisac legitimi Pontificis incertitudo, aliæque accederent justæ causæ, ob quas ut redderetur Ecclesiæ pax ad hujusmodi determinationes devenire oportuit; Verum super his integer locus veritati relinquatur, nil firmando.

Circa initia Pontificatus ejusdem Innocentii, per aliquos Theologos Ultramontanos citata fuit, seu potius renovata questio, an potestas Pauli Apostoli coequalis, atque æque principalis fuerit cum illa Petri, in Summo Pontificatu, seu in regimine Ecclesiæ universalis; Et partem affirmativam conati sunt defendere, per quam plures Sanctorum Patrum auctoritates malè intellectas, ut patet ex libro anonymi Auctoris Gallica lingua conscripto, qui in lucem prodit de anno 1645. Verum per Congregationem particularem, constitutam ex multis primi nominis Theologis, maturè discussio articulo, damnata fuit ista opinio super coequali potestate, firmando Ecclesiæ primatum individuum fuisse in sola persona Petri; Tum ex eo quod Christus, cum eo solo, in numero singulari, loquutus est dicens *ibi dabo claves*; Et *ibi pasc oves meas*; Tum etiam ex rationibus, quæ in aliis inferioribus Ecclesiis passim assignari solent, monstruositatis scilicet, ac respectivè absurdi, dandi duo capita in uno corpore, sive duos sponfos unius sponsæ, cum aliis fundamentis plene deductis per eos, qui ista occasione, formales tractationes ediderunt de primatu Petri, & de unitate pontificatus, quodque propterea Paulus, ab ipso Petro assumptus fuerit, tanquam adjutor, seu Vicarius, cum ampla potestate, non autem, ut esset sibi æqualis, quod facere non poterat, ut potè contrarium juri Divino, cui Papa derogare, vel dispensare non potest. *Diana & de Bellis in tract. de primatu, seu unitate Petri, & Alii.*

Sub eodem Pontifice disputatum quoque fuit de potestate Papæ tollendi, etiam sine probatione causæ, Cardinalibus, & aliis quibuscumque dignitates, officia, & beneficia, quamvis secularia, quæ de sui natura perpetua essent; Atque circa ea, quæ concernunt forum externum, decisum fuit per Rotam affirmativè, quamvis desuper decisio publicè edita non fuerit, dum ea, quæ desuper Canonistæ, magis autem Theologi disputare solent, percipiunt potius forum internum, ut particulariter in Regalium sede advertitur. *de hoc agitur sub tit. de Regal. disc. 148.*

Item sub eodem Pontifice, occasione sup-

pres-

pressionis pravorum conventuum, seu monasteriorum Regularium, promulgata fuit quaedam scriptura auctoris, anonymi super assumpto, quod potestas ac iurisdicção Papæ, etiam cum personis, vel in causis ecclesiasticis, extra suam temporalem ditionem, esset potestas in alieno territorio, hoc est in territorio Principis secularis, ideoque sine illius placito illa exerceri non valeat, in iis præsertim quæ consistunt in executione reali, ex regulis generalibus prohibentibus exercitium iurisdictionis etiam cum prodiis subditis in territorio alieno sine consensu domini territorii, *de ista materia exercitii iurisdictionis in alieno territorio agitur de iurisd. disc. 20. & in Miscellan. eccl. pluries.* Verum, valde mature examinato puncto per S. Congregationem universalis Inquisitionis, hæc opinio expressè damnata fuit, atque declarata, non solum temeraria, sed etiam heresi, vel schismati proxima, quoniam verius est ut jus Papæ sit territoriale in toto mundo, qui dicitur eius diocesis, quodque de consequenti, jus Episcoporum in qualibet diocesi sit etiam territoriale, non autem in personis, & causis certis.

Et quoniam in dicta anonyma scriptura incerti Auctoris, elaboratè quidem, ac ingeniosè, (cum aliqua tamen confusione) cumulabantur auctoritates, ac rationes, quæ diversos casus, diversisque effectus percutiunt; E converso autem idem fiebat in aliquibus, pariter nimium elaboratis ac ingeniosis scripturis, quæ in Curia, & alibi editæ fuerunt super eius confutatione, juxta frequentioremodum verè damnabilem stylium examinandi quæstiones generaliter, ac in abstracto, principaliter immorando in cumulo auctoritatum, absque debita casuum distinctione, ex qua resultat congrua applicatio, & sine qua perneccesse in æquivoca inciditur.

Cum mihi circa professionis initia, per aliquos eiusdem Congregationis Cardinales, in iunctum esset onus examinandi dictas scripturas hinc inde, illarumque fundamenta referendi, atque meum votum proferendi, explendo illud munus, quod per Auditores vel studii adjucores in Curia explicari solet; Hinc proinde in voto desuper edito, advertèbam quod in ista quæstione, nimium disputata, tam per Theologos, quam per Canonistas, ac Legistas, ac etiam per Rotam Romanam, occasione agendi de potestate Papæ derogandi concordatis; Omnino procedendum est cum distinctione plurimum casuum, quorum singuli diversas habent rationes, ideoque erroneum esse credebam, eandem quæstionem examinare in abstracto, atque auctoritates quæ pro una vel altera opinione habentur, in consilio cumulare, ut in dictis scripturis fiebat, *de ista quæstione agunt præ cæteris alios referentes. Dec. & Navarr. in cap. novit. de iudic. Coxarr. in reg. peccatum par. 2. §. 9. num. 7. Restaur. Gabald. de Imperatore, quæst. 50. Molin. de iust. & jur. tom. 1. quæst. 29. Dian. tom. 1. resol. 121. Martia de iurisdic. par. 1. c. 17. & seqq. Valasc. de iure Regni Portugall. par. 1. §. 4. cum aliis per add. ad dec. 2. par. 3. rec.*

Tres itaque advertèbam distinguendos esse casus, quorum; Primus est in temporali ditione Ecclesiæ, quæ sub nomine Status Ecclesiastici explicatur; Alter in alijs principatibus, & dominijs respectu clericorum, & personarum ecclesiasticarum utriusque cleri secularis, & regularis, sive respectu secularium, in causis de sui natura ecclesiasticis, ac merè spiritualibus, ut ex. gr. sunt illæ fidei, & matrimoniales, ac similes; Et tertius

generalis circa potestatem temporalem, etiam cum personis vel causis secularibus, & in rebus temporalibus.

Super primo casu, nulla cadit quæstio, dum Papa, & etiam Princeps, unde propterea omnes scribentes, tam legistæ, & Canonistæ, quam Theologi concordat super libero ac plenario exercitio iurisdictionis, & potestatis indefinitè, etià cū personis, & causis secularibus. Quamvis enim aliqui (ut superius insinuatum est,) occasione agendi de quarta persona Principis secularis, quæ in Papa consideratur, excitent difficultatem, super alto dominio, ac superiorate Imperatoris; Attamen ubi etiam hæc opinio vere damnanda, utpote nulli probabili fundamento innixa ex abundantia admittenda esset, adhuc ista superioritas seu soveranitas, non impedit exercitium plenariæ iurisdictionis, & potestatis, ac supremi principatus independentè ab ipsomet superiore, ut docet notoria praxis Regnorum, & principatum, quæ obtinentur jure feudi regalis ac dignitatis, ab Ecclesiâ, vel ab Imperio.

Quo verò ad secundum casum iurisdictionis ac potestatis territorialis, cum personis vel in causis merè ecclesiasticis, ac spiritualibus, à laicali potestate omnino exemptis, adeo ut nulla competentia quæstio intret; Duo erant præfati anonymi scriptoris fundamenta, ex quibus hoc jus territoriale negabat, Primò nempe ob incompatibilitatem dominiij eiusdem rei in solidum penes duos eodem tempore, & consequenter cum territorium sit Imperatoris vel Regum & Principum respectivè, illud non possit esse etiam penes Papam; Et secundo ob inconcussam ac generalem principatum praxim, & observantiam, quod literæ, aliæque provisiones Apoftolicæ, etiam super collatione beneficiorum ecclesiasticorum, vel super provisione Episcopatum, aliisque rebus, indubitanter ecclesiasticis, executioni non demandantur, nisi per Principem vel Dominum sæcularem executioni concedatur.

Manifestum verò æquivocum ista fundamenta continere observabam; Quatenus enim pertinet ad primum incompatibilitatis plurium dominorum in solidum; ultra distinctionem, de qua in casu sequenti, dominiij actualis & habitualis? Ubi etiam procedendum esset cum opinione, quæ hanc distinctionem non admittit, sed plenum ac omnimodum dominium, seu jus territoriale, tam actu, quam habitu Principi sæculari defert, ut infra; Adhuc tamen ista incompatibilitas non intrat, cum illa procedat ex eodem respectu, sive pro eodem effectu, secus autem pro respectuum diversitate, pro qua rectè dantur eodem tempore plures eiusdem rei domini, ut alibi pluries, & præsertim in materia feudali advertitur *sub tit. de feud. disc. 1. & seq.* Ideoq; stant bene simul, ut unus superior habeat dominiij vel jus territorij pro uno respectu, vel genere iurisdictionis temporalis, alter verò pro alio iurisdictionis spiritualis, ut notoria, & inconcussa praxis docet in Episcop. alijsq; Prælatibus habentibus territorium, quod sub nomine diocesis communiter explicari solet, cum libero exercitio iurisdictionis in causis ad forum ecclesiasticum spectantibus, independentè à potestate sæculari, cum qua solùm quæstiones occurrunt, super competentia vel incompetencia, quando de illis causis agatur, quæ prætendatur, ut ad laicalem potius, quam ad ecclesiasticum forum pertineant, unde propterea istud fundamentum levissimum, verèque contemptibile videtur.

Card. de Luca. Relatio Curie Romanæ.

Cc

Tale

Tale quoque esse dicebam alterum deductum ex
 36 contraria praxi, vel observantia Principum secula-
 rium, non permitendi executionem literarum,
 aliarumque provisionum Apostolicarum, absque
 ipsorum scientia, & consensu, quoniam, quod quid
 sit, an id iure, vel injuria sequatur, (super quo inte-
 ger locus veritati relinquatur.) Etiam illi qui iure
 fieri posse sustinent, id non referunt negationi ter-
 ritorii, quodque Papa indigeat communicatione
 aliqua jurisdictionis, ac potestatis Principis secula-
 ris in causis ecclesiasticis ac spiritualibus, cum nul-
 lus ex Catholicis scriptoribus id asserat, etiam ex
 iis, qui Ecclesiasticæ potestati insensissimè, expressè
 damnati sunt ab Ecclesia, eorumque lectura est in-
 terdicta ut præsertim est *Salgad. in tract. de retentione
 Bullarum ac de Regia protestatione, & similes.* Sed id re-
 ferunt cuidam extrajudiciali notitiæ de facto, quam
 expedit habere de omnibus iis quæ in proprio do-
 minio vel principatu contingunt, ne sub hoc pallio
 vel prætextu, publicæ quieti principatus, ac Reipub-
 licæ regimini, & juribus, præjudicia generentur,
 & sic per quamdam speciem notitiæ extrajudicialis
 de facto; Ad instar illius cognitionis, quam pro
 aliquarum regionum stylis Judices seculares habe-
 re solent de clericatu, vel de usura, sive de matrimo-
 nio, ut nudi facti, non autem juris, ac pro sola tem-
 poralitate, seu effectibus temporalibus; qui inci-
 denter, & consequutivè exinde resultant, *sub in. de
 jurisdic. dist. 64.*

Quinimodò in aliquibus principatibus, qui per
 Principem absentem reguntur per Vicarios, alio-
 que Magistratus, ut in Italia docet praxis Regno-
 rum Sicilia, Neapolis, & Sardinæ, & Ducatus Mez-
 diolani, etiam literæ, ac provisiones ipsiusmet Re-
 gis, executioni non demandantur, nisi prævia hac
 notitia, & consensu, qui sub executionis termi-
 no explicari solet *sub tit. de feud. pluribus.* Atque in
 ipsomet Statu Ecclesiastico, in illis provinciis, quæ
 per Cardinales Legatos reguntur, idem praxis do-
 cere videtur.

Corruentibus itaque dictis fundamentis, nul-
 lum aliud superest, cui hoc assumptum inniti valeat,
 cum omnia, quæ desuper ponderari solent, percu-
 tiant tertium casum, circa temporalia ut infra, Et
 quidem prorsus in congruum esset, ac irrationabi-
 le, quod cum ad Pontificem pertineat, singulariter,
 ac privativè ad quemcunque alium, territoria in spi-
 ritualibus, separare, unire, ac assignare, nec non E-
 piscopos, aliosque Prelatos constituere, qui terri-
 torium habent, ut infra, ipse territorio carere de-
 beat.

Item quia non verificarentur divina utriusque
 Testamenti oracula Christo Domino convenien-
 tia, & ex eius persona Papæ tanquam eius vice ge-
 renti in terris; Ut in veteri Testamento ibi *posse-
 sionem tuam terminos oera;* Et in novo ibi *data est mihi
 omnis potestas in Cælo, & in terra;* Et ibi *quodcumque
 ligaveris vel solveris super terram, &c.* quoniam si sola
 iurisdictione in personis pro certis causis data esset
 sufficiebat illud oraculum, *paſce oves meas.*

Obiectum autem fieri solitum, quod Christus
 Dominus non curaverit Regnum terrestre, sed quod
 celesti congruant ea, quæ de eius Regno, ac domi-
 natione in utroque Testamento habentur; Adap-
 tabile videtur alteri casui potestatis temporalis, de
 qua infra, sed quoad istum potestatis spiritualis in
 personis vel causis ecclesiasticis, vel spiritualibus,
 nulla cadit ratio dubitandi, cum istæ sint extra fo-
 rum ac potestatem laicalem; Ideoque merito hæc

opinio damnata fuit, cum revera, citra hæresim, vel
 schisma, negando Ecclesiæ unitatem, eiusque ca-
 put visibile, à quo cætera membra dependentiam
 habeant, non sit sustentabilis; Alias etenim esset
 dare, quod caput à membris, vel superior à
 subditis dependentiam habere deberet, cum in-
 ter Catholicos, quatenus ad spiritualia perti-
 net, omnes Reges, & Principes Papæ subditi
 sint.

Quo verò ad tertium casum, potestatis scilicet
 Papalis in laicos extra temporalem Ecclesiæ ditio-
 nem, in aliorum Principum Imperiis, vel domi-
 niis, Ille distinguitur in duas causarum species;
 Aut enim agitur de illis, quæ concernunt finem spi-
 ritualem, ac supernaturalem, quia nempe agatur de
 rebus pertinentibus ad Fidè conservandâ, vel præser-
 vandâ, sive ad alia concernentia forum, ac salutem
 animarum, absq; tamen consequentiis temporalibus;
 Et tunc ista species cadit sub secundo casu anteceden-
 ti causarum spiritualium, licet personæ sint se-
 culares.

Aut verò de illis, quæ originem habentes, vel
 motivum à fide, vel spiritualitate, concernunt me-
 ram temporalitatem in consequentiam, sive in exe-
 cutionem; Vel quod etiam agatur de causis, quæ
 citra dictum finem supernaturalem fidei concer-
 nant civile, vel politicum regimen Republicæ,
 quod in consequentiam influat etiam ad conserva-
 tionem fidei, vel ad salutem animarum, ac extirpa-
 tionem peccatorum, & scandalorum? Puta in de-
 positionibus Principum, vel in adjudicationibus
 principatum, ac dominiorum magis uni, quàm alteri, ac
 in bellorum compositionibus, vel prohibitionibus,
 cum similibus; Et tunc non levis questio est inter
 Civilistas, Canonistas, ac Theologos, quæ adhuc
 sub iudice pendet, sub dicta determinatione non
 cadens; An scilicet ea potestas, quæ Papæ desuper
 tribuitur, dicatur territorialis iure suo, quod in Or-
 be tanquam in eius territorio exercet; Vel potius
 ipse gerat suam jurisdictionem in causis, declaran-
 do scilicet, vel decidendo quid de iure statutum sit,
 ac fieri debeat, ad effectum, ut populus, vel ipsa
 Republica tanquam territorii, vel Principatus
 domina habitualis, iudicatum exequatur cum pote-
 state sua, adeo ut potestas Papæ, sit iudicii, non au-
 tem domini.

Illi etenim Canonistæ, & Theologi, qui majorem
 Papæ potestatem videntur, ut scilicet sit de iure do-
 minii, vel territorii, id credunt, stantibus illis Evan-
 gelii verbis; *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in
 terra;* Ac etiam illis; *Cum exultatus fuero à terra,
 omnia in abam ad me ipsum,* ut ita penes Christum,
 ac successivè penes eius unicum Vicarium, qui ple-
 narias eius vices in terris gerit, resideat dominium
 etiam temporale totius Orbis abdicatum à Roma-
 no Imperatore, aliisque Principibus temporalibus
 gentilibus, ita tamen, ut illud sit habituale tan-
 tum, concessio Imperatori, aliisque Principibus
 Christianis domino actuali sub lege, seu conditio-
 ne recte administrationis, ob cuius defectum ipse
 Dominus habitualis, illud ei auferre valeat, & alte-
 ri concedere; Ad instar concessionis feudorum reg-
 galium verè dignitatis, quod importet qui-
 dem in feudatario omnimodum imperium, &
 potestatem, cum iure Principatus, absque eo
 quod Dominus directus, qui concessionem fecit,
 se ingerat, eumque indictæ potestatis exercitio
 impediatur; Sed si feudatarius malè se gerat, non
 solum circa ea, quæ concernunt fidelitatem, sed

sed etiam malam subditorum, ac feudi administrationem, tunc rectè Dominus potest declarare caducitatem, ac feudum alteri concedere, juxta notoria exempla Regni Neapolitani, cum similibus.

Atque ad id comprobandum, ponderant exempla, quæ præsertim per *Mohinum* loco supra citato recentur; Nempe circa dismembrationem partis Imperii orientalis, cum erectione novi Imperii occidentis factam per Leonem III. Concessionem factam per Gregor. V. Principibus Germaniæ juris eligendi Imperatorem subiectum oneri accipiendi confirmationem, & coronam à Papa, cum certis præfixis legibus, & obligationibus; Nec non concessionem factam per Zachariam Regni Franchorum Pipino, prævia depositione Childerici; junctis dispositionibus factis Henrici IV. Imperatoris per Gregorium VII. & Ottonis IV. per Innocentium III. cum aliis pluribus similibus, inter quæ recens habemus exemplum abdicationis Regni Navarræ à Joanne, eiusque uxore, cum eius concessionem Regi Ferdinando Catholico nuncupato. *habetur sub tit. de præmin. disc. 29.*

Alii verò è converso, pro majori parte Civiliæ, ac etiam aliqui Canonistæ, contrariam sequentes opinionem, id referunt, Vel principaliter fini supernaturali fidei; Vel referunt potestati iudicii non autem domini, aut territorii; Vel, ut credunt Theologi, potestati, quam habet Papa disponendi de rebus temporalibus, omnium Christianorum, non quidem directè, sed indirectè, nimirum in ordine ad bonum spirituale, & salutem animarum.

Quidquid autem sit, de unius, vel alterius opinionis veritate, cui integer locus relinquitur sub iudicio eorum, ad quos pertinet, (& quæ ita obiter relata sint, nil desuper firmando) In eo tamen clarum consistere dicebam æquivocum, quod ea, quæ istum tertium casum percutiunt, præcedenti applicantur, sed male, ob longè diversas rationes.

37 Quamvis item nonnulli Episcopi, alique Prælati, ac Magistratus, ultra montes, quorum aliquibus, ubi etiam schismatis macula objici non valeat, aliqua tamen proximitas fortè congruere videtur, antiquas retineant opiniones, super æqualitate eorum potestatis in propria diocesi cum Papa, qui non possit citra casus appellationis, ac recursuum, in eorum potestatis, ac iurisdictionis exercitio se ingerere; eoque impèdire, quasi quod quilibet dicatur Pontifex in propria diocesi; At tamen, eodem themate retento, conclusivè scilicet insinuandi opiniones in Curia jam firmas, ac receptas. Hæc opinio pariter damnata est, atque receptum, quod Papa tanquam Ordinarius Ordinariorum, à quo omnis Episcoporum ordinaria iurisdictionis immediatè descendit, concurrere potest cum quolibet Ordinario, tam in judicialibus, avocando aliquas causas etiam in prima instantia, ut expressè determinatur à Concilio Tridentino, per quod quæstio omnino sopita videtur, *sess. 24. de reform. cap. 20. & in annot. ibid.* Quam etiam conferendo officia, vel beneficia, quamvis etiam non ad sint Apostolicæ reservationes vel affectiones, atque ad liberam Episcoporum seu Ordinariorum collationem pertineant, quos prævenire potest; Licet enim rardè, ac non nisi ex magna causa id fieri solet, sed eius abstinentiæ effectus est bene regnare voluntatis, ac laudabilis congruentiæ, non autem defectus potestatis, *de benef. disc. 23.*

38 Multa item Papæ potestati singulariter reservata sunt, privative ad Episcopos, aliosque Ordina-

Card. de Luca. Relatio Curie Romana.

rios, vel Prælatos, utpotè solius pontificiæ potestatis, istaque sunt de duplici specie? Alia etenim talia sunt naturaliter, & intrinsicè jure suo nativo ab ipsa primitiva Ecclesia inducta; Alia verò sunt accidentaliter talia, ob reservationes, quæ de eis per eorum Constitutiones, & decreta Summorum Pontificum, vel per Concilia generalia factæ sunt.

De prima specie sunt (exemplificativè, seu demonstrativè) erectiones Ecclesiarum Cathedralium, vel Metropolitanarum, earumque dismembrationes, divisiones, vel uniones, quæ ad solum Papam pertinent, *sub tit. de jurisdic. disc. 1. & seqq. & sub tit. de præmin. disc. 1. & seqq.*

Item potestas concedendi leges, aliquis legibus, & canonibus positivis contrarias, vel legi positivæ directè dispensandi, aut legem divinam declarandi, seu interpretandi, cum huic dispensandi potestas non competat; Nec non generalia Concilia indicendi; Item Episcopos creandi, seu confirmandi eos, qui ex consuetudine, vel Apostolica concessione à Principibus, vel à Capitulis nominati, vel electi, seu presentati fuerint; Ac etiam creandi Cardinales, aliæque faciendi per univèrsam Orbem, quæ Episcopis in propria diocesi tantum circa canonizationes Sanctorum, & indulgentias antiquitùs non autem hodie concedebantur, cum similibus.

De altera verò specie sunt, reservationes beneficiorum ecclesiasticorum, ratione temporis, loci, personæ, possessoris, vel qualitatibus beneficii; Erectiones collegiarum juxta opinionem, quam Curia Romana tenet, ac servat; Canonizationes Sanctorum, quæ hodie privative ad Episcopos, etiam in propriis diocesis, ad Summum Pontificem pertinent; Ampliores concessiones indulgentiarum; Dispensationes matrimoniales super gradibus prohibitis, aliæque dispensationes super incapacitate ad ordines, vel beneficia cum similibus, quæ non generaliter à tempore primitivæ Ecclesiæ, sed specialiter diversis temporibus, per Sacros Canones, vel decreta Conciliorum, aut per Apostolicas Constitutiones Ordinariis locorum interdicta fuerunt, ac Pontifici reservata, juxta regionum varietatem, quod scilicet citra montes fortè magis restricta est Episcoporum auctoritas, quam ultra.

Super legibus Papalibus, quæstiones etiam cadere solent, an scilicet non acceptatio, vel non usus populorum, ab earum observantia exeuset; Atque super hoc non modica dignoscitur opinionum diversitas; Aliquibus indemnité volentibus, quod cum potestas Papæ non à populo, ut est illa Principum secularium, sed à Deo immediatè pendeat, ideo necesse non sit legum requisitum super populorum acceptatione, vel usu, & consequenter non sit in populorum facultate non acceptare, vel non uti; Alii verò distinguunt, inter leges, quæ concernunt fidem, aliæque supernaturalia præcisè respicientia forum conscientiarum in his quæ sint intrinsicè mala, & peccaminosa; Et illas leges, quæ novam obligationem, vel novam formam inducunt, alias non præcisè necessariam super actu qui etiam sine illa, intrinsicè malus, & peccaminosus non esset, ut scilicet primo casu procedat prima opinio, quod in populorum, ac subditorum potestate non sit Pontificiam legem non acceptare, ac non observare; Secus autem in altero, in quo non usus, ubi præsertim habeat verisimilem scientiam, & tolerantiam

Papae attendi solet; Adhuc tamen veritati locus relinquitur, cum de super meum, non sit iudicis partes affluere, de hoc agitur sub tit. de censibus disc. 1. & alibi.

45 Nimirum verò prolixitatem huic relationi incongruam, importaret reassumptio omnium eorum, quae Pontificiam potestatem concernunt, ideoque in reliquis recurrendum erit ad illos Canonistas, & Theologos, qui de illa formiter pertractare professi sunt, cum praemissa insinuasse satis videatur, tanquam notabiliora, pro foro externo practico; Alia verò, vel ad forum internum, vel cerimonialia, aut politica negotia concernunt, de quibus, ut initio praemissum est, meae non sunt partes agendi.

46 Posita verò potestate, Frequenter in praxi disputari solet de voluntate, an scilicet, & quando Papa voluerit eius potestate uti; Super hoc autem certa regula generalis cuiusque casui applicabilis statui non potest, cum sit quaestio voluntatis, ideoque facti potius quam juris, ex singulorum casuum circumstantiis decidenda, ac propterea dicitur materia iudici arbitraria, quando scilicet, subreptionis, vel obreptionis vitium, aut intentionis defectus adesse dicatur; Idque nimium ex verisimilitudine pendet; Potissimè verò ex stylo Datariae, & Cancellariae Apostolicae, & an quod concessum apparet, solum sit concedi, necne.

In Papa verò id videtur speciale, quod non solum in eo militat eadem regula, quae generaliter militat in omnium Principum gratiis, & concessionibus, ut scilicet factae censentur sine praedictio juris tertii, sed ob eius regulam Cancellariae de jure tertii quaestio non tollendo, istius specialis mentio, vel derogatio necessaria est, neque alias gratia sustinetur; Nisi agatur de gratiis per concessum, ac de sui natura praedictialibus, quod sparsim sub diversis materiis adnotatum habetur, cum id certam ac peculiarem sedem non habeat, idque non percutiat id, de quo in praesenti agitur, super Papa scilicet potestate. Praesertim sub tit. de praeminenti. disc. 9. & alibi pluries.

47 Quamvis autem pro regula generali, circa huiusmodi potestatem, in magis communi, & recepto sensu Canonistarum (quatenus pertinet ad Forum externum de quo solum agitur) Papae concedatur potestas faciendi omnia, quae juri Divino non adversantur, cum supra illud eius potestas non extendatur, quando sit clarum, bene tamen illud interpretandi, vel declarandi, quando dubium sit, unde propterea vulgare prodit dictum, quod Papa omnia potest disc. 148 de Regal. Adhuc tamen discretè atque cum debita congruentia huiusmodi potestate uti debet, ne eius usus scandalum mundo praebeat; Verum de hoc, soli Deo rigorosam, ac necessariam rationem redditurus est, cum Mundi debitor solum remaneat de facto, id est de existimatione, vel fama bona, seu mala, super qua Principes multum invigilare solent, ac debent, multo verò magis Summus Pontifex, qui debet esse aliorum Principum norma, & exemplar.

48 Commutatio ultimarum voluntatum Papae specialiter reservata per aliquos creditur; verum id a quoque continet, quoniam rectè quidem papali potestati reservata est commutatio illarum voluntatum quae pietatem concernant, & super quibus potestas laicalis se ingerere non potest, minusque potestas Episcopalis, aliorumque inferiorum col-

latorum; generaliter autem derogare, vel dispensare fidei commissis, aliisque dispositionibus temporalibus, ac indifferentibus, ad quemcunque supremum Principem in suo principatu pertinet. De ista materia commutationis ultimarum voluntatum apud Buratt. dec. 883. & dec. 408. p. 12. rec. in quibus concordantes.

DISCURSUS III.

De Electione Papae; Ad quos pertineat; In qua persona cadere valeat; Et quomodo facienda sit, ut valida, & canonica dicatur; Et de potestate Collegii Cardinalium Sede vacante, vel plena: Et plurius speciebus vacationis Sedis Papalis.

SUMMARIVM.

- 1 AN Papa sibi eligat successorem, & firmatur negetiva.
- 2 Ad quem pertineat jus eligendi Pontificem.
- 3 De stylo Religionum eligendi Generalem.
- 4 Quid de Hierosolymitana Religione.
- 5 De restrictione electionis Pontificis ad Collegium Cardinalium, & de istorum origine.
- 6 De eodem.
- 7 De jure, electio Episcopi spectat ad Capitulum.
- 8 Spectat ad Cardinales presentes collegialiter congregatos.
- 9 Totum jus Capituli etiam in paucis, vel in uno esse, & consolidari potest.
- 10 Non existentes in sacris, non habent vocem in Capitulo, seu in dicta electione.
- 11 Electio facienda est in conclavi, & quid si precedat ante clausuram conclavis mortuo Pontifice.
- 12 De praeminentia & dignitate Cardinalium sede vacante.
- 13 De ingressu, & clausura conclavis.
- 14 Quid sint custodes fixi, ac principales conclavis.
- 15 De Marescalco, & quare familia Sabellorum hanc prerogativam habeat.
- 16 De personis, quae remanent in conclavi cum Cardinalibus.
- 17 Cardinalium absentium non sit sollemnis convocatio.
- 18 Non admittuntur absentes, id est ex conclave, ad votum per procuratorem.
- 19 Quomodo dent votum infirmi existentes in conclavi.
- 20 Non concludunt electionem, nisi duo ex tribus paribus.
- 21 De forma divinis electionis.
- 22 Qui sint eligibiles, & an soli Cardinales.
- 23 Quare electio cadere soleat in Cardinali.
- 24 De vacatione sedis per mortem, & quid fiat ista sequuta.
- 25 De aperitione carcerum, & libertate carceratorum.
- 26 De vacatione sedis per renunciationem.
- 27 De vacatione ob crimen haeresis, vel aliud.

- 28 De iurisdictione, & potestate Collegii Cardinalium sede vacante.
- 29 De actibus concernentibus Episcopatum Urbis, quod Collegium gerat vices Capituli Cathedralis.
- 30 De Propositione quod Collegium Cardinalium constituit unum corpus cum Papa.
- 31 De eodem & quod solus Papa est caput Ecclesie sine mixtura alterius.
- 32 Dantur exempla inter adiutores voti consultivi, & voti decisivi.
- 33 Declaratur aequivocum procedentium cum terminis aliorum Senatuuum.
- 34 De distinctione inter Imperatorem Romanum, & alios Principes.
- 35 Quando Papa ardeat à consensu Collegii.
- 36 Quod corpus Ecclesie sit penes Ecclesiam universalem, & Concilium generale ad quos effectus.
- 37 Qualis potestas ab Ecclesia sit transfusa in Collegium Cardinalium.
- 38 An Collegium cogat electum in Pontificem ad acceptandam electionem.
- 39 De potestate Collegii in iis, quæ concernunt potestatem Patriarchalem.
- 40 De eadem potestate in concernentibus principatum temporalem.
- 41 Quomodo ea potestas, quæ Collegio competit sede vacante, sub eo exercetur.

Inter problematicas quaestiones, quæ per Theologos, præsertim in scholis, vel circulis, disputari solent, ea dignoscitur, an Papa sibi eligere, ac deputare valeat successorem, pluraque argumenta pro utraque affirmativa, & negativa sententia urgeri videntur, quæ per plures Scriptores recententur, & præsertim per modernos, qui de hac materia formiter agere professi sunt; *Passerini de electione Pontificis, quaest. 4. & in aliis precedentibus.* Practicè autem illa quaestio idealis remanet, cum extra contrariam sit opinio negativa, utpote à contrariata praxi comprobata, ab ipso B. Petro, usque ad præsens; Ea potissimum circumstantia desuper ponderari solita, quod cum ipsemet, Petrus Clementem successorem sibi destinasset; Attamen illa primitiva Ecclesia, quamvis sub infidelium ac tyrannorum persecutionibus, in magna depressionis statu constituta esset, adhuc ex Spiritu Sancti afflatu alium elegit Pontificem Linum, deindeque isto mortuo Cletum, quibus ex electione non autem ex Petri destinatione, Clemens successit.

Quamvis autem universalis Ecclesie viduata pastor, ab ipsa etiam universalis Ecclesia eligatur, attamen quia ob præfatas infidelium ac tyrannorum prosecutiones, publica & solemnia constituta generalia practabilia non erant; Ac etiam, quia conventus deputatorum ab universi Orbis Civitatibus, vel Provinciis, nimium incommodus, penèque impracticabilis, etiam de præsentibus esset, diuturnamque sedis vacationem causaret, multo magis attenda illorum temporum conditione, Hinc proinde rationalis inolevit consuetudo, ab Ecclesia universalis implicito consensu approbata, ut eius nomine ac vice, à sola Ecclesia Romana, ex clero & populo fideli constituta, ea fieret.

Idque etiam hodie cum exemplis minoribus praxis docet, quod scilicet quamvis regulariter electio

Card. de Luca. Relatio Curie Romane.

Generalis Prælati Religionis, ad istam universam, ex omnibus provinciis, ac mundi partibus in destinato loco in comitiis congregatam per provinciarum Discretos, ac Prælatos pertineat, ut frequentior praxis docet, atque in rerum regularium Sedè advertitur; *tit. de Regular. disc. 2. & seqq.* Attamen, præsertim insignis, ac primaria Hierosolymitana Religio militaris, quæ vulgò Milevitana dicitur, diversam habet consuetudinem, quod scilicet sequuta vacatione Sedis Magistralis, absque aliqua comitorum generalium convocatione; Electio fit in continenti per solos Religiosos ad formam illorum stabilimentorum vocem activam habentes, qui in eo Conventu resideant, ut ita quo magis celeriter fieri potest, electio novi Magni Magistri sequatur.

Cum autem tractu temporis, dilatata fide, fideliumque numero longè aucto, præsertim post baptismum Constantinum [ex quo tempore, cessatis persecutionibus, Christiana Religio cultus publicus, ac liber, multumque favorabilis esse cepit, *tit. de præminent. disc. 3.* adeo ut penè universus populus Christianus effectus esset,] ipsius populi secularis concursus in Pontificis electione penè impracticabilis esset, magna que produceret inconvenientia; hinc proinde rationabiliter activa electio restricta fuit ad solum clerum Romanum, qui ex illis Parochis, vel designatarum Ecclesiarum Præpositis, & incardinatis Presbyteris, & clericis constitutus erat, quorum loco successerunt Cardinales, eorumque nuncupatio exinde manavit, ut inferius in particulari Collegii Cardinalium rubrica advertitur, *infra disc. 5.*

Istaque hodie receptissima consuetudo, à consensu Ecclesie universalis, multorum sæculorum spatio comprobata docet, ut electio Summi Pontificis ad solum Collegium Cardinalium pertineat, per quandam speciem illius electionis Episcopi, quæ de jure (seclusa contraria consuetudine) pertinet ad solum Capitulum Cathedralis, privative ad reliquum clerum, & populum diocesis, quamvis omnium Prælatum, ac Pastor sit eligendus. *Tit. de præminent. disc. 2. & de Canon. & Capit. disc. 27. & 28.*

Juxta vero terminos generales sacrorum Canonum, hæc electio ad solos præfatos Cardinales, collegialiter, seu capitulariter congregatos, pertinet, adeo ut absentium sive voluntaria, sive legitima sit absentia, nulla ratio habeatur, sed totum jus Collegii seu Capituli, consolidatur in præsentibus, qui vocem habeant, quamvis essent pauciores, dummodò ea quæ servanda sunt, serventur eodem modo, quo generaliter in Capitulis, aliisque comitalibus conventibus est in jure statutum; ut etiam in duobus, vel in uno, jus Capituli consolidetur. *Tit. de benef. disc. 23. & tit. de Canon. & Capit. disc. 27. & seq. in annot. ad Concl. Trid. pluries.*

Unde propterea, etiam in Cathedralibus, pro huiusmodi electione faciendâ, procedit idem, quod generaliter in Capitulis, & Collegiis ecclesiasticis statutum est; ut non existentes in sacris vocem non habeant in Capitulo; *In annot. ad Concl. Trid. disc. 23.* Est bene verum, quod in Cardinalibus fortè nunquam praxis huiusmodi exclusionem dedit, ob dispensationem; quæ per Pontificem desuper illis, qui non sint in sacris, concedi solet.

In plerisque tamen; juris communis regula per Apostolicas Constitutiones super hac electione Pontificis alterata sunt, adeo ut ista electio aliquam peculiarem naturam habeat; Primò nempe circa restrictionem in conclavi clauso, extra quod electio celebranda non est; unde propterea; defuncto Pontifice, sunt pro eo novendiales exequia, atque in singulis diebus, in quibus pro huiusmodi exequiis peragendis Cardinales non impediti in Basilica Vaticana conveniunt, ante earum celebrationem congregari solent in eiusdem Basilicæ sacristia, ut Principum Oratores, ac etiam Officiales, & Magistratus audiant, aliaque congruas præbeant provisiones super iis, ad quæ Collegii auctoritas (ut infra) se extendat, pro utriusque principatus regimine, ac etiam pro conclavis ordinatione; Atque in hoc novendiali spatio magis quàm quovis alio tempore, elucet cardinalitia dignitas, non solum circa formam habitus, quia scilicet per Urbem incedunt cum rochetto discooperto, & mozzetta, eo modo, quo in signum jurisdictionis incedit Papa per Universum Orbem, & Episcopus in propria diocesi, vel Cardinalis in propria Ecclesia titulari, verum etiam ob magna obsequia, quæ ab Oratoribus Regum, & Principum propria domui singulariter recipiunt, atque ubi collegialiter in dicta sacristia sunt congregati, Oratores prædictos, aliosque Magnates genibus flexis audiunt, ita Pontificis dignitatis imaginem representantes.

Decima verò die, post celebratam in eadem Basilica Missam de Spiritu sancto, Cardinales, qui iuste non impediti, reperciuntur in Urbe, processionaliter conclaves ingrediuntur, quod in destinata parte Palatii Apostolici, prope eandem Basilicam esse solet, atque postquam iste sollemnis ingressus est sequutus, qui non de omnibus præsentibus esse solet, cum nonnulli privatim serò ingrediuntur.

Eisque existentibus in cellis, quæ per sortem absque aliqua personarum acceptatione distribuuntur, per totam illam diem liber patet aditus Principum Oratoribus, ac Magnatibus, & Prælatibus, aliisque omnibus, tam nobilibus, quam popularibus, conclave peragrandi, atque benevolos Cardinales in cellis visitandi, & præsertim Principum, & Rerum publicarum Oratores, & Magnates totum Collegium visitant, eisque obsequia præstant, atque felices faciunt adulatorias augurationes.

Omnibus verò de sero exclusis, præter eos, qui in conclavi cum Cardinalibus remansuri sunt, illud ad formam rigorosæ clausuræ undique redactum, clauditur per eiusdem conclavis custodes, qui duo sunt fixi, ac principales; Ille scilicet Prælatus, qui ab eodem Collegio ante ingressum electus fuerit, qui conclavis gubernator dicitur; Et alter secularis, qui conclavis Marescallus nuncupatur; Istudque munus hereditario jure diuturno tempore obtinuit, ac obtinet ille, qui primam figuram facit, seu (ut dici solet) est caput nobilis ac per vetustam familiam Sabellorum, & qui attento præsentis status est Albani Princeps; Istaque adeo qualificata prærogativa fertur concessa in præmium adeo proficue inventionis Conclavis, quo mediante praxis non tribuit illas diuturnas, & scandalosas Sedis Apostolicæ vacationes, quas Chronica narrat; Alii verò custodes sunt Prælati, ac etiam respectivè Conservatores Populi custodientes rotas; per quas vitæ aliaque necessaria transmittuntur ad formam clausuræ monasteriorum Monialium, dictique custodes per turnum deputari soliti singulis

diebus, invigilant, ne Apostolicis Constitutionibus contraveniatur circa alloquutiones, vel litterarum transmissionem; dicti verò custodes principales retinent claves portæ majoris, per quam habeatur ingressus, & egressus ad prædictorum Monasteriorum formam.

In Conclavi itaque sub clausura, ultra Cardinales remanent regulariter duo cujuslibet Cardinalis familiares, qui vulgò Conclavista nuncupantur, 16 pro eorum servitio, solumque Cardinalibus senibus, vel infirmis, ac etiam iis, qui de Principum genere sunt, indulgetur tertius familiaris, vel Conclavista, ratione majoris servitii, quo indigere dignoscatur, atque ab eiusdem Collegii judicio, ac determinatione pendet an illi, qui tertium Conclavistam petit, eo sit necne dignus.

Ultra istos familiares, remanent quoque alii Officiales, vel ministri; nempe, duo magistri ceremoniarum; Sacrista Pontificis; Aliquis religiosus vir, qui tam Cardinalium, quam Conclavistarum sacramentales confessiones audiat, eisque Penitentiarum Sacramentum ministrat; ac etiam aliquas statuti temporibus faciat conciones; nec non aliqui Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, & barbitonifores, pluresque inferiores ministrantes, pro vilibus & sordidis ministeriis necessariis, qui recensentur in Constitutione 63. Pii IV. cum qua proceditur, & quos in parte registrant dicti moderni, *Passerini, dict. tract. de elect. Pontif. quest. 11.*

Et licet praxis doceat admissionem majoris numeri ministrantium, quam dicta Constitutio præcipiat; attamen id provenit, necessitate ita exigente, ob excremum numerum Cardinalium sub Sixto V. ut infra disc. 3.

Cardinalium absentium sollemnis convocatio faciendâ non est, eo modo, quo de jure in aliis electionibus, & actibus capitularibus fieri debet. *Tit. de Canon. & Capit. disc. 27.* quoniam ipsa subiecta materia convocacionem præ se fert, dum, mediantibus celeribus cursitationibus, vacatio Sedis intra breve tempus per universum Orbem Catholicum, notoria redditur, atque illi Cardinales, qui in Conclavi intervenire in animo habeant, cum nimia diligentia, & celeritate id peragunt, dum semper in eo admittuntur, quamvis post clausuram, ad Urbem accedant, quoties adhuc electio integra sit, rarique sunt casus, in quibus Cardinales etiam ultra Montes existentes id negligant.

Existentes autem extra conclave, quamvis in Urbe præsentibus essent, atque ex quavis legitima causa impediti, votum non habent; minisque in hac electione admittitur illa facultas, quæ de jure in aliis comitiis, vel Capitulis conceditur legitime impeditis proferendi votum per procuratorem, *Dicto tit. de Canon. & Capit. disc. 27. & 28.* cum solum in ipsomet conclavi existentibus, quibus non concedatur potestas se collegialiter congregandi in cappella, in qua scrutinia celebrantur, concedatur jus proferendi votum, non quidem per procuratorem, vel per substitutum, sed per se ipsos, reponendo scedulam in quadam arcula clausa, quæ per tres Cardinales singulis diebus deputari solitos, (& qui infirmarii nuncupantur.) asportatur ad cellam infirmorum, atque in ipso loco scrutini publice aperitur; ipseque scedula inter alias præsentium reponuntur, & scrutationes fiunt, ut in Constitutionibus Gregor. XV. & Urbani VIII. forma præscribitur.

In eo quoque ista electio differt ab aliis, atque
 20 in ea generales regulæ iuris alteratae sunt: quod scilicet generaliter electio concluditur à majori parte, quæ minorem suffocatur, seu ad se attrahit, perinde ac si ab omnibus facta esset; Major vero pars illa dicitur, quæ comparatione omnium congregatorum votum habentium, excedat medietatem, adeo ut sufficiat excessus in dimidio voto, quod scilicet ex quindecim vocalibus, octo sufficiant, ut in electionis peculiari sede advertitur. *Dicteo. de Canon. & Capit. disc. 24. seqq. & in annot. ad Concil. Trid. disc. 37.* Secus vero est in Summi Pontificis electione, quoniam non nisi duæ ex tribus partibus non computato voto ipsius electi, eam concludunt; Unde propterea, quando in scrutinio, vota ad amissim concludunt duas tertias absque alio voto excedente, aperiiri debent scedula ad effectum inspiciebant adit votum electi, necne; sed si adfuit in excessu, adeo ut quamvis adesse posset votum sui ipsius, adhuc electio conclusa remaneret, tunc nulla subest necessitas adhibendi hanc diligentiam, neque attenduntur ea, quæ in aliis electionibus de voto ipsius electi de jure habentur. *Eod. tit. de Canon. & Capit. disc. 28.*

Quatenus vero pertinet ad modum, antiquitus ad terminos juris communis sufficiebat, ut quilibet ex tribus modis adhiberetur: per acclamationem scilicet, per scrutinium, & per compromissum absque necessitate servandi præcisè formam scrutini secreti unde propterea (ut chronicae & diaria docent) aliqua inconvenientia, & forsitan scandala audiri solebant in conclavibus; *Recenset idem Passerin. dict. tract. 6. p. 23.* Quare moderna constitutio Gregorii XV claris explicata, & in aliquibus suppleta per alteram Urbani VIII. certam præscripsit formam in eisdem Constitutionibus quoque delineatam; Ideoque cum in eis inspicere valeat, inane opus esset illam recensere, Conclusaque electione, ea que per electum acceptata, alii actus sunt potius ceremoniales. *Passerin. ubi supra cap. 24.*

Quo vero ad electionem passivam, continuata
 22 trium circiter sæculorum observantia, ab Urbano scilicet sexto citra, qui electus fuit in statu Archiepiscopi Barenis, absque Cardinalia dignitate, docet, quod semper electio sequuta est in persona Cardinalis; Atque hinc vulgus credit, quod qui non est Cardinalis, non sit eligibilis; Quinimò in aliquibus libris aliqua circumferuntur decreta id præscribentia, verum erronea opinatio est, quoniam generaliter quilibet mentis compos, & fidelis, qui hæresis macula non laboreat, seu non sit adeo notorie criminofus, ut scandalum toti mundo produceret, est eligibilis, idque aliqui extendunt etiam ad uxoratos, & ad cæcos, ita tamen ut primo casu uxor professionem in monasterio emittat, atque in altero licet DD. agendo de capacitate cæci ad publica munera, cum distinctione procedant, ut super veniens cæcitas munera, vel officia jam adepta non tollat, impediatur vero, ne alia de novo assequatur; At tamen quatenus ad hanc electionem pertinet, si de facto illa sequeretur, sustineri deberet. *De qualitatibus electi. alii relatis plenè Passerin. d. tract. q. 30. & in specie de cæco Paris. de resignat. lib. 5. q. 9. nu. 45.*

Est bene verum, quod ista videntur ideales quaestiones, cum non de facili hujusmodi casus sint contingibiles, atque exclusionem dictæ restrictionis, comprobatur praxis in omnibus ferè conclavibus, in quibus aliqua vota esse solent

in personis, quæ cardinalitia dignitate non fulgeant, sed ratione prælatuæ sint viri nimium qualificati.

Dicta verò diuturna observantia, casui potius referenda est; Non absque tamen prudenti, ac laudabili consilio, ad instar eorum, quæ ex aliquibus S. Congregationis declarationibus habetur in materia electionis Vicarii capitularis sede vacante, quod scilicet commendabile potius reputatur, ut ea cadat in persona de corpore, seu gremio eiusdem Capituli, quando in eo adsint capaces, & idonei; *In annot. ad Conc. Trid. disc. 31.* In illis enim, qui in Cardinalitia dignitate jam constituti sunt, pro frequentiori contingentia supponenda est major peritia, & experientia; Tum ob munera in statu prælatuæ exerceri solita, tanquam preparatoria ad hujus dignitatis assequitionem; Tum etiam ob experientiam, ac negotiorum Sedis Apostolicæ notitiam, occasione tot sacrarum Congregationum Cardinalitiarum.

Sedis autem papalis vacatio, pluribus modis contingere potest, Primum nempe, pro communi, ac frequentiori contingentia, per mortem naturalem
 24 Papa; quæ sequuta, eiusque cadaveris per Cardinalem Camerarium, cum interventu Tribunalis Camerae facta recognitione per publicum instrumentum, frangitur annulus piscatorius ab eodem Camerario, cui consignatur per illum intimum familiarem, cujus fidei custodia Pontifex vivens, eum commiserat, ac propterea mors publicatur per sonum lugubrem majoris campanæ Capitolii; Istoque sequito toleratur quædam antiqua consuetudo, ut Conservatores populi Romani, qui aliquam, (licet valde superficialem) imaginem jurisdictionis, cum omnimoda tamen dependentia à S. Collegio, reassumunt, aperiunt carceres, atque carceratis
 25 libertatem tribuant, non tamen liberationem; Penè verum est, quod respectu carceratorum pro causis criminalibus, id pro frequentiori contingentia non sequitur, sed solum in us, qui pro levibus causis carcerati reperiantur, cum respectu carceratorum pro causis gravibus, ex diligentia & mandato Cardinalis Superintendentis generalis, ac etiam gubernatoris Urbis aliorumque magistratuum imminente Pontificis morte, illi transmittuntur ad Arcem Hadrianam, seu sancti Angeli.

Alia species vacationis contingere potest per
 26 dimissionem seu renunciationem pontificatus, quam ipse Pontifex ex eius libro, ac determinato consensu faciat, ut fecit Cælestinus quintus, quem Ecclesia tanquam sanctum veneratur; Verum hucusque istud remanet exemplum singulare, adeo frequentius in Imperatoribus & in Regibus id practicum esse historia doceat? Quamvis enim eo tempore, quo præfata dimissio sequuta est, non modica excitata fuerit quaestio potestatis; Eam tamen expresse determinavit Bonifacius Octavus eiusdem Cælestini immediatus successor, per eius Constitutionem in corpore juris insertam, cui qua DD. passim procedunt. *Cap. 1. de renunciat. in 6. Passerin. dicto tract. quest. 8. n. 15.*

Tertia species vacationis, (quam Deus ex eius
 27 misericordia avertat) contingere potest ex crimine hæresis, quod Papa incurrat, vel ex alio simili, per quod magnum, ac notorium scandalum in toto mundo generatur, juxta debitas magisque receptas declarationes de super traditas per decreta conciliaria, vel Apostolica; Sive per magis communem, ac receptum canonistarum, ac Theologorum sensum,

quibus in hoc relatio habeatur, cum ad privatam scriptorem non pertineat super his iudicium proferre. *Agie Passerin. aliorum relator. dicto tract. quæst. 32.*

28 Quatenus verò pertinet ad potestatem seu jurisdictionem Collegii Cardinalium sede Papali vacante; Aliàs desuper per quosdam Cardinales consultus fuit occasione aliquarum disputationum, que inter eosdem habitæ fuerant, in diurno conclavi post mortem Clementis Noni, ad quatuor menses, & ultra protractò in quo Clementis X. electio sequuta fuit, quoniam licet per Constitutionem Gregor. X. in Concilio Lugdunensi, registratam in 6. Decretalium in c. cum periculo 3. de elect. Clarius vero per Constitutionem 63. Pii IV. (quæ latius disponit, Statutum sit ut Collegium, nullam omninò potestatem, aut jurisdictionem habeat, tam in concernentibus gratiam, quam iustitiam, idque rationabiliter, ad accelerandam electionem; Attamen cum in eisdem Constitutionibus limitatio contineatur, ubi scilicet necessitas urgens vel grande periculum imminet; Hinc proinde super huius limitationis applicatione seu verificatione, quæstiones cadere solent.

29 In hoc itaque dicebam mihi videri, quod in primis recurendum esset ad observantiam, quæ in omnibus ambiguis reputari solet optima interpretis, ac interpretationum regina, tam in viventium, & morientium, privatis dispositionibus, quam etiam in legibus, & Statutis decis. 59. num. 12. par. 10. rec. & in omni materia sepius. Ubi verò casus esset omnino novus, ad eundem hæc via deficeret; Tunc dixi quod non de facili certa regula generalis cuiusque casui applicabilis desuper statui potest, cum totum pendeat à particularibus circumstantiis, ex quibus iudicandum est, an verificetur, necne ratio dictæ limitationis, quæ principaliter attendi debet, potius quam cortex & figura verborum, juxta illas regulas seu terminos generales, quos habemus in illis provisionibus, quæ permittuntur iudicibus, etiam postquam eorum iudicium per appellationem vel recusationem, aut recursum suspensa esset, cum similibus.

30 Ut autem facilius, vel respectivè difficilius, arbitrium super hac interpretatione interponatur; Dicebam quod interponendum est ad personarum diversitatem, seu pluralitatem *discursu præcedenti* enunciata, quod scilicet; Aut agitur de negotiis pertinentibus ad Episcopalem, ac ordinariam jurisdictionem Papæ, non tanquam Papæ, sed tanquam Episcopi particularis Urbis, eiusque districtus; Et tunc latior fieri debeat interpretatio, atque major videtur potestas, dum Collegium Cardinalium, verè, & propriè (considerando istam personam) representare seu constituere videtur Capitulum Cathedralis, quod etiam vivente Episcopo, æquè principaliter cum eo concurrat ad efformandum mysticum corpus cathedralicum, cuius Episcopus est caput, capitulares autem sunt reliqua membra, sive ipsum Capitulum est reliquum corpus, cum habituali jurisdictione, cuius exercitium, totum esse solet penes Episcopum, vel partim penes unum, & partim penes alterum, juxta naturam actuum, vel observantiam; Defecto, que capite, totum exercitium, jure consolidationis, vel jure non decessendi, remanet penes reliquum corpus, ut occasione jurisdictionis Capituli sede vacante, aut simultaneæ collationis beneficiorum sede plena, sive pro aliis præminentibus, pluries alibi advertitur, *sub tit. de præminent. disc. 17. & seqq.*

tit. de benef. disc. 30. tit. de Canon. & Capit. disc. 24. & sequentibus & in annot. ad Concil. Tridentin. discurs. 31.

Atque in hoc sensu, sive ista persona attenda, sustentabile est assumptum aliquorum antiquorum Canonistarum, cum quibus, pro consuetu stylo, more ovium, vel avium, quod una volante, vel saltante alia sequuntur; Aliqui moderniores inconsideratè procedunt quod scilicet, Papa & Collegium Cardinalium, constituant unum corpus, cuius caput sit Papa; Collegium autem formet reliquas partes. *Vesir. & add. in prax. in princ. add. ad Oldr. conf. 63. Lotter. de benef. part. 1. quæst. 8. cum aliis enunciatis tit. de jurisd. disc. 34.*

Id etenim rectè procedit in hac persona Episcopi Urbis, ac etiam Patriarchæ occidentis, eodem modo quo Capitulum ecclesiæ Metropolitanæ, una cum Archiepiscopo, non solum efformat corpus cathedralicum propriæ Ecclesiæ, propriæque diocesis, in qua Prælati gerit personam Episcopi, & Ordinarii loci, sed etiam efformat corpus metropolitanicum, cum jurisdictione in suffraganeos, totaque provincia, in qua pariter Capitulum sede vacante succedit.

Nullatenus verò dictum assumptum, verificabile est in altera persona Pontificia, quoniam mysticum, seu politicum corpus Ecclesiæ universalis, constituitur à Papa tanquam capite & ab Ecclesia totius Orbis, efformante reliquum corpus, ad alios tamen effectus, non autem ad illum potestatis vel exercitii usus clavium dum residet penes solum Pontificem, cui singulariter ac immediate Christus dedit potestatem in persona Petri ut supra *disc. præced. insinuat;* Ideoque Collegium nullam habet jurisdictionem vel potestatem nativam, ac habitalem quæ deduci valeat ad exercitium, sicuti habet Capitulum Cathedralis, sed solum habet illam participationem nudi consilii, & adjutorii, quam ipse Papa dare voluit; Eo modo, quo paterfamilias habens amplum patrimonium, quod per se ipsum administrare non potest, assumit aliquos servos, vel familiares in eius adjutorium ac participationem administrationis pro voto consultivo non autem necessario & decisivo, atque jure ministerii potius quam jure condominii; Ideoque magna differentia est inter unum casum, & alterum.

Juxta exemplum prædicatum, quod habemus in Religionibus, quod scilicet aliqua reguntur per diffinitionem generale constitutum ex Prælato generali, tanquam capite, & ex diffinitoribus, & consultoribus, tanquam membris, eorumque jure efformantibus idem corpus religionis, cum voto decisivo & necessario, adeo ut si generalis abeat in unam sententiam, Diffinitores autem pro majori parte abeat in alteram, ab istis conclusi dicitur actus diffinitorii *tit. de regular. pluris.* E converso autem in aliis, puta in Societate Jesu, Generalis est solus Prælati & caput, habet autem Socios, vel assistentes in adjutores, & consiliarios, cum voto consultivo, quod potest non sequi.

Atque non descendendo à foro; Habemus in Curia prædicatum exemplum utriusque Signaturæ Gratiæ & Justitiæ, quoniam utrumque Tribunal pariformiter constituitur ex capite, & membris, dum in Signatura Gratiæ præsidet tanquam caput ipsemet Papa, & interveniunt etiam duodecim seniores Prælati, qui supponendi sunt periti rerum legalium, ac forensium, pro causis decidendis; Et in

in illa Justitiæ, tanquam caput præsidet Cardinalis Præfectus, cum eodem interventu duodecim antiquiorum Prælatorum; Cum hac tamen differētia, quod in primo casu, votum est merè consultivum, quod Papa potest non petere, atque petendo potest non sequi, ut quotidiana praxis docet; In altero autem est necessarium, & decisivum, atque votum Præfecti venit in numero cum aliis. *infra disc. 30. & 31. agendo de his tribunalibus utriusque Signaturæ.*

In hoc autem versatur æquivocum originatum à consuetudine simplicitate, vel ineptia Legistarum procedentium cum solis Majorum traditionibus, eas in cæca fide sequendo, vel transcribendo, absque debito discursu, vel ratiocinio, quod scilicet considerant Collegium tanquam Senatum, cum exemplo Moysis, & Romuli, ac etiam Romani Imperatoris, ita confundendo triticum cum palea, dictosque vel similes casus prophanos pariformiter tractando, non autem distinguendo diversas species.

Longe siquidem diversus est casus Imperatoris Romani, saltem usque ad ea tempora, in quibus tyrannicè ac de facto, spreto auctoritate Senatus, & Populi, Sedes Imperialis, occupari capit, cum vi armorum, vel ex electione exercitus Prætoriani, vel postquam effectus est principatus hæreditarius, quoniam primævis temporibus, jurisdictionio ac potestas erat penes Rempublicam, cujus nomine ac vice, illam exercebat senatus: à quo sive jure, sive ex injuria, loco Consulibus, vel Dictatoris annalis, deputari coepit Dictator perpetuus, qui assumptis nomen Imperatoris (quod erat potius ministeriale, nempe Ducis exercitus, longeque minus quam illud Regis vel Principis, sed ipse in figura capitis erat unum ex membris politici corporis Republicæ, vel Senatus, eo modo quo (ex. gr.) est hodie perpetuus Dux Republicæ Venetæ, cum similibus.

Non sic est casus Moysis, & Romuli, quoniam solus Moyses à Deo electus fuit Dux populi, ipse verò pro eius adjutorio & consilio, ex ipso populo subdito, assumpsit septuaginta seniores, jure ministeriali potius, quam jure condominii; Ita pariter Romulus postquam sub pretextu Religionis vel inobservantia legum, occiso Remo fratre (pro regulari natura imperii non patiendi focium vel æqualem) effectus fuit Rex, & Dominus; pro eius adjutorio, & consilio, in eadem ratione ministeriali, ex populo sibi subdito assumpsit centum seniores, quibus Patrum nomen datum est; Eo modo quo Christus Dominus, in socios, & adjutores assumpsit Apostolos, jure ministerii, non autem coequalis domini cum seipso; Undè propterea dixit, *non vos elegistis me, sed ego elegi vos &c.* Atque hodierna praxis docet hanc diversitatem, quod in aliquibus Regnis, corpus Regni, vel Republicæ æque principaliter constituitur à Rege, tanquam capite, & à Senatu vel Parlamento tanquam reliquo corpore, cum voto decisivo, & necessario, sine quo Rex, bella indicere, & fœdera inire, aliaque graviora negotia peragere non potest; In aliis autem Regnis Rex est Monarcha & Dominus, habet autem Parlamentum, vel Consilium, aut Senatum, pro voto consultivo, ac jure ministerii, non autem Condominii; Et hic est casus Papæ cum collegio, undè propterea, seclusa etiam restrictione dictarum Apostolicarum Constitutionum, Collegium nullam habet participationem jure proprio in potestate

pontificia: eo modo quo habet in potestate, vel jurisdictione Episcopali seu cathedrali: cum ecclesiasticum regimen universale sit verè monarchicum.

Et licet praxis doceat, quod in aliquibus actibus, eius potestas quodammodo restricta videatur à consensu Collegii ut (ex. gr.) habemus in Constitutione Pij V. de non infeudando, & in altera Sixti V. super usu pecuniæ existentis in Arce Sancti Angeli cum finalibus; Attamen (quidquid sit de qualitate seu natura dictæ restrictionis, & an sit physica, & præcisa, vel solum moralis, super quo locus veritati relinquatur;) Attamen id duplici causæ referri potest, Vel scilicet vinculo juramenti per ipsum præstiti, quod eius personam afficiat, juxta ea, quæ supra, *disc. præcedenti*, habentur de capitulis conclavis; Vel quod hæc, & similia non percutiant usum clavium, ac personam vel potestatem pontificiam, sed potius Principatum temporalem, in quo diversa militat ratio, ut *infra*.

Quinimmo, licet Ecclesiæ universalis, quæ per Concilium generale representari solet, conveniat dictum attributum corporis, cujus Papa sit caput; Attamen id non procedit generaliter ad omnes effectus, sed solum ad aliquos, puta vacante sede papali, eligendi novum Pontificem, cujus electorem, vel nominatorem dare oportet, & quæ potestas ab ipsa Ecclesiæ consuetudine attributa fuit collegio Cardinalium; Undè propterea quando contingat vacatio adhuc durante Concilio generali, legitime congregato, intrare solet questio excitata in Concilio Constantiensi, & sopita cum temperamento enunciata, *discursu præcedenti* de qua metum non est agere.

Ac etiam residet alia potestas, non quidem deponendi in ratione auctoritativa, sed declarandi in ratione judicativa, an ille qui de facto sedem Papalem occupat, sit legitimus, necne, Ideoque non est exercere jurisdictionem cum Papa uti Papa, & cum ipsa dignitate, sed cum illa privata persona, & an sit talis, qualem se facit; Illamque potestatem consuetudo non communicavit Collegio Cardinalium, quod propterea ad id procedere non potest sine Concilio, juxta eam sententiam, quæ probabilior videtur, *de hoc etiam agit aliorum relator Passarin. dicto tractat. quest. 6. & 31.* relinquendo in his, & similibus locum veritati, cum ad privatam Doctorem non pertineat ea decidere.

Super hac eadem potestate Collegii, præsertim in conclavi, questionem reassumunt dicti moderni de Pontificis electione tractantes, *Idem Passerin. dicto tract. dicta quest. 31.* an Collegium jurisdictionem habeat cogendi Pontificem jam electum ad declarandum an acceptare velit electionem de se factam; Attamen id non importat exercitium jurisdictionis, cum Pontifice, (ut aliqui æquivocando opinari videntur) sed potius importare videtur certificationem actus conclusionis, electionis, ex quo pendet an ille sit Pontifex, necne, dum pro hujusmodi conclusione seu perfectione, copulativè requiritur uterque consensus activus eligentium, saltem pro duabus ex tribus partibus, ut supra; Et passivus ex parte electi, ne alias res remaneat in incerto; Ideoque non est cogere Pontificem, sed personam privatam, ad declarandum an velit esse Pontifex, atque assumere potestatem necne.

His autem stantibus, quod scilicet in iis, quæ concernunt usum clavium, ac potestatem pontificiam,

ficiam, Collegium nullam habeat jurisdictionem, jure suo: eo modo quo habeat in jure Episcopali Urbis, ut supra; Hinc motivabant aliqui timorata conscientia Cardinales, quod male Collegium se ingerebat, dando secretario Congregationis Concilii vel alteri Episcoporum & Regularium, seu Nuntiis aliquos ordines in concernentibus potestatem ecclesiasticam, seu pontificiam, extra districtum Urbis, ad quem se protendit potestas Episcopalis; Verum dicebam, quod id ubi necessitas, vel justa causa ad prædictarum Constitutionum præscriptum exigeret, rectè fieri valeat ex potestate Patriarchali, intra partes sub hoc Patriarchatu sine dubio cadentes, atque ita tolli dicebam difficultatem.

De mum quo ad ea, quæ concernunt dominium vel principatum temporalem; Sive ipse referatur donationibus & concessionibus Constantini, aliorumque Imperatorum & Principum juxta enunciata, *disc. præcedenti*; Sive deditio populorum, vel alteri cuicumque titulo; Cum Papa consideretur tanquam Princeps temporalis, regulandus jure aliorum Principum temporalium; Hinc sequitur ut habitualis potestas resideat penes Rempubliam, cujus Princeps dicitur mansus, vel primus minister & regulator; Et per consequens ut eo naturaliter, vel civiliter mortuo, ipsa reassumat suæ potestatis exercitium, Sed quoniam istud impossibile est explicari per universam Rempubliam, omnesque populos; Hinc proinde, de generali Principatum consuetudine, illud que transfusum est in aliquem Senatam, vel in alium certum comitalem, qui sit totius Reipublicæ representativus; Eo modo quo (ex. gr.) in praxi Diffinitores, & alii Vocales congregati in Capitulo generali representant universam Religionem, illamque regunt, Idque adaptabile est Collegio in comitiis coadunatis pro electione Principis; Ideoque in hac parte estis potestas latius patet, quam ubi agatur de usus clavium.

In iis autem casibus, in quibus respectivè, ut supra, jurisdictionis vel potestatis intrat durantibus executis ante ingressum conclavis, negotia explicantur in congregationibus quotidie haberi solitis ut supra; In conclavi autem, ob Collegii continuas occupationes in binis scrutiniis, quæ de mane & de sero fiunt pro futura electione, explicantur per tria Capita ordinum, quæ quotidie per circulum deputantur, idque ritualia potius concerni; Aliaque ad hanc materiam insinuant dicti Moderni de hac electione tractantes cum ista non sit formalis tractatio, sed simplex relatio rerum magis practicabilium.

DISCURSVS IV.

Quomodo Papa suam jurisdictionem vel potestatem exercent, in omnibus ejus principatibus, vel personis, tam per se ipsum, quam per eius Officiales, & Magistratus; Et quinam isti sint; Et præsertim de Legatis, & Nuntius.

S V M M A R I V M.

- 1 **A**ntiquitus Papa solus suum munus explebat & quare.
- 2 De origine sive introductione Cardinalium.
- 3 De communicatione regiminis facta Cardinalibus, & introductione Consistorii.
- 4 De Vicario, aliisque Cardinalibus Officialibus Papa, & de aliis officialibus.
- 5 De eodem, & de distinctione Officialium in Curia, & extra.
- 6 De Consistorio Cardinalium.
- 7 Qui sint Iudices & Officialis in Curia, & Congregatione Cardinalium.
- 8 De Officialibus, & Tribunalibus tam Principatus temporalis quam ecclesiastici.
- 9 De Officialibus Palatii seu particularibus.
- 10 Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi sunt etiam Officialis Pape, & de ratione.
- 11 De Legatis de latere, eorumque jurisdictione, & potestate, ac præminentis.
- 12 De Legatis Ordinariis provinciarum status ecclesiastici.
- 13 Auditor vel Locum tenens generalis Legati, quam potestatem habeat.
- 14 De potestate Legatorum Ordinariorum, & anstantiant contrarius.
- 15 De Vicelegato, eiusque potestate.
- 16 De Nuntiis Apostolicis, & Internuntiis, vel Collectoribus.
- 17 De Gubernatoribus, & Præsidibus Civitatum, & provinciarum status ecclesiastici.
- 18 Quod isti sint magistratus seculares, sed eis quandoque communicatur iurisdicchio cum clericis, & ecclesiasticis.
- 19 De occupationibus Pape in singulis diebus, & horis.
- 20 De bonis effectibus exinde resultantibus, bonoque civili regimine huius principatus.
- 21 Quod bonum regimen proveniat ab integritate Officialium, & ministrorum.
- 22 De gubernio tempore pestis.
- 23 Quando attendi debeat potius causa virtutis, quam ipsa virtus, & quando? e contra.

Quamvis illa eadem potestas, ac jurisdictionis, quam habet, & exercet hodie Papa, saltem juxta duas, vel tres distinctas ecclesiasticas personas, Episcopi scilicet Ecclesiæ universalis, & Patriarchæ Occidentis, ac etiam Episcopi particularis Urbis, esset quoque penes illos primitivæ Ecclesiæ Pontifices, qui in criptis, & splendens vitam ducere, ac pontificias partes occulto explere coacti erant, in summa etiam paupertate vivendo, atque carceribus, & tormentis, ac martyrio subiecti; Attamen cum ob gentium ac tyrannorum persecutiones, & oppressiones, exiguumque fidelium numerum, eorum munus circa merè spiritualia, & sacramentalia, pro frequentiori exercitio consisteret, per epistolas solum ab aliarum mundi partium Episcopis consulti super rebus ad fidem spectantibus, super sacre Scripturæ interpretatione; Et quandoque (licet rarè & occulte) aliquod Episcoporum Concilium celebrantes; Hinc proinde, per se ipsos, absque tot Officialium, ac Magistratum opera, vel adiutorio, dictas merè spirituales partes explicabant.

Excretō autem paulatim fidelium numero in Urbe, eadem tamen infidelium persecutione adhuc durante, ut inter clericos & ecclesiasticos ministros confusiones tollerentur, atque oves proprios, ac distinctos cognoscerent pastores, & e converso isti eas cognoscerent; Primō S. Dionysius occasione divisionis universalis totius Orbis in dioceses, deindeque S. Pontifex Marcellus plurimum Ecclesiarum, formalium potius quam materialium in numero viginti quinque distributionem fecit in Urbe sub nomine titularum, dum tunc publicus usus, vel cultus Ecclesiarum consecratarum non permittebatur usque ad tempora Constantini, sed in aliqua domo, vel cripta, occulte fideles ad sacrificia, aliaque divina peragenda congregabantur, ac propterea fuit potius distributio regionum, vel contratarum, tanquam per speciem subalternarum diocesium, ut fideles in ea contrata, vel in certis finibus viventes, ita suam Ecclesiam parochialem constituerent; Cumque excrecente fidelium numero, illi, qui tanquam parochi seu pastores præpositi fuerant, in omnibus supplere non possent; unde propterea inferiores clericos, & ministros, in adjuutores assumere oportet; Hinc proinde ipsi principales clerici, seu parochi, fixè additi seu inordinati, clericum representare ceperunt, atque Pontificem eligere, ita inordinatorum seu Cardinalium nomen seu vocabulum assumendo.

Postquam verò suscepto per Constantinum Magnum baptisinate, sub Pontificatu sancti Silvestri, tranquillitas Ecclesie secuta est, materialium Ecclesiarum consecratarum usus publicus haberi cepit, penèque universi Orbis fidem suscepit, Nec non (juxta unam opinionem) ex donatione Constantini Pontifex temporale principatum quoque adeptus est, Hinc excretis negotiis, & occupationibus, cum formali determinatione causarum, eisdem parochos, vel Cardinales, quos ut supra, prædecessores Pontifices in depresso persecutionum status, socios & adjuutores assumpserant pro Sacramentorū, & divinarum administratione Pontifices successores, in hoc statu meliori assumpserunt etiam in socios, & adjuutores, seu consiliarios, pro causarum, ac negotiorum Ecclesie determinatione, unde propterea invaluit usus Consistorii, id est congregationis Papæ cum Cardinalibus pro dictis negotiis explicandis, Adinstar illius prophani Consistorii, quod Princeps, vel Imperator, cum senatu constituebat; Incertumque est in illis primævis temporibus, an statutis diebus, vel solum quando necessitas vel oportunitas exigeret, id sequebatur; Unde propterea relinquendo locum veritati, super hoc primævo rerum statu, de quo ad antiquarios potius curiositatis, vel eruditionis gratia, agere perinet, quam ad forenses; In posteriori tamen tempore, de quo Juriste loquuntur, *Vest. & ad. in prax. in princ.* usus erat, quod bis in hebdomada fiebat Consistorium, in quo, in forma iudicii, prævia discussione, per partium Advocatos, & Procuratores, omnes causæ, etiam contentiosæ inter privatos decidebantur, eo modo, quo de præfenti fit per Rotam, aliaque Tribunalia; *De his agit infra disc. seq. & tit. de iurisdict. disc. 34. & in prima discept. Cardin. de subicis impress. post eundem tit. de iurisdict.* Atque propterea inolevit usus Advocatorum, & Procuratorum palatii seu Consistorialium, ac scilicet, cuique ignoto, ac non probato causidi-

co pateret aditus ad causas, quæ in Consistorio Papæ & Cardinalium tractabantur, ut infra in Procuratorum & Advocatorum Rubrica advertitur. *Inf. in discursu in quo agitur de Curialibus.*

Magis autem crescente exsultatione auctoritatis Pontificis, ac etiam Cardinalicia dignitate, graviore solum causæ tractari ceperunt in Consistorio, quod proinde semel tantum in hebdomada haberi cepit, alias verò causas idem Pontifex cognoscebat, ac decidebat in capella, cum voto & interventu ejus Cappellanorum, unde prodit Tribunal Rote, ut infra in eius particulari rubrica habetur *infra disc. 32.*

Atque sicuti aliæ Ecclesie Cathedralis & Metropolitanæ suos Officiales habebant fixos, quorum unus esset adjutor, seu Vicarius Episcopi in temporalibus, nempe Archidiaconus, & alter in spiritualibus, nempe Archipresbyter, ac etiam habent Cancellarium, & Oeconomum; *De præcipient. disc. 20.* Ita Papa Episcopus Ecclesie universalis, pro exercitio jurisdictionis temporalis, habebat in Vicarium Cardinalem Archidiaconum, & pro illo spiritualis Cardinalem Penitentiarium, nec non Cancellarium, qui tanquam Notarius vel Secretarius explicaret acta Consistorii, & alia, quæ per Papam gerebantur; Ac etiam Cardinalem Camerarium, qui gereret eas partes, quas in inferioribus Ecclesiis gerit Oeconomus major, seu generalis mensæ Episcopalis, unde propterea magna erat auctoritas Archidiaconi, & Penitentiarium; Verum suppresso postmodum officio, vel dignitate Archidiaconi, eius auctoritas in temporalibus, paulatim penè tota transit in Camerarium, cujus munus in magna parte hodie explicant Auditor Camera, & Governator Urbis, ac etiam Tribunal Camera, ac alia ipsiusmet hodierni Camerarii, & Thesaurarii generalis, ut inferius in particularibus eorundem Tribunalium rubricis insinuat.

Attento verò præsentis temporis statu, (de quo ad rem agere pertinet,) Retentaque pluries insinuata distinctione personarum in Papa, nempe Summi Pontificis, & Principis temporalis Status ecclesiastici, ac etiam Episcopi particularis Urbis; Idem Papa duas habet species, officialium, ac ministrorum pro hujusmodi regimine, unam scilicet in Curia, & alteram extra; Et quamvis in plerisque Tribunalibus, vel officiis, dignoscatur personarum vel principatum distinctio, attamen in plerisque aliis ea non dignoscitur, sed promiscuè negotia pertractantur, ad omnes dictas personas respectivè pertinentia, ut in singulorum Tribunalium ac Magistratum, vel officiorum particularibus rubricis advertitur.

Agendo itaque de illis Curia Romana, Papa præsentis, omnium primum, ac majus & supremum quod omnia negotia omnium principatum, vel personarum habitualiter complectitur, est præfatum Consistorium Papæ, cum omnibus Cardinalibus, licet actualiter, seu in exercitio aliqua tantum graviora negotia in eo tractentur, ut infra *disc. seq.*

Post

Post Consistorium verò, sunt hodiè nonnullae Congregationes Cardinalium, quae ignota fuerunt antiquis Scriptoribus, qui de Romana Curia praestigere professi sunt, utpote postmodum erectae, ex eodem Cardinalium Collegio vel cœtu constitutae, quales sunt, Congregatio universalis Inquisitionis, quae sancti Officii vulgo dicitur Concilii Tridentini; Episcoporum & Regularium; Consistorialis; Rituum Ecclesiasticorum; Immunitatis Ecclesiasticae; Fabricae sancti Petri; Indicis librorum; Consulta; Aquarum Confinium, & Viarum; Indulgentiarum, & Reliquiarum; Propaganda fidei; Boni regiminis, Visitationis Apostolicae, reformationis Regularium; Ac etiam quandoque illa Status, aliaque extraordinaria, & particularis, quae per Papam particulariter, pro aliquibus negotiis deputari solent; Ultra multa Tribunalia merè forensia, quibus mediantibus, idem Papa omnes causas, ad utrumque principatum, atque ad Episcopatum respectivè pertinentes cognoscit, ac decedit, ut infra.

Distinguendo autem eas Congregationes, vel Tribunalia, quae peculiaria sunt, sive distincta singulorum principatum, ab iis, quae sunt communia, seu promiscua; Quatenus pertinet ad personam Episcopi particularis Urbis, negotia hujus fori Episcopalis pertractantur per Cardinalem Vicarium, alioque hujus Tribunalis officiales, ac etiam per S. Congregationem Visitationis Apostolicae.

Negotia verò pertinentia ad principatum temporalem, absque mixtura alterius figure vel Episcopatus in Urbe, eiusque districtu, vel personae Pontificiae, tractantur per Tribunalia Gubernatoris & Senatoris, forique Capitolini; Generaliter verò per universum Statum, sunt Congregationes consultae, & boni regiminis, & Aquarum Confinium, ac viarum; Ac etiam in Urbe adsunt aliqua Tribunalia particularia pro certo genere causarum, cum aliqua majori amplitudine; Ut sunt (exempli gratia) Gubernator Burgi, & alia Tribunalia, quae recensentur infra sub Tribunali Camerae; Ultra infinitum pene numerum Judicum particularium aliquarum Ecclesiarum, vel locorum piorum, vel Collegiorum, & artium; Ut quoad forum ecclesiasticum sunt, Archiepiscopi, trium Basilicarum Patriarchalium, & Cardinales titulares, in suis respectivè titulis; Et respectu fori temporalis, sunt iudices artium & collegiorum, seu ministeriorum.

Quo verò ad majorem dignitatem ecclesiasticam, seu pontificiam, pro regimine Ecclesiae universalis, sunt superius enunciatae Congregationes; Inquisitionis universalis; Concilii Tridentini; Episcoporum & Regularium; Consistorialis; Rituum ecclesiasticorum; Immunitatis ecclesiasticae; Propaganda fidei; Indicis librorum, & Indulgentiarum, Fabricae, & aliae, utpote percutientes negotia Ecclesiae in universum.

Tribunalia verò magis contentiosa, quae promiscuè tractant causas, & negotia utriusque principatus, ecclesiastici & temporalis, ac etiam Episcopatus Urbis, pro instantiarum di-

versitate respectivè, sunt illa; Utriusque Signaturae Gratiae & Justitiae; Rota Camera, Auditoris camerae Thesaurarii; Et Camerarii; Ac etiam quaedam Tribunalia pro regimine Urbis, quae eandem habent mixturam utriusque potestatis ecclesiasticae, & temporalis; ex persona scilicet Episcopi, & Principis, ac etiam quandoque extra districtum, ex persona Pontificis; ob communicatas facultates etiam cum personis ecclesiasticis, ut est Tribunal Aedilium seu Magistrorum viarum; ac etiam sunt Praesidentes Annonae, Granae, Zecchae, Riparum, & viarum, ac similes.

Habet item Papa plures particulares Officiales, ac ministros pro suis respectivè muneribus, ac personis ut supra explicandis, ut nempe sunt, Cardinalis superintendens generalis Status ecclesiastici, primusque, ac magis intimus, & fiduciarius Papa minister, qualis est ille, qui, sive per veritatem, sive per affectionem, Cardinalis nepos dicitur, & qui apud vulgus Patronus nuncupatur; Item Secretarius Status, Datarius, Secretarius brevium, Domesticus Auditor, & Palatii Praefectus; Et eiusdem Palatii magister; Ac etiam sunt, Vicecancellarius, Poenitentiarum major, Et Camerarius, quorum singuli dependentes, ac subordinatos habent officiales, & ministros, ideoque aliquam constituunt speciem tribunalis; Ultra alios ministros aulicos, qui non soli servitio personae addicti sunt, sed etiam regimini doctorum principatum, puta Secretarius literarum, vel brevium ad Principes Secretarius memorialium, Elemosynarius, Secretarius cistarum, & similes.

De singulis autem dictis Magistratibus, & Officialibus vel Tribunalibus agendo insinuatur, in quibus eorum munus versetur, & quando eorum viva vocis oraculo deferatur.

Extra Curiam verò, spectata majori, seu principali persona Summi Pontificis, in concendentibus regimen Ecclesiae universalis; Sub nomine Officialium, & adiutorum Papae, juxta unam opinionem, veritatem receptam, ac in Curia (quam tamen, ut aliis dictum est, aliqui Ultramontani non de facili admittunt) largè, seu mediate, recensentur; Catholici Patriarchae; Primates, Archiepiscopi, & Episcopi; alique inferiores Praelati, spiritualem seu quasi Episcopalem jurisdictionem habentes. Cum etenim Papa dicatur Episcopus Ecclesiae universalis, ac Ordinarius Ordinarium, habens universum mundum pro diocesi, ut supra *discursu* 2. advertitur; Hinc per necesse danda est haec subordinatio, quod scilicet alii Praelati, quamvis in pontificali dignitate, vel ordine constituti, censendi sint quidem pastores sibi commissorum gregum vel ovium, ita pro meliori regimine distributorum, sed subordinati primo pastori, a quo, vel cum cujus auctoritate praepositi sunt, juxta illam proportionem, quae cadit inter Episcopum, & parochos vel plebanos singulorum locorum diocesis; Si etenim haec subordinatio non adesset, non possit Papa interdicare Episcopis, ac Praelatis provisiones beneficiorum, quae sub Apostolicis reservationibus vel affectionibus cadunt, aliaque multa eis prohiberi, sibi que reservare, quae inspecta jurisdictione nativa, & antiquorum Canonum dispositione, sunt juris Episcopalis.

Magis

Magis proximè autem, magisque immediatè, inspecta eadem persona pontificia, ejus vicarii seu officiales sunt; Primo loco extraordinarii Legati Apostolici, qui juxta modernam praxim, nonnisi constituti in cardinalitia dignitate deputari solent, & qui de latere dicuntur, apud Reges, & magnos Principes pro bellis componendis, vel pro fœdere adversus infideles, vel hæreticos, & similibusque gravioribus negotiis; Antiquiori autem tempore historiae docent, quod etiam non constitutis in cardinalitia dignitate, hoc munus demandari solebat.

Istorum Legatorum extraordinariorum, qui ut supra de latere dicuntur, magna esse solet auctoritas, ea tamen certam ac uniformem non habet regulam; Generaliter etenim pro regula statui potest, ut eis in sibi commissa provincia, vel regione, competant omnes illæ facultates, quæ competunt Episcopis in eorum diocesisbus *Cavaler. dec. 15. num. 2.* Et ulterius Papa solet multas facultates eis communicare circa collationem beneficiorum reservatorum, & concessionem aliquarum dispensationum, aliarumque gratiarum & indulgentiarum, in magis, vel minus ampla forma, adeo ut hujusmodi Legati habeant formalem Datariam, eisque plures Prælati, tanquam officiales & ministri assignari soleant, & præsertim unus ex Rotæ Auditoribus, qui Datarum, & consilium partes expleat, ut tanquam peritus, consulere valeat, quænam pro Sede Apostolica stylo, concedi, vel respectivè denegari debeant, atque ad hunc effectum eisdem etiam assignantur aliqui inferiores ministri versati in Dataria, & Cancellaria Apostolica.

Item hujusmodi Legatorum in loco legationis magna est præ eminentia supra omnes Prælatos, ac etiam supra Cardinales, quamvis antiquiores, ac aliàs digniores; Ad instar illius Canonici qui gerendo munus Vicarii generalis, vel officialis Episcopi, alios Canonicos vel Dignitates majores præcedit, Ideoque eo præsentem, ad ipsum pertinet pontificales solemnitates; vel præ eminentias explicare, tam circa præ eminentem sessionem in choro elato, quam circa impartitionem solemnem benedictionis populi, ac erectionem crucis, cum similibus, à quibus Episcopus in propria diocesi abstinere. *de his & aliis Gambar. de potestate legati Ver. migliol. cons. 442. Surd. cons. 403. ambo in eodem casu an Legatus disponat ab ordine subdiaconatus, & an disponat contra jus Rot. dec. 171. p. 5. rec. dec. 207. n. 34. apud Posth. de subhast. & apud Bich. dec. 381.*

Altera est species Legatorum ordinariorum, qui pariter nonnisi ex Cardinalium Collegio, juxta hodiernam praxim, deputari solent, pro regimine vel supremo vicariatu aliquarum Provinciarum vel ditionum Status Ecclesiastici; Ut attentè pariter hodierna praxi, sunt Legati, Avenionensis, Bononiensis, Ferrariensis, Urbinate, & Amilii seu Romandioli; Quamvis in ista ultima provincia, legatio non sit fixa sicuti sunt alie, dum nostrà ætate, sub Urbano VIII. & Innocentio decimo, illa committi consuevit regimini Prælati sub nomine Præsidentis; Et quandoque (licet rarò) in guberniis præsidialibus seu provincialibus, Marchiæ cujus Civitas residentialis est Maceratenfis; Et Umbriz cujus civitas residentialis est Perusina; Et Patrimonii cujus civitas residentialis, est Viterbiensis; Cardinalis Legatus deputari consuevit, pro

Card. de Luca. Relatio Curia Romana.

ut temporum opportunitas exigeret.

Ista verò Legatorum species, percutit potiùs alteram personam Principis temporalis, dum eorum munus principaliter concernit regimen temporale, ideoque censendi sunt Præsides seu Vicarii provinciarum principatus temporalis; Eo modo, quo (ex-gr.) Rex Catholicus in Italia deputat Proreges vel Gubernatores, & Vicarios in principatibus ejus monarchiæ annexis; Vel; magis proximè, erant illi Præsides Provinciarum Regni Neapolitani, qui sub nomine Proregum, & Vicariorum deputabantur. quando dictum Regnum proprium Regem ibi residentem habebat.

Bènè verum est, quod in hujusmodi Legatis verificatur illa eadem mixtura utriusque, regiæ, & pontificiæ potestatis, quæ ut supra practicatur in pluribus Tribunalibus, ac Magistratibus Curia, quod scilicet quamvis principaliter præponatur regimini temporalis juxta dicta exempla, adèd ut eorum Auditor generalis, qui est Judex ordinarius causarum ad ejus forum pertinentium, dicatur potiùs Judex laicus, ut quandoque practicavi in Signatura; Attamen Papa aliam pontificiam personam induendo, plures eis communicat ecclesiasticas, seu spirituales facultates, majores, vel minores, juxta temporum opportunitates, illos præsertim constituendo Judices appellationum, & recursum ab Ordinariis, aliisque Prælati, cum eisdem præ eminentiis ecclesiasticis, de quibus supra, juxta diversam praxim seu observantiam, cui nimum in hoc deferendum est.

Istorum verò Legatorum potestas magis restricta est, adèd ut, legibus canonicis vel civilibus derogare, vel dispensare non possint, neque illa concedere vel statuere, quæ sint eis contraria; Undè propterea in casus contingentia pluries per Rotam decisum fuit, ut Constitutiones Legatorum, seu localia Statuta cum eorum auctoritate confirmata, attendi non debeant in iis, quæ de directo sunt contra jus; Nisi antiqua recepta consuetudo, pro ipsarum legationum diversis moribus, aliter suadeat. *apud Bich. dicta decis. 381. dicta dec. 207. apud Pest. de subhastat. Duno. zort. dec. 527. n. 4.*

Hujusmodi Legatis, Alter officialis per Papam adjungi solet, in Prælatura statu constitutus, qui Vicelegatus nuncupatur, isque ex quodam recepto usu, tanquam Legati Vicarius generalis, eisdem exercet facultates indefinitè. Legato absente, ut praxi docet in Vicelegato Avenionensi; dum ea Legato committi solet dicto Cardinali primo ministro, qui nepos dicitur, atque continuo residet in curia apud ipsum Papam, atque ipso Legato præsentem, adhuc aliquas habet facultates juxta cujuslibet legationis praxim vel observantiam, cui deferendum est. *Gratian. disc. 166. n. 1. dec. 73. p. 5. rec. num. 17. & in de donat. disc. 2.*

Habet etiam Papa tanquam Papa, aliam speciem officialium, & magistratum extra Curiam, nempe Nuntios assistentes, apud Imperatorem, ac Reges, aliosque supremos Principes, eisque, juxta pariter diversos stylos, vel temporum, ac rerum contingentias, jura seu facultates Legati conceduntur; Tam circa collationes aliquorum beneficiorum, ut præsertim occasione facultatum Nuntii Hispaniarum, conferendi beneficia non excedentia valorem 24. ducatorum.

D d

rum.

rū frequenter disputari contingit; *sub t. debent. plur.* Quam etiam circa aliquas dispensationes, aliasque gratias; Ac etiam juxta diversos stylos, quibus deferendum est, sunt Judices appellationis, & recursuum ab Ordinariis locorum; In iis verò Regnis, & principatibus, in quibus ipse Princeps non resideat, sed ejus Vicarius, vel alter supremus Magistratus, Papa deputat officiales sub nomine collectorum vel internuntiorum seu Residentium, qui quamdam Nuntiorum imaginem habent, eisque facultates majores vel minores communicari solent juxta diversos stylos. *de Nuntiis Apostolicis cum dicta distinctione tit. Miscellan. Ecclesiast. disc. 22. & 23.*

17 In principatu temporali, qui sub nomine Status ecclesiastici explicatur, deputat etiam Præsides & Gubernatores, qui magistratus merè seculares reputantur, iique pro frequentiori contingentiā, in Prælatuæ statu constituti, sunt, exceptis parvis Civitatibus, & locis, in quibus deputantur simplices togati cum illa subordinatione, de qua habetur infra agendo de Tribunali Consultæ. *infra disc. 25.*

18 Aliquando tamen in casibus particularibus eisdem Gubernatoribus communicari solent facultates procedendi etiam contra clericos, & personas ecclesiasticas, unde propterea dicta mixtura utriusque potestatis verificatur, ut etiam in Gubernatore Urbis praxis frequenter docet ut loco citato advertitur.

Ipsius autem Papæ, magna, & continua est occupatio, adeò ut nimis laboriosum, ac onerosum munus reputetur; Siquidem ultra adeò frequentes, & longas occupationes spirituales in cultu divino, in Capellis scilicet, & processionibus, aliisque functionibus hujusmodi singulis diebus, ordinarias, & extraordinarias habet occupationes, quæ totam penè diem absorbent; Qualibet enim die, postquam missam celebravit, atque divinum officium recitavit, audit Datarium pro beneficiorum provisionibus, aliisque negotiis pertinentibus ad Datarium de quibus infra in ejus Rubrica, & supplicationes signat; Et expedito Datario, audit Secretarium brevium, aliaque expedit negotia pertinentia ad istam Secretariam, de qua pariter infra in ejus Rubrica agitur, signando minutas; Istaque occupatio est continua singulo quoque mane, quando non sint dies solemnes in quibus Capellis, aliisque divinis vacandum fit.

Prout singulis diebus, post prandium, vel alia statuta hora, audit dictum Cardinalem superintendentem generalem tanquam primum, magisque fiduciarium ministrum, atque cum eo de gravioribus negotiis agit, nec non Secretarium Status; Deindeque Secretarium memoria- lium, & Auditorem, domesticum alioque audit. Palatii Officiales, pro negotiorum qualitate; Istaque occupationes sunt continuæ singulis diebus.

Discontinua verò sunt; Die Lunæ de manè tenetur Consistorium, in quo ut in Consistorii rubrica sequenti, advertitur, Cardinales auditi; Ut etiam eos audire solet in aliis Cardinalitibus Congregationibus de quibus infra; Die Martis, alternatim habetur Signatura Gratiæ, & Congregatio examinis Episcoporum; Die Mercurii est audientia generalis officialium, nempe Gubernatoris Urbis; Auditoris Camerae, Thesaurarii Generalis, Senatoris Urbis; Vicegerentis;

Secretariorum Congregationum; Præfectorum annonæ, & gratiæ, plurimumque aliorum officialium; pro negotiorum qualitate; Die Jovis, habetur coram eo Congregatio Inquisitionis universalis, quæ Sancti Officii dicitur; Die Veneris audit plures Oratores Principum, juxta eorum ordinem, ac distributionem; Die Sabbati audit quoque plures alios Principum, & Civitatum, Oratores, nec non denuò audit dictos Officiales vel eorum aliquos pro negotiorum urgentia; Et die Dominico, quando Cappellæ impedimentum non adfit, audit Episcopos venientes ad limina ac etiam Generales aliosque superiores Religionum; Atque in singulis diebus in iis spatiis, quæ supersint, privatas præstat audientias; Ultra audientias extraordinarias Oratorum Principum, Cardinalium, & officialium; Ac etiam ultra extraordinarias Congregationes, quæ coram eo haberi solent in aliquibus anni temporibus super Canonizationibus, vel Beatificationibus; Aut in negotiis pertinentibus ad Congregationem propagandæ fidei; Vel in negotiis Status, aut publicæ annonæ cum similibus; Et quandoque; juxta diversos Pontificum stylos (nimium quidem commendabiliter,) ex improviso coram eo evocari solent, Rota, Camera, Signatura Justitiæ; Et alia Tribunalia, ut audiat quomodo causæ bene examinentur, ac justitia ministretur; Ideoque (ut præmissum est) occupatissimum, & laboriosissimum est munus, quod exercetur, vel quod exerceri debet. Mutantur autem quandoque dies aliquarum enarratarum functionum, præsertim Consistorii, & examinis Episcoporum, ob impedimenta, quæ in consuetis diebus contingant, sive quod ita exigat negotiorum urgentia, ob quam Consistorium extraordinarium convocare congruat.

Atque ultra dictas occupationes, alias plures patitur, pro extraordinariis contingentiis, pro quibus, etiam singulis diebus, & horis, epistolas seu apodissas certioratorias recipit à Cardinalibus, & ab Oratoribus Principum, ac etiam ab officialibus prædictis, & præsertim à Gubernatore Urbis; Immo aliqui nimium vigilantes Pontifices studere solent, atque solliciti esse, ne ab officialibus, & ministris circumveniantur, etiam à privatis civibus, vel à religiosis viris, ita per hujusmodi certioratorias literas vel apodissas, occultò certiorati de iis quæ contingant; Ac etiam Procuratorem fiscalem, & Barisellum, aliosque inferiores ministros, ut potè bene informatos ad audientiam admittere quandoque solent, quoniam Princeps omnia scire debet, quæ contingunt, quamvis plurimum notitiam non habere, frequenter dissimulare expediat.

Ex hac autem continua audientia, & applicatione Pontificis per seipsum; Ac etiam ex eo quod sit Princeps, qui à statu privato, per gradus ad illum apicem evehctus est, ideoque bene informatus, valde proficui resultant effectus, atque revera optimum est hujus principatus regimen civile, seu pacificum (non tamen in belligeris, in quibus clericorum, & ecclesiasticorum, nulla, vel parùm felices esse solent partes ita forte ipso Christo Domino disponente,) Rarè siquidem fortè inveniuntur magnæ, ac metropolitice Civitates, quæ tot magnates ac nobiles, & potentes viros habeant, in quibus nulla audiatur pauperis ac popularis oppressio, sed quod æqua-

liter

liter, cuilibet jus suum tribuatur, atque à maximo ad minimum, æqualis sit justitiæ, & obedientiæ sarcina; (Cum ea tamen circumspeditione, quam ubique, ex quadam congruentia praxis docere videtur in Oratoribus Principum ut infra in eorum particulari rubrica advertitur); Atque per universum Statum ecclesiasticum, illum præsertim, qui immediatè regitur per Gubernatores, & Præsides, sub directione illius valde proficiat Congregationis, quæ Consula dicitur, de qua infra in ejus particulari Rubrica *infra dicto disc. 25.* rectè verificatur id, quod sacra Scriptura de temporibus Salomonis refert, quod scilicet libere vivat sub sicu sua & sub vite sua, (quod facit Deus ut semper conservetur, ut conservandum speratur, Pontificibus in hac vigilantia perseverantibus.)

Nimium quoque pro hoc optimo, vereque exemplari civili regimine, prodest eximia qualitas ministrorum, ac operariorum, ac præsertim Præsidium, & Gubernatorum localium, qui præsidatus, & gubernia, non affectant, neque emunt ad lucrum, & ditationem, ut justitiam vendant, vel criminum punitionem delinquentes cum pecunia re limant, dum sunt viri nobiles, & divites in Prælaturæ statu constituti, hujusmodi munera assumentes, & exercentes pro solo merito, atque ut ita gradus sibi constituant ad majora munera, primariaeque dignitates, non autem ut in guberniis, cum ipsorum emolumentis, vivant, vel lucentur; Quinimò potius de proprio, magis, ac notabiles sumas erogando, non solum eorum concedenti, & honorifica sustentatione, atque pro Principum, & Magnatum splendidis hospitacionibus nomine Papæ, eorum sumptus; Sed etiam quandoque notabiles summas de proprio erogando in diligentibus, pro habendis, ac puniendis malefactoribus, ac delinquentibus; Ut etiam in Curia in tot Prælatibus, qui munera & judicaturas exercent, praxis docet, ut agendo præsertim de Tribunalibus utriusque Signaturæ, ac Rotæ, & Camera inferioris advertitur; Istaque revera est in aliquibus principibus petra scandalorum, quod scilicet Judices, & Gubernatores, ac Præsides, alique officiales munera, & officia affectant, ad solum lucrum & ditationem quod manifestam habet implicantiam cum re ipsa justitiæ administratione, rectè quoque regimine Reipublicæ.

Præsertim verò, nostra ætate istam compa-
 22 rationem docuit casus pestis quæ aliquas Italiae partes adeo vexavit, dum in Urbe, quamvis nimium grassata esset, nullum penitus inconveniens visum, vel auditum est, tam circa omnium victualium consuetam affluentiam, liberumque commercium, absque aliqua pretiorum alteratione, quam etiam circa infirmorum curacionem, & mortuorum sepulturam, de nocte, absque aliquo clamore, vel tumultu, adeo ut, in tam notabili strage hujus divini belli, nec unum quidem cadaver visum fuerit per Civitatem; Idque ex vigilantia Congregationis desuper constitutæ, ex iis Cardinalibus, qui occasione legationum, vel guberniorum, magnam habeant peritiam in regimine hujus temporis calamitosi, occasione alterius belli divini, quod aliquas Italiae superiores partes prius vexaverat; Ac etiam, ob nimiam vigilantiam, & assistentiam Prælatorum, qui desuper deputati fuerant in lazareto, & in singulis regionibus, & contractibus, dum non

Card. de Luca. Relatio Curia Romana.

solum exactissimam adhibebant personalem operam, ac diligentiam, omnino gratuitam absque minima, ne quidem imaginabili utilitate; Verum etiam erogabant notabiles summas de proprio ære, in eleemosynas, ac subventiones indigentium; Nimum quoque cooperante omnimoda æqualitate exactissimæ obedientiæ, in qua Magnates, ac primarii viri intimos, ac plebeos vincebant; Ac etiam ob severam irremissibilem punitionem aliquorum inferiorum operariorum, qui non bene in proprio munere se gererent; Et in summa, ut ab officialibus, ac regentibus absint sordes, quarum mixtura nunquam bonum regimen Reipublicæ producere potest.

Et licet ab aliquibus dici solet, quod istæ bonæ Prælatorum operationes non ex virtute charitatis & justitiæ, sed ab ambitione proveniunt, Eis tamen replicari potest, quod pro bono Reipublicæ gubernio, ac justitiæ administratione effectus attendi debet, non autem causa, dum apud Deum, & in foro interno, ex sanctorum Patrum testimonio, non virtus, sed causa virtutis attendi debet, sed apud homines, atque in foro externo, effectus, vel exercitium virtutis, non autem causa desideratur.

DISC. V.

De Consistorio, & de causis, ac negotiis, quæ in eo tractari solent; Ac etiam de Collegio Cardinalium, eorumque jurisdictione, & prærogativis; Et de Congregatione consistoriali.

SUMMARIUM.

- 1 De vocabulo Consistorii quid significet.
- 2 De duplici specie Consistorii.
- 3 De Consistorio solemniter publico.
- 4 De functionibus quas in eo faciunt Advocati consistoriales.
- 5 De Consistorio semipublico.
- 6 De Consistorio secreto, & qua die celebretur.
- 7 De modo accessus ad Consistorium.
- 8 De audientia, quam Papa præstat Cardinalibus in Consistorio.
- 9 De negotiis, quæ tractantur in Consistorio, & præsertim de promotione Cardinalium.
- 10 Quando dicuntur veri & perfecti Cardinales.
- 11 De aliis solemnitatibus in promotione Cardinalium.
- 12 Quæ persona soleant ad hanc dignitatem promoveri.
- 13 Quare Regulares aliquando promoveantur.
- 14 Et de eorumdem promotione ad Episcopatum.
- 15 De provisione Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum.
- 16 De Episcopatibus titularibus in partibus infidelium.
- 17 De modo promotionis Episcoporum actualium.
- 18 Monasteria consistorialia providentur in Consistorio.
- 19 De traditione pallii.
- 20 De dimissione Episcopatum.
- 21 De creatione Legatorum Apostolicorum.
- 22 De novis erectionibus vel unionibus Cathedralium.
- 23 De quibus aliis negotiis in Consistorio tractetur.

Dd 2

24 De

- 24 De congregatione Status.
 25 De Congregatione consistoriali, & qua negotia tra-
 tet.
 26 De Cardinalium Collegio; jurisdictione, & præmi-
 nentia, & aliis Cardinalium indultis & privile-
 giis.
 27 De numero Cardinalium.
 28 De sex Episcopatibus Cardinalitibus.
 29 De illorum optione, & de decanatu Collegii.
 30 An Cardinales Diaconi dent benedictionem.
 31 De optione inter cardinales.
 32 De præcedentia, & præminentiis supra Prælatos.
 33 De aliis privilegiis, & prærogativis.
 34 De rotulo, seu distributionibus Cardinalium.
 35 De præsentia in curia.

Quamvis istud Consistorii vocabulum in latiori grammaticali significatione, cui libet simplici adunantia, vel congregationi congruere videatur, adeo ut in aliquibus partibus, Tribunalia adsint collegiata, quæ istud nomen seu vocabulum adhuc retinent, ut præsertim in Regno Siciliae praxis docet; Atque legaliter, attento præsertim jure civili novo, post Imperii translationem in Græciam, illi congruat adunantia, quæ ex Principe, ejusque Consiliariis fiat; Cum consistorium propriè sit locus, in quo consultandi gratia, homines consistunt, atque Consistoria dicuntur Palatia Augusta; Attamen quidquid sit de vocabuli significatione, de qua ad Scholasticos potius, quam ad forenses, stricte, ac rigore inquirere pertinet; Ob communem Christianorum Principum usum, istud vocabulum, singulariter illam significat adunantiam, seu congregationem, quæ per Papam, cum Collegio Cardinalium in forma Senatus in ejus Apostolico Palatio fit, adeo ut, quamvis alia in eadem Romana Curia sequantur adunantia per eundem Papam cum eodem Collegio, vel cum aliqua ejus parte, ut in Capellis pontificiis, vel in aliquibus Congregationibus contingit, in illis præsertim Sancti officii, & Signaturæ Gratiæ, ac Examinis Episcoporum, & quandoque Rituum pro canonizatione Sanctorum; ac in aliis, non tamen istud, sed alia adhibentur vocabula.

Duplex autem est Consistorii species; Aliud enim est extraordinarium, magisque solemne, quod, præter Cardinales, alios admittit Prælatos, & ministros, ac etiam Principum Oratores, aliosque Magnates, qui in Papæ solio assistant, quod publicum dicitur; Et quandoque cum pontificalibus paramentis, pro functionum diversa qualitate celebratur; Aliud verè est ordinarium, quod in forma minus solemni fit cum solo interventu Cardinalium pro negotiis pertractandis, quod secretum dicitur.

Prima species, solemnia, seu ceremonialia potius quam forensia, vel curialia concernit, ut contingit, quando prævio Consistorio secreto, in quo conclusa sit alicujus servi Dei canonizatio, servatis iis quæ, infra, agendo de Rituum Congregatione insinuantur, aliud publicum, & solemne Consistorium fiat, cum interventu omnium Episcoporum præsentium in Curia, ac etiam Prothonotariorum Apostolorum, ac Auditorum Rotæ, & quorundam aliorum Prælatorum, quorum omnium tanquam per quandam imaginem Concilii generalis, votum exquiritur; Sive quando prævia creatione Cardi-

nalium, in alio Consistorio secreto cum solitis ceremoniis, galeres cardinalitibus eis conceditur. Aut quando Reges & Principes, vel eorum extraordinarii Oratores, qui obedientia dicuntur, ad solemnem & publicam Papæ audientiam, pro obsequio, & obedientia admittuntur; Istaque species, ad Curiam ceremonialem potius, quam ad forensiam pertinet; Solumque aliqua forensis mixtura in eo dignoscitur, quod in illis spatiis, in quibus, accedentibus novis Cardinalibus ad capellam pro solemni præstatione juramenti; Sive quod ob alias ceremonias contingat, ut Papa in solio otiosus remanet, ne otium in eo ne quidem temporis momento deatur; Unus vel plures ex Consistorii Advocatis interim orare soleat pro canonizatione alicujus servi Dei, ejus virtutes, ac merita enarrando; Moderna verò est hæc introductio, orandi super meritis alicujus servi Dei, quoniam antiquitus proponebantur in his spatiis causæ concernentes justitiam, & potissimum criminales; Quinimò proponebantur casus ideales, & figurati valde horrendi ex testimonio *Gomessii* in compendio utriusque Signaturæ, quod inconveniens videbatur.

Ac etiam datur quædam species mixta, quæ sub semipublici Consistorii vocabulo explicari solet, quia nempe, partim sequatur cum solis Cardinalibus secretè, & partim publicè cum aliorum interventu; Sed pariter ista species, ad ritualia potius, quam ad forensia pertinere videtur.

Quatenus itaque ad ordinarium secretum Consistorium pertinet (ut præcedenti discursu insinuatum est,) Illud antiquiori tempore bis in hebdomada teneri solebat; Medio verò tempore, pro brevioribus causis in forma contentiosa etiam cum interventu Procuratorum, & Advocatorum utriusque partis decidentis per Papam, cum voto Cardinalium; *Vestr. in praxim principio Loter. 6. de benef. lib. 1. quest. 8.* Atque ex hujusmodi decisionibus aliqua pars canonum registratorum in quinque libris Decretalium est desumpta, alia verò ex decisionibus Rotæ, *infra disc. 32.*

Hodie verò rarius illud habetur ad Papæ placitum, prout negotiorum urgentia exigat; Pro frequentiori autem praxi, bis in mense, atque ordinaria dies est illa feriæ secundæ, vulgò lunæ de mane; Quamvis aliquando ob dictæ diei impedimentum, vel necessitate exigente in altera die, & quandoque etiam post prandium, seu de sero, (ut aliquando nostra ætas vidit,) cum totum pendeat à Papæ placito, ac arbitrio.

Præcedente itaque singulorum Cardinalium in Curia præsentium, die præcedenti per publicum Cursorem destinata Consistorii celebrationis notificatione, cum expressione diei, & horæ, in qua Sanctissimus sit interventurus; In consuetâ Palatii aula magna, vel in alia Papæ placita, singuli Cardinales, cum solemni comitatu, & obsequio ad illud accedunt, more regio, adeo ut in hac functione, magis quam in aliis Romanæ Curie Majestas elucere videatur, atque ita verificari id, quod antiqui Scriptores de prophane triumphantis Romanæ Reipublicæ Senatoribus dicere solent, ut scilicet tot Reges reputari mereantur.

Postquam verò cardinales in convenienti numero, statuta hora, in Aula congregati sint,

in scamno seu banco ligneo cappa magna, rochetto, & bireto induti sedendo; Papa ad summam consuetam sedem aliquantulum elatam, sub throno, seu baldachino in habitu privato, cum rochetto scilicet, & mozzetta, ac bireto pontificio accedit, ibique, donec omnium Cardinalium accessus sequatur, vel etiam eo sequuto, ad sui placitum, januis adhuc apertis, adeout omnibus nobilibus, & qualificatis viris, ac Prælati aditus pateat, singulis Cardinalibus petentibus privatam auricularem audientiam præstat, super propriis, vel Principum, aut amicorum, vel familiarium precibus, ac instantiis, aliisque negotiis; Atque in hac functione præsertim, Papæ Majestas dignoscitur, quoniam, licet Cardinales in præsentia Papæ sedeant, in dicto banco cooperto capite, cum bireto cardinalitio; attamen ubi singuli Papam ibi publicè alloquuntur, coram eo, stant capite discooperto, cum magno obsequio, ac reverentia, quamvis magnorum Principum filii sint, vel Cardinales magnæ estimationis, qui eundem Pontificem in minoribus in eorum famulatum, vel obsequio habuerint, ejusque promotores fuerint; Distinctæ autem audientia, pro Papæ placito expleta, omnes ab aula ejiciuntur, solis Cardinalibus cum Papa remanentibus, in proxima aula solum assistentibus, Collegii Secretario, & Clerico, aliisque ministris, ut promptè accurrant, ita tamen, ut Consistorii secreta audire non valeant.

Negotia verò, quæ hodie in Consistorio explicantur, forenses, contentiosam formam amplius non habent, sed solum gratiosam, vel politicam, ut Principis supremum Senatam decet; Omnium autem primaria functio, reputatur illa novæ creationis Cardinalium, in locum defunctorum; Atque (quidquid sit de antiquo stylo.) hodiernus est, quod Papa vel in Consistorii initio, priusquam alia tractentur negotia, vel frequentius in fine, dicit Cardinalibus quod habent fratres, atque nominando illos, quos in Collegium coopere velit, eos interrogat, quid ipsis videatur, eisque approbantibus, ac laudantibus, sit decretum promotionis, quæ illicò publicatur extrâ Consistorium per Curiam; Quandoque tamen exprimendo numerum eorum, qui promoveantur aliquorim nomina publicare non solet, sed ea (ut dicitur) reservat in pectore; Et quamvis illa quancumque etiam extrâ actum Consistorii, aperire valeat; Quinimò ex integro Cardinalium promotionem ita faceres, cum omnia pendeant a jure, vel à formalitate positiva, dum ut *discursu præcedenti* advertitur, Cardinalium interventus & consensus est voluntarius, & consultivus; Attamen observantia hucusque dedit, quod tam promotio, quam publicatio jam promotorum, non nisi in Consistorio fieri consuevit, unde propterea hodie non audiuntur illæ quæstiones, quas apud nostros majores disputatas esse habemus de Cardinalibus occultè creatis. *145. lib. 2. quem refert Cyriac. contr. 312. numer. 33. & seqq.*

Sequuto verò dicto actu publicationis in Consistorio; Quamvis in alio publico Consistorio, prævisis juramenti præstatione, aliisque solemnitatibus, Cardinalitia insignia solemniter præbeantur, atque in alio Consistorio sequenti, ut vulgò dicitur, eis os operiatur, id est, quod habilitatur ad votum proferendum; Attamen

Card. de Luca. Relatio Curia Romana.

istæ sunt ceremoniæ, vel solemnitates, quæ non percutiunt substantiam, vel perfectionem actus, quoniam sequuta promotione, ut supra, illi sunt veri, ac perfecti Cardinales, ideoque (quidquid aliàs dubitatum fuerit, votum habent in conclavi in electione Pontificis, omnesque alias Cardinalitias jurisdictiones, & præminentias, ut moderna praxis docuit, ultimæ promotionis Clementis Noni octo Cardinalium, in quorum numero fuit immediatus successor Pontifex Clemens Decimus, qui per dies in statu cardinalitio, dictis solemnitatibus non adhibitis, stetit.

In hujusmodi autem promotionibus, pro temporum, vel rerum opportunitate, ac etiam quandoque, ad Imperatoris, & aliquorum Regum, vel Republicarum preces ac instantias, assumuntur Prælati, aliique qualificati, ac emeriti viri, ex omnibus Orbis Catholici nationibus, & frequentius illi, qui per gradus, publica Sedis Apostolicæ munera exercuerint, illa præsertim Nunciorum, apud Reges, & Principes, dum hoc munus magnam præbet politicorum & publicorum negotiorum peritiam, quæ in Cardinalibus nimium necessaria est, ut distinguendo Curialium classe inferius agendo de caudicis advertitur *infra in eo disc. in quo agitur de Curialibus*. Ac enim illi Episcopi, qui diu, ac laudabiliter, in sibi commissarum Ecclesiarum regimine versati fuerint, aliique Curia Officiales, & Magistratus, & præsertim ex majoribus, Collegiatis Tribunalibus Rotæ, & Camera; Atque quoad eas signari vulgi obloquutiones, quæ fieri solent super promotionibus eorum, qui officia venalia possideant, latè agitur alibi ubi videri potest. *in. de Regal. disc. 2.*

Solent autem (ita etiam Apostolicis Constitutionibus monentibus) nullo dictorum publicorum munerum exercitio præcedente, ad hanc dignitatem promoveri aliqui privati Regulares in cella reclusi, tanquam insignes Sacrae Theologiæ professores; Non quidem principaliter ob hanc professionem, dum in ea habentur quoque Prælati, aliique sæculares togati peritissimi, atque huic primario muneri magis apti, utpotè majorem politicarum, & publicarum rerum experientiam habentes, sed ex bono, & commendabili fine, ita honorandi quoque clericum seu hierarchicum ordinem regularem, in Ecclesia Catholica valdè proficuum, atque ita cum hujus præmii spe, multos ad sacrarum literarum studia alliciendo.

Atque ex eadem ratione, iidem Regulares, ad Episcopatus commendabiliter promoveri solent, quamvis illarum diocesium, in quibus procul ab hæreticis, catholica fides pacificum statum habet, eorum regimen non valde opportunum reputari soleat, ob deficientem rerum sæcularium peritiam; Id autem desiderandum videretur, ut omnino inhabiles, ac indigni reputari deberent illi religiosi, qui Episcopatum ambiunt, ac affectant, quodque non petentes, in eorum Religionibus valde probati, ac commendati, ex officio promoveri deberent, ut B. Joannes Theutonicus dicere solebat; Atque P. Stephanus de Luca meus patris ordinis Minorum conventualium Romanæ Sapientiæ Theologus nescio an ex proprio sensu, vel ex sanctorum Patrum traditione, hujusmodi religiosos, qui Episcopatu

scopatum petunt, atque ita inordinatè ambiunt apostatas mentales appellabat.

Altera Consistorialis functio est provisio Ecclesiarum Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium vacantium, de Prælato seu Pastore; Istaque provisio est de duplici specie; Una scilicet Ecclesiarum titularium tantum absque residentia, & administratione, eo quia diœcesis de facto occupata sit ab infidelibus, vel hæreticis, aut schismaticis; Et altera de Ecclesiis habentibus actualem jurisdictionem, & administrationem in diœcesi catholica.

Prima species provisionum fit solo nutu, & placito Papæ, cum quamdam honorificam præminentiam solum importare videatur, constituendo personam in ordine pontificali, absque aliquo pontificalium exercitio jure proprio, sed solum jure alieno; Unde propterea de consuetudine Curie receptum est, ut per hujusmodi provisiones, non resultet vacatio aliarum Ecclesiarum vel beneficiorum incompatibilium, ut in promotis ad Episcopatus actuales absque dispensatione super retentione resultat, ut in beneficiis materia advertitur. *de pensio. disc. 58.*

¶ 75.

Ubi verò agitur de altera specie provisionum actualium, tunc prævia respectu Ecclesiarum Italicæ & Insularum adjacentium solemnitate examinis, de qua infra in particulari sede Congregationis examinis Episcoporum *infra d. 21.* Sive promovendus electus sit per Papam; Sive per Capitulum; Aut nominatus per Principem respectu, pro regionum diversis usibus, coram Cardinali ad id per Papam deputato, per Notarium particularem his actibus generaliter deputatum, efformatur processus super vita, moribus, legitimis natalibus, ætate, gradu, aliisque necessariis requisitis pro Episcopatu, ac etiam super statu Ecclesiæ; Isteque processu completo, idem Cardinalis in primo Consistorio, facit Ecclesiæ, ac personæ providendæ præconizationem, tam oratenus in ipso Consistorio, omnibus Cardinalibus audientibus, quam cum memorialibus, seu brevibus informationibus antecedenti die transmissis per manus singulorum Cardinalium, super omnibus, quæ in processu continentur, ac justificata sunt, ad effectum ut in eo intermedio spatio usque ad alterum Consistorium, extrajudiciales informationes per Cardinales haberi valeant, super iis quæ in contrarium eis obstare possint, atque de tempore propositionis opponi; In sequenti verò Consistorio, idem Cardinalis proponit Papæ illam personam electam tanquam idoneam, ut eam Ecclesiæ viduatæ præficiat, atque nemine aliquid habente in contrarium, Papa desuper in ipso Consistorio interponit decretum, ideoque ex tunc provisos dicitur Episcopus, atque obtinet ea, quæ sunt jurisdictionis, non autem ea quæ sunt ordinis pontificalis, pro quibus necessaria est consecratio, quæ ritualia potius vel ceremonialia concernit; Optimum quidem nimiumque commendabile est institutum, sed desideranda videretur aliqua melior ejus praxis, quoniam, ut quandoque fert fama, sive vera, sive falsa, citra Papæ rectam intentionem, sequuntur hujusmodi electiones in personis parum dignis, quarum mali mores, vel alii defectus innotescant; Et tamen ex quodam usu, vel ex alia causa, nequæ loquitur, adeo ut istud optimum, nimium-

que proficuum institutum quando practicatur, ad formalitatem redactum videatur.

Quandoque autem, ubi agatur de provisione personarum, conspicuæ ac notæ qualitatis, ipsemet Papa propositionem facit, atque illicò (si nil opponatur) fit decretum, absque necessitate præconizationis.

Consistorialiter quoque providentur aliqua Monasteria regularia, quæ propterea apud beneficium Consistorialia nuncupantur; *de benef. disc. 4.* Ac etiam coadjutoria cum futura successione, tam Cathedralium, & Metropolitanarum, quam dictorum Monasteriorum consistorialium. *de canonic. & Capit. disc. 27. & de Regul. disc. 53.*

Atque ubi agatur de Ecclesiis Metropolitanis, vel de aliquibus Cathedralibus hanc prærogativam habentibus (ut in Italia sunt Episcopus Papiensis, & Lucensis,) quod scilicet eis congruat usus pallii, tunc in altero immediato, vel mediato subsequenti Consistorio, pallium conceditur, ipsius provisi procuratore supplicante, atque pro eo orante uno ex Advocatis consistorialibus.

Cumque unumquodque solvi debeat eo modo quo ligatum est; Hinc proinde, si provisos de aliqua Ecclesiâ Cathedrali, vel Metropolitana per dimissionem liberam, vel per translationem ad alteram liberari cupiat, id pariter in Consistorio sequitur, per quamdam speciem dissolutionis hujus matrimonii spiritualis, prævio processu super justis causis, ex quibus hujusmodi dissolutio petatur.

Legatorum Apostolicorum, extraordinariorum ad Reges, & Principes, qui de latere dicuntur, ac etiam ordinariorum pro regimine aliquarum Provinciarum Status Ecclesiastici juxta distinctionem de qua *disc. præcedenti.* deputaciones in Consistorio pariter fiunt.

Prout etiam novæ erectiones Cathedralium, vel Metropolitanarum, cum dismembratione territorii, novæ Ecclesiæ assignandi, ab una vel pluribus adjacentibus diœcesibus, sive earumdem Ecclesiarum uniones, vel divisiones in Consistorio fiunt, atque causæ consistoriales dicuntur, omnium verò hujusmodi actuum Secretarius est Cardinalis Vicecancellarius, ut in ejus Rubrica advertitur. *de præminent. disc. 1. cum seqq. & disc. 6. & infra disc. 10.*

Item in eodem Consistorio, Papa cum Cardinalibus agit de gravioribus Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ universalis vel Principum, spiritualibus, ac temporalibus negotiis, juxta eorum qualitatem & circumstantias; Cumque non semper expediat, de illis publicè coram omnibus Cardinalibus loqui, hinc isto casu, Papa pro eorumdem negotiorum consultatione ac directione aliquorum Cardinalium particularem congregationem deputare solet, quæ Status dicitur, istaque proinde non est Congregatio fixa, & continua, sicuti sunt aliæ, de quibus infra, sed in singulis occurrentiis particulariter deputari solet, variando in qualibet Cardinales, aliosque ministros pro negotiorum qualitate, vel temporum opportunitate.

Quia verò in plerisque ex dictis actibus consistorialibus, interessati oppositores adesse solent, adeo ut formam vel disputationem contentiosam habere oporteat, eaque prudenter, ob majorem Consistorii majestatem, ab eo (ut supra)

præcoxavit; Hinc proinde erecta fuit particularis Congregatio, dictorum consistorialium negotiorum præparatoria, seu Consistorii consilium, quæ proinde *Consistorialis*, nuncupatur constituta ex aliquo competenti numero Cardinalium, ac etiam peritorum Prælatorum, cum proprio Secretario, qui juxta hodiernam observantiam, non est Prælati, sed peritus togatus; Atque in ista Congregatione prius formiter examinantur materia, Partibus opponentibus auditis in forma merè contentiosa, proportionata tamen stylo Congregationum cardinalitiarum, circa formalitatem telæ judiciariæ; Præsertim verò ubi agatur de Ecclesiarum unionibus vel divisionibus seu dismembrationibus, novisque erectionibus, an scilicet verificentur juxta causæ vel requisita desuper necessaria, de quibus habetur particulariter actum in materia præeminentiarum, ubi videri poterit, de *præeminent. dicto disc. 6.*

Ac etiam agitur de confirmatione electionis factæ de Prælato à Capitulo vel à Monasterio, an valida, & canonica sit; Sive de concessione coadjutoria, an juxta causam, aliaque requisita concurrant; Aut de nominatione vel jure nominandi prætenso per Principes vel Universitates, ad Cathedralis seu Metropolitanas, de quibus habetur particulariter actum in suis sedibus præsertim in materia electionis, vel coadjutoria: de *Canon. & Capit. disc. 27. & 28. & de Regular. disc. 53.*

Prout etiam in ista Congregatione, examinantur causæ, ac requisita, sine quibus Episcopus admitti non debet nec solet ad dimissionem Ecclesiæ, atque ab ejus vinculo solvi, quoniam quando agitur de eorumdem Episcoporum poenali absolutione per viam privationis, tunc ad consultationem alterius Congregationis Episcoporum, id sequi solet.

Et in summa ista Congregatio Consistorialis, est ipsius Consistorii pars, seu membrum, aut ejusdem Consistorii Consultor, vel Assessor, adeout non nisi de ejus voto negotia consistorialia, quæ controversiam pati valeant, expli-centur.

In reliquis verò concernentibus ipsum Collegium Cardinalium, de ipsorum introductione, ac jurisdictione in universum, seu participatione in regimine & administratione Ecclesiæ universalis, actum est supra *discurs. 3.* Ac etiam in materia jurisdictionali, ubi etiam late, & ex professo habetur actum de singulorum Cardinalium jurisdictione, & præeminentiis in eorum Ecclesiis titularibus, sive Archipresbyterorum in Ecclesiis patriarchalibus; de *jurisdic. disc. 34. & 35. & in disceptationibus Cardin. de Albicis ibidem registratis.* Ac etiam in materia beneficii habetur actum de indultis, quæ ipsis concedi solent pro collatione beneficiorum, Apostolicis reservationibus vel affectionibus non obstantibus. de *benef. disc. 1. cum seqq.*

In eadem jurisdictionali materia quoque habetur actum de emptione familiarium, vel respectivè domorum Cardinalium, vel circa eorumdem Cardinalium forum de *jurisdic. disc. 67. 70. & 80.* Atque in materia testamentorum, & ultimarum voluntatum habetur de indultis testandi, quibus Cardinales potiri solent *sub vic. de testam. disc. 6. & cum seqq.* ideoque in præmissis aliisque locis, in quibus de Cardinalibus, eo-

rumque præeminentiis egisse occasio præbuerit, videri poterit, cum eorum assumptio nimiam redoleret evagationem, *Cobell. qui alios refert de orig. Cardinalium.*

Super antiquo numero Cardinalium, valdè certarunt antiqui tam Juristæ, quam Cronistæ. *Vestr. in prax. in princ. Lotter. de benef. lib. 1. quest. 3. 27. Cobell. ubi supra & in dictis disceptationibus Cardinalis de Albicis.* Sed quæstionem substulit Constitutio Sixti V. per quam statutus est numerus septuaginta, sumpto exemplo à Moyle, ex quibus sex antiquiores constituti sunt in ordine Episcopali, atque sex actuales obtinent Episcopatus, quales sunt, Hostiensis, & Veliternus, qui obtinentur à Decano, habente proinde prærogativam conferendi, & coronandi Pontificem; Portuensis; Prænæstinus; Sabinensis; Tusculanus; Et Albanensis.

Super his Episcopatibus, diversis temporibus, ac etiam nostra ætate quæstiones ortæ sunt, an ad instar aliorum Episcopatum actualium, obligarent ad residentiam, fortius verò an essent, cum alio Episcopatu etiam actuali residenti-ali compatibles; Atque pro compatibilitate, & non obligatione residentia resolutum fuit, talisque est praxis, *Cardinalis Brancatius dissertat. 2. & iii. de pension. disc. 53. & 79.*

Inter eos autem non dignoscitur ordo majoritatis, sed omnes sunt æquales, cum facultate seniorum, quando alter vacat, illum optandi, & relinquendi illum quem obrinet, excepto Hostiensis & Veliterno, qui annexus est Decanatu, civili potius quam naturali; vidimus enim nostræ ætate Cardinalem, qui juxta ordinem naturalem promotionis erat omnium antiquior, ac naturaliter Decanus, & tamen obiit in statu primi Presbyteri, eò quia vel ex defectu presentia, vel ex alio accidenti, non optavit Episcopatum; Et de hac distinctione inter decanatum fictum, vel civilem, & naturalem in Capitulo Cathedralis, vel Collegiatæ habetur in sua sede. de *Canon. & Capit. disc. 15.*

Alter est ordo presbyteralis, constitutus ex quinquaginta Cardinalibus, qui presbyteri dicuntur; Et alter diaconalis constitutus ex quatuordecim Cardinalibus, qui dicuntur Diaconi; Atque in hoc posteriori ordine nostræ pariter ætate quæstio orta est, an facultas in propria Ecclesia Cardinali diacono competat impatienti- di solemnem ac pontificalem benedictionem sub throno elato, pontificali more, atque affirmativa prodiit resolutio; Atque super hoc puncto, ac etiam super materia capellarum privatarum Cardinalium eleganter ac eruditè scripsit, suosque labores posteritati tradidit insignis Cardinalis Episcopus Portuensis. *Dictus Cardinalis Brancatius dissert. 1. & 7.*

Inter omnes dictos ordines respectivè, sive de uno ad alterum, datur optio, quia scilicet ille, qui ordinem Episcoporum ingressus est, juxta ordinem antianitatis, pro ejus arbitrio in proximo Consistorio post vacationem optare potest alium Episcopatum; Sive primus Presbyter optare ultimum Episcopatum vacantem; Aut inter ipsos Presbyteros vel Diaconos respectivè meliorare titulos, aut ab ord. diaconali facere transitum ad presbyteralem cum prærogativa saltus, occupando locum juxta ordinem antianitatis super alios, qui prius fuerint in ordine presbyteriali, perinde ac si ab initio in eo constitutus es-

set, Dummodò tamen sint præsentés in eo Confistorio: cum absentes optandi sunt non habeant, nisi Papæ dispensatio accedat.

Super præcedentia, majoribusque præminentis Cardinalium supra Patriarchas & Archiepiscopos vel Episcopos apud antiquiores quæstio fuit; *Chassan. in catal. glor. mundi.* Hodie tamen sine dubio decisa est, & practicata ad favorem Cardinalium, eò quia licet inferiores in ordine censeantur, majores tamen & digniores censendi sunt ratione cujusdam superioritatis ac jurisdictionis super eos tanquam supremi Senatores Papæ, quamdam participationem cum eo habentes in regimine Ecclesiæ universalis, Et ex qua ratione magnas quoque obtinent præminentias, & honorificos tractatus cum Regibus & Principibus, aliisque Magnatibus; *Lotter. de benef. dict. quæst. 8. lib. 1.* Et de aliis ad eorum materiam videndum erit apud eos, qui formales tractationes de super habere professi sunt, cum hæc pro informativa relatione sat videatur insinualle; Et de aliquibus Cardinalium exemptionibus in Regalium sede habetur. *De regalibus disc. 55.*

Habet quoque Collegium, ad instar Capitulorum, & Collegiorum inferiorum, quamdam massam communem administrari solitam per Cardinalem, qui per turnum singulo quoque anno, vel biennio mutari solet, atque Camerarius appellatur, diversus tamen à Cardinali Camerario in officium de quo infra; Istaque massa continet emolumenta galericardinalitii, quæ sub vocabulo *rotuli* explicantur, atque à judicio Collegii pendent majora vel minora emolumenta aliorum Officialium Curia, dum ad Collegium pertinet facere gratias in toto vel in parte de aliquibus expeditionum emolumentis; Ad instar autem distributionum, de illis participant solum Cardinales præsentés in Curia, quales dicuntur ad hunc effectum illi, qui in duobus anni temporibus, Veris & Autumni, in Curia etiam per modicum tempus fuerint; Ideoque Cardinales, qui resident in proximis Episcopatibus, pro hac participatione bis in anno per paucos dies ad Urbem redeunt; Diversa etenim est illa præsentia, quæ magis rigorosè exigitur, ut eis aliqua Regulæ Cancellariæ seu privilegia suffragentur. *De benef. disc. 11.*

D I S C. VI.

De Cardinali superintendente generali, seu primo Ministro Papæ.

S V M M A R I V M.

- 1 **D** estis Cardinalis introductione, ejusque munere.
- 2 Cui data proportione assimilatur.
- 3 De aliquibus officiis Regni Neapolitani.
- 4 De causa introductionis hujus ministri, & quas partes expleat.
- 5 De eodem, & quæ persona ad hoc munus assumi soleant.
- 6 Quod in negotiis status vel Principatus temporalis ejus munus principaliter versetur.
- 7 In quibus se ingerat respectu Pontificatus, & Principatus ecclesiastici.

8 Præbet etiam audientiam Oratoribus, & Officialibus, ac aliis.

9 Habet viæ vocis oraculum generale, & circa quæ.

10 De facultate subscribendi nomine Papæ per concessum.

11 Esse solet etiam Legatus status Avenionensis, & de istius Legationis negotiis, ejusque Vicelegato.

12 Est item Gubernator Principatus Firmani.

IN ordine hierarchico Magistratum, & Officialium Papæ, & Curia, non reperitur iste Officialis, vel Minister, utpote pendens à consuetudine particulari cujuslibet Pontificis, qui potest, & quandoque solet, illum non habere, ut nostra ætate in aliquibus Pontificatibus (saltem ad tempus) praxis docuit, adeò ut comparative, seu cum debita proportione, huic Ministro, seu Officiali, adaptari posse videantur termini Vicarii Generalis Episcopi, qui in ordine hierarchico antiquorum Canonum non reperitur, quoniam, ut alibi insinuat, *supra disc. 4. & de præminent. disc. 20.* antiquitus ea, quæ Episcopus per se ipsum explicare non poterat, explicabat per duos fixos Adjuutores seu Vicarios, id munus habentes in dignitatem, per Archidiaconum scilicet temporalia, & per Archipresbyterum spiritualia; Sed quoniam casus frequenter dabat diffidentias, & inconvenientiam inter Episcopum, & has Dignitates, quæ utpote id obtinentes independentem ab Episcopo ex administratione perpetua & necessaria, atque non pendentes ab ejus nutu, frequenter contra eum erigebant caput, idcirco paulatim inolevit consuetudo particularis aliquorum Episcoporum, quæ deinde effecta est generalis, quod scilicet Episcopus apud se haberet fiduciarium ministrum, qui ejus vice multa ad utramque jurisdictionem spectantia explicaret, atque ita jurisdictionem seu potestatem Archidiaconi, & Archipresbyteri evanuit, restrictaque est ad quædam ceremonialia, adeò ut hodierni quamdam solam imaginem antiquæ dignitatis obtinerent, videantur.

Idque in plerisque principatibus secularibus quoque contigisse docemur, quoniam (exemplificando in Regno Neapolitano tanquam principatu viciniore, & Italia notabiliore, cujus aliqua major notitia à me habetur,) antiquitus ille Rex omnia militaria, politica, & civilia negotia explicabat per septem Officiales, id habentes in dignitatem, ut sunt, Comestabilis, Judiciarius, Cancellarius, Camerarius, Prothonotarius, Admiratus maris, & Senescallus; Verum ob eadem inconvenientiam inolevit usus, quod istorum potestas, vel præminentia, ad nudas intitulationes, aliasque ceremonias, vel respectivè ad aliquas modicas antiquæ potestatis reliquias redacta est, cum omnia quæ ab eis explicari solebant, explicentur per Vicarium seu Proregem tanquam ministrum fiduciarium ad nutum amovibilem, & per alios inferiores ministros, & officiales; Quinimò, licet ipse Rex pro negotiis supremæ Cancellariæ Regiæ, fixum & perpetuum deputet officialem, substitutum dicti Cancellarii, cui Secretarii Regni nomen tribuitur; Adhuc tamen aliqua potius forensia negotia per hunc solum explicantur; Politica verò, & gratiosa, ac etiam aliqua forensia, & civilia, Vicarius seu Prorex explicat per ejus privatos, ac fiduciarios aulicos Secretarios ad ejus nutum deputatos, ac amovibiles; quorum unus justitiæ pro nego-

negotiis civilibus; Alter verò belli, pro militari-
bus, vel politicis appellantur, cum similibus.

Ita dici posse videtur in hoc magno Principe, duos principatus, ac respectivè unum magnum præfulatum administrante, juxta illam perfonarum pluralitatem, quæ alibi supra insinuata est, *supra disc. 2.* quoniam post suppressam antiquam magnæ potestatis, & administrationis dignitatem Cardinalis Archidiaconi (qualis in primitiva Ecclesia fuit S. Laurentius, qui, ut ejus martyrii acta docent, omnem temporalem administrationem illi depresso statui proportionatam habebat,) omnia negotia explicabantur, quoad præfulatum Urbis per Cardinalem Vicarium, & quoad utrumque principatum, ecclesiasticum & prophanum, per Cardinalem Penitentiarium, tanquam Vicarium in spiritualibus, & per Cardinalem Camerarium tanquam Vicarium & Oeconomum in temporalibus, ac per Cardinalem Cancellarium, seu Vicecancellarium; tanquam Secretarium; Verùm ob eadem inconvenientia usus invaluit, quod Papa pro fiduciariis negotiis, tenere cepit privatum aulicum Secretarium, qualis est ille, qui hodie Secretarius Status appellatur, aliosque deputare ministros, & officiales, tanquam substitutos, & adjutores dictorum majorum officialium id habentium in dignitatem, nempe, Gubernatorem Urbis, Auditorem Cameræ, Thesaurarium, Secretarium Status, & alios Secretarios literarum ad Principes, & Brevium, aliosque similes, adeò ut quædam publica, & forensia negotia per dictos primarios Officiales vel Dignitates explicentur, ut infra in singulorum magistratuum vel officiorum particularibus rubricis, seu discursibus advertitur.

Sed quoniam (ita omnium ferè Principum in omnibus sæculis praxi docente) quædam, si non præcisè, moralis tamen necessitas eos cogere videtur, habendi unum, vel plures ministros vel assistentes magis confidentes, quibus tutius eorum secreta pandere valeant, atque per eos magis fideles rerum informationes obtinere, aliaque explicare, quæ non expedit inferioribus ministris, & officialibus communicari, ut hodiernorum temporum, ac Principum praxis docet, in eo fiduciario ministro, cui pro principatum diversis moribus, privati, vel primi ministri, aut Secretarii nomen dari solet; Omnique ævo servatum esse, docent Chronicæ, ac etiam ipsamet sacra pagina veteris Testamenti, præsertim de Amân, & de Joseph, ac aliis; Hinc eadem necessitas ad idem impulit Papam, qui fortè præ omnibus magis indiget majoris fiducia ministro, cum non proprii principatus tantum negotia tractet, (ut alii Principes faciunt,) sed tanquam omnium Catholicorum Principum pater, qui æquali paterno amore tractate solet de negotiis omnium Principum, quorum aliqui inter se æmuli esse solent; unde propterea magna circumspèctio, magnaquè fiducia necessaria est. Hinc propterea àssumere consuevit personam secundum carnem magis conjunctam, cui Cardinalis nepotis vocabulum dari solet; Atque ubi casus præbeat, quòd Pontifex nullum habeat per agnationem vel cognationem conjunctum, tunc alium affinem, vel extraneum assumere solet, quem in propriam cooptat familiam eique illam tribuit denominationem, quam ipse in statu cardinalitio habebat, dum experientia

docuit, congruè esse, ut iste fiduciarius minister deputetur, unde propterea bonus quidem, & commendabilis est stylus in genere, quandoque tamen parum commendabilis esse solet, ob aliqua accidentia, quæ ex humana conditione vel fragilitate resultant.

Hujus primi ministri munus, jurisdictionale seu publicum, cum actuali alicujus vicariæ jurisdictionis, & potestatis etiam forensis, principaliter versatur circa regimen domini seu principatus temporalis; Ideoque dicitur Superintendens generalis Status ecclesiastici; unde propterea subscribit literas, aliasque provisiones, quæ nomine Papæ dantur, pro dicti principatus temporalis regimine, & administratione, tam per Secretarium Status, quam etiam per Congregationes consultæ, & boni Regiminis, & alias, quæ pro eodem temporali gubernio erectæ sunt, ut infra, in singulis Magistratuum, & Congregationum Rubricis.

Bene verùm, quod etiam (licet rarius) se ingerit circa ea, quæ majorem principatum ecclesiasticum, seu pontificium concernunt; Non quidem circa usum clavium, ac merè spirituales administrationem, (ut exempli gratia) sunt collationes beneficiorum, provisiones Ecclesiarum, & dispensationes, ac similia, cum hæc per organa Datarie, & Cancellariæ, & Secretariæ brevium, sive per illa Sacrarum Congregationum explicari soleant, sed circa ea, quæ concernunt politica, ac etiam aliqua civilia, cum Regibus & Principibus, eorumque Vicariis, & Magistratibus majoribus, ac etiam cum ipsius Apostolicæ Sedis Legatis & Nuntiis, aliisque ministris; Et quandoque etiam cum Episcopis, & Metropolitanis, pro Papæ placito, ac arbitrio.

Prout etiam in Curia Regum, & Principum Oratores, ac etiam ejusdem Curie Officiales, & magistratus, qui statutis diebus ad Papæ audientiam admittuntur, illa expleta, huic primo ministro immediatè ejusdem Papæ oracula, & sensus, vel respectivè, eorum preces, ac instantias communicant; Ac etiam illi officiales, vel personæ private, qui ad audientiam Papæ non admissi, aliquid ab eo petant, vel ei communicare velint, cum hoc primo, ac fiduciario ministro tractant; Unde propterea contingit, quod à Prælati, & à nobilibus viris, etiam ordinis magnatitii, aliisque curialibus, & aulicis, in horis audientiæ, magnum ei præstetur obsequium, cum assistentia in aula exteriori, quæ vulgò *anticamera* dicitur; Quod etiam aliorum magnorum Regum & Principum primis ministris, frequentius est commune.

In isto autem primo adeoque qualificato ministro, extrà quæstionem est vivæ vocis oraculum generale, quod in aliis officialibus, & magistratibus est sub quæstione, vel est restrictum ad pertinentia ad officium tantum, ut infra in eorum singulis Rubricis advertitur; Iis tamen exceptis, quæ regulariter per dicta organa sive per supplicationes Papæ manu signatas, explicari solent, (quoniam stylo in hujusmodi rebus nimium deferendum est;) Unde propterea quando ob infirmam valetudinem, vel ob aliud impedimentum Papæ, hujusmodi negotia, pro consueto stylo explicari non possunt, tunc idem Pontifex, huic ministro, vel alteri sibi beneficæ personæ, facultates communicat subscribendi
ejus

eius vice, ac nomine, ut vulgò dicitur, per concessum, de quo agitur infra in Rubrica Datarii.

1 Iste Cardinalis nepos, qui in Palatio Apostolico apud Papam, cum secreto fiduciario ingressus, moratur, & affistit, pro frequentiori usu, obtinet etiam Apostolicam legationem Status Avenionensis, & Comitatus Venaifini in Gallia, eamque ibi exercet per Prælatum, ejus substitutum, qui non ab ipso, sed à Papa deputatur, cui Vicelegati nomen tribuitur, illeque omnia jura, & facultates Legati ibi exercet, etiam in aliquorum beneficiorum reservatorum collatione. *sub tit. de benef. d. 27. ubi de ista collatione.*

Ab eo tamen dantur appellationes, vel recursus ad ipsum Legatum, qui proinde, per ejus Auditorem, vel per seipsum, aut per alios particulares delegatos, causas appellationis cognoscit, earum aliquas graviore in Rota quoque committendo; Atque ab aliquo moderno tempore, Congregatio ex aliquibus Prælatiis, & Curialibus erecta est, quæ Avenionensis dicitur, pro illius principatus negotiis melius pertractandis.

2 Obtinere quoque solet regimen, & administrationem Principatus Firmani, quem pariformiter regit per Prælatum substitutum, sub nomine Gubernatoris, cum appellationibus, & recursibus ut supra, ob diversos stulos. Aliaque obtinet munera, pro Papa placito, ac majori, vel minori benevolentia vel fiducia, ex qua hujus ministri, major, vel minor auctoritas pendet, ut omnium, aliorum principatum praxis docet.

DISC. VII.

De Secretario Status; Ac etiam de Secretario Brevium; Aliisque Secretariis, qui Papæ assunt in Palatio; Et de Collegio Secretariorum Apostolicorum.

S V M M A R I V M

- 1** In quo consistat officium Secretarii Status.
- 2** In quibus personis illud conferri, seu committi soleat.
- 3** Quod ab hoc officio de facili fieri soleat transitus ad purpuram, ac etiam ad supremam thiarum, & dantur exempla.
- 4** De ratione cur id sequi soleat.
- 5** De hujus Secretarii adjutoribus, & ministris, & præsertim de Secretario Cisarum.
- 6** Quare hoc officium non sit in ordine hierarchico Curie, & de Collegio Secretariorum.
- 7** De Secretario Brevium.
- 8** De negotiis, & gratiis, quæ expediuntur per hanc secretariam, & per literas in forma brevis, & de aliis, quæ per bullas sub plumbo per Cancellariam.
- 9** Quæ proprie dicantur brevia, & de differentia inter brevia, & bullas.
- 10** Reservationes, & affectiones Apostolicæ beneficiorum introduci ceperunt in Gallia.
- 11** De aliis expeditionibus.
- 12** De brevibus Penitentiariæ.
- 13** De brevibus de capienda possessione nomine camera.
- 14** De brevibus commissionis causarum appellationis in partibus.

- 15** De minutis originalibus, & registris brevium.
- 16** In quibus negotiis dicta diligentia non adhibeantur.
- 17** De emolumentis, quæ solvuntur pro expeditione brevium.
- 18** De Secretario brevium seu literarum Principum.
- 19** De Secretario memorialium ejusque munere.
- 20** Memoriale seu rescriptum in eo contentum non tribuit jurisdictionem, & quas faciat operationes.

Officio Cardinalis Nepotis, de quo agitur disc. præcedenti, proximum est illud Secretarii Status, quod in plerisque cum eo simbolizat, in eo præsertim quod non est in ordine hierarchico officialium, ac magistratum Papæ, & Romanæ Curie, & tamen est summæ confidentiæ, & auctoritatis, magnamque in Curia figuram facit, atque de facto, secundum locum occupare videtur, in iis quæ concernunt politicam ac etiam in parte civilem, utriusque Status administrationem, dum graviora negotia, majoris confidentiæ, cum Regibus, & Principibus, ac etiam cum Legatis, & Nuntiis Apostolicis, per hoc organum junctum cum altero Cardinalis Nepotis pertractantur; Et quandoque, etiam in civilibus, & ecclesiasticis negotiis, Ordinariis locorum, vel Gubernatoribus aliisque Officialibus & Magistratibus Status ecclesiastici, oracula, & mandata Papæ explicantur.

Istudque officium, utpote summæ fiduciæ, per novum Pontificem pro tempore creatum, committi solet ejus majori fiduciario, vel viro, qui apud ipsum sit magnæ existimationis, quandoque in Cardinalitia dignitate constituto, ut nostrâ ætate praxis docuit, in Innocentio X. & Clemente IX. qui Cardinalium opera in hoc munere usi fuerunt, frequentius vero, qualificato Prælato, qui per Papam purpuræ proximè destinatus fuerit, ut currentis sæculi praxis docuit in omnibus aliis Pontificatibus, etiam in actuali Clementis X.

Cum ea circumstantia, consideratione digna, quod duo Secretarii Status, unus post alterum in statu prælaturæ ad hoc munus assumpti, eoque durante, brevi spatio temporis ad purpuram eVecti, fuerunt immediati successores Pontificum eos promoventium, nempe Alexander VII. qui à Nuntiatura Germaniæ inferiori evocatus, per Innocentium X. circa finem Pontificatus ad hoc munus, vacatum per mortem Cardinalis possessoris, atque intra breve tempus cardinalitia dignitate donatus, ejus immediatus successor fuit in Pontificatu; Et Clemens Nonus qui post plura munia expleta, illud præsertim Nuntii Apostolici apud Regem Catholicum, & Gubernatoris Urbis sede Papali vacante, per Alexandrum ad hoc munus evocatus, atque intra breve tempus Cardinalis creatus ejus immediatus successor fuit: Idque rationabiliter, quoniam cum hoc officium committi soleat, nisi Prælatiis peritis, multumque expertis in negotiis Principum, (ut etiam praxis actualis hujus Pontificatus docet in qualificato Cardinali Borromæo, S. Caroli ex fratre pronepote hoc munus explente, qui ad illud in statu Prælaturæ ab eadem Nuntiatura Regis Catholici evocatus fuit, cum prius quamplura alia munera exercuisset, illud præsertim Nuntii Apostolici apud Helvetios, & alterum Gubernatoris Urbis) ipsumque munus de per se magnam hujusmodi negotiorum peritiam inducat, & scholam

Iam præ se ferat; Hinc meredò quandoque ab eo ad supremam sedem fit transitus.

Habet autem iste Secretarius multos in hoc munere adjuutores & ministros, quorum aliqui sunt viri peritissimi in hoc munere secretarii, ac etiam probatæ fidei, qui literas ac instructiones in negotiis gravioribus majoris confidentiæ scribunt, quandoque ad dictamen ipsius Secretarii, & quandoque ipso revidente, eorum minutas seu literas præparatorias; Et aliqui sunt nudi scriptores, vel transcriptores, in quibus boni characteris peritiam habentibus, inimum commendabilis, ac existimanda est, intellectus crafities, vel imbecillitas: ut vel non percipiant, vel memoria non retineant id, quod transcribunt, ita prudenter & commendabiliter exigentè huiusmodi negotiorum qualitate; Inter ministros autem, primus ac majoris fiduciæ, merito est ille, qui cifrarum interpretationi, ac respectivè compositioni est præpositus, cui Secretarii cifrarum titulus vulgò tribuitur, atque non nisi viri in hoc munere peritissimi summaque fiduciæ assumi solent.

Nullam autem figuram in ordine hierarchico officialium Curia, facit iste officialis, ex eadem ratione, quæ *disc. præcedenti* in Cardinali nepotè, generali superintendente assignata est; Antiquiori enim tempore, istud munus, omniaque alia, quæ per alios Secretarios, & officiales, hodiè ut infra exercentur, explebantur per Cardinalem Vicecancellarium, qui erat Secretarius Papæ; Cumque ex crescentibus negotiis, plures ministros in adiutorium habere oporteret, ut in hoc Secretario Status ut supra praxis docet; Hinc nimium commendabile inolevit institutum; erigendi Collegium viginti quatuor Secretariorum Apostolicorum, qui has partes expleant, & ex quo assumi solebant Secretarii, & consiliiarii Legatorum, & Nuntiorum Apostolicorum ad Reges, aliosque magnos Principes, atque frequenter idem, eorum ex crescentibus meritis ad ipsum Nuntiaturæ munus assumebantur tanquam viri in politicis negotiis Principum, ac etiam in civilibus, ista occasione, veratissimi; Atque pro eorum congrua sustentatione, Pontifices aliquam participationem emolumentorum Secretariæ brevium, & Cancellariæ Apostolicæ, eis concesserunt; Sed quoniam huiusmodi emolumentorum ratione, inolevit usus, qui pluribus aliis officiis effectus est quoque communis, ut in *Regalium* sede agendo de officiis venalibus, particulariter advertitur *sub tit. de Regal. disc. 2.* adeò ut in solo spatio meæ vitæ forensis, officiorum istius Collegii valor in duplo creverit; Hinc Pontifices prudenter, & commendabiliter expedire non judicarunt, huiusmodi emptoribus, tam ex defectu peritiæ, quam fiduciæ, huiusmodi negotia committere, ideoque perit, seu evanuit adeò celebris, & commendabilis schola, Nuntiorum, & Consiliorum aliorumque Sedis Apostolicæ ministrorum, qui ex isto Collegio manabant.

Idem contigit in Secretario brevium, quoniam istud officium de jure est penes hoc Collegium, quod proinde notabilem habet participationem illorum emolumentorum, quæ pro Brevium expeditione solvi solent, pro eorum diversa qualitate, & taxa; Sed quoniam est officium, quod pariter exigit magnam peritiæ Canonum, & Conciliorum, & Apostolicarum con-

stitutionum, nec non Sedis Apostolicæ, & Curia stylosum, ne contingat concedi ea, quæ non debent, nec solent, Idcirco Pontificum stylus est varius, quandoque scilicet assumendi unum ex eodem collegio, in quo utraque qualitas prædicta peritiæ ac fiduciæ verificetur (ut nostræ ætate praxis docuit in pontificatibus Urbani VIII. & Innocentii X. in celebri Canonista, & peritissimo rerum ecclesiasticorum viro *Maraldo*, cujus aliqua vota pro negotiis præsertim consistorialibus circumferri solent, dum prius in munere causarum Patroni, & postmodum celebris Advocati diu versatus, aliud magnum Datarium muhus sub Paulo V. & Gregorio XV. exercuerat;) Et quando in Collegio virum ad id aptum, vel Papæ gratum non adesse casus præbeat, tunc alter assumi solet, sine tamen præjudicio Collegii circa participationem emolumentorum; Unde propterea quandoque Cardinali (qui etiam Secretarius Status erat & quandoque Auditori Papæ, vel alteri Prælo, huius muneris exercitium commendari, seu committi consuevit; Et quandoque etiam per notabile tempus, nullo existente Secretario in capite, illud exerceri consuevit per eisdem Secretariæ primum ministrum, vel adiutorem, qui substitutus appellatur; & qui frequentius est vir in hoc ministerio peritissimus, diuque versatus, probatæque fidei, ipsa verò Brevia per hunc substitutum cifrata, vel signata, subscribi consueverunt per unum ex Secretariis dicti Collegii puta per Decanum, vel per alium turnarium, pro eorum stylo, nimium autem rara est hæc praxis.

Per organum huius Secretarii Brevium expediuntur illæ literæ Apostolicæ, quæ dicuntur in forma brevis, signata, cum alias insinuata a deo fiduciario annulo piscatorio *supra disc. 3.* qui per ipsummet Pontificem, sive per magis intimum, probatæque fidei familiarem cum summa diligentia custoditur, istæque dicuntur literæ in forma Brevis, ad differentiam aliarum literarum, quæ sub plumbo expediuntur, per organum Cancellariæ, ut infra istæque vocantur Bullæ, pro diversa negotiorum qualitate, quoniam per Cancellariam sub plumbò expediuntur literæ provisionum ecclesiarum Metropolitanarum, & Cathedralium, aliarumque dignitatum, & beneficiorum sæcularium, & aliquorum Regularium, ac etiam nonnullorum officiorum vacabilium vel non vacabilium Romanæ Curia, Prout etiam dispensationes matrimoniales, & beneplacita Apostolica super alienationibus, aliisque conventionibus bonorum, & jurium Ecclesiæ, quando valor excedat summam seu redditum decem ducatorum auri de camera, & aliquæ dispensationes puta super bigamia, vel super publica irregularitate seu legitimis natalibus pro beneficiis, & dignitatibus, aut super pensionibus ecclesiasticis, cum similibus.

Per hanc verò Secretariam, atque per has literas in diversa forma brevis expediuntur dicta beneplacita super alienationibus bonorum Ecclesiæ infra dictam summam, decem ducatorum Camera in reddito, nec non dispensationes super ætate, vel super interstitiis, aut super defectu natalium, promovendorum ad ordines, non autem ad dignitates, & beneficia, cum istæ dispensationes super defectu natalium vel ratione bigamiæ, aut alterius irregularitatis vel incapacitatis, ut supra, expediti soleant, pariter per

Can.

Cancellariam sub plumbo; Nec non per hanc viam brevis expediuntur indulgentiæ & aliæ similes gratiæ.

Quam plures aliæ gratiæ, etiam in gravioribus, & primi ordinis negotiis conceduntur per hanc Secretariam, atque per istas literas, quæ dicuntur in forma brevis sub annulo Piscatoris; Nempè indulta, quæ conceduntur Regibus, & Principibus, & Cardinalibus, ac Legatis, & Nuntiis Apostolicis, nec non Dignitates; vel tituli sæculares, Principum, Ducum, & Marchionum, & Comitum, ac magistratus & officia, tam ecclesiastica, quam sæcularia & tam civilia, quam militaria, nec non abolitiones delictorum, & aliæ gratiæ, vel dispensationes; Et in summa omnia ea, quæ per Papam concessa, ex regulis Cancellariæ, vel ex stylo, non exigant necessitatem literarum sub plumbo per viam Cancellariæ.

Ad illud verò, per exteros generaliter advertendum est, quod nomen, seu vocabulum brevium Apostolicorum, non convenit omnibus illis expeditionibus, quem in membranis pelliceis, vel de corio, à Romana Curia expediuntur, sed solum illis litteris, quæ per hanc Secretariam expediuntur sub annulo Piscatorio; Aliud enim genus literarum Apostolicarum, quæ expediuntur per cancellariam, non sub dicto annulo, sed sub plumbo seu sigillo plumbeo pendente ex cordulis, diversum habet nomen seu vocabulum, quoniam ad differentiam istorum brevium, Bullæ nuncupantur, longæque diversam habent formam, tam circa species membranarum, quoniam pro brevibus in usu sunt membranæ subtiles, & albæ, pro bullis autem membranæ magis nigrae, & rudes seu grossæ, quam etiam in caractere, quoniam brevvia inscribuntur in caractere latino, nitido, & eleganti, ac intelligibili; In bullis autem retinetur antiquus stylus characteris gallici, eò quia in Gallia de tempore quo Sedes Apostolica residentiam habebat in Civitate Avenionensi, magis praticari ceperunt reservationes & affectiones Apostolicæ beneficiorum, cum expeditione bullarum, & cum solutione annatarum, aliorumque emolumentorum; Fuit etenim ista introductio Gallicorum, ut de hac introductione latius infra in Cancellariæ rubrica advertitur. *disc. 10.*

Aliæ verò expeditiones Curia, quæ ratione qualitatis chartæ de corio, generaliter ab exteris in Curia non versatis, brevvia Apostolica creduntur, & nuncupantur, (& utinam istam credulitatem ac nuncupationem non imprimerent illi mali caudidici, qui exteros non informatos decipiunt, supponendo esse brevvia Apostolica,) sunt monitoria Auditoris Camera, sive inhibitiones Rotæ, aliorumque Tribunalium, aut processus fulminati, & similes expeditiones Iudicum & Tribunalium.

Adhibetur etiam in Curia vocabulum brevium in illis expeditionibus, quas ut plurimum pro foro interno, ac etiam pro externo pro abolitionibus, à censuris, & ab aliquibus irregularitatibus, concedit Tribunal Penitentiaræ, sed istæ expeditiones longè diversam habent formam, diversumque sigillum, ad eò ut redeant diversitatem notoriam. *infra disc. 12.*

Etiam in provisionibus Cathedralium, & Metropolitanarum, vel dignitatum, & beneficiorum super quibus expediri solent, ac debent

literæ sub plumbo per Cancellariam, expediri solent istæ literæ in forma brevis sub annulo piscatorio, ad certum effectum provisionalem, ad piscendi scilicet possessionem, etiam literis non expeditis, quia nempe expedit, ex pluribus respectibus, pro casuum qualitate, illarum expeditionem, per aliquod tempus differre; Et quæ dicuntur brevvia de capiendâ possessione nomine Camera, quæ tamen non eximunt ab obligatione expediendi dictas alias literas, sed potius expressè ad id obligant, sub decreto annullativo gratiæ, infra terminum sex mensium; De huius verò termini initio vel decursu quæstiones in foro audiri solent, quoniam licet in verbis dicatur à die datæ presentium, de stylo tamen terminus currit à die pacificæ effectuatiõis, ut infra in huiusmodi Brevium particulari rubrica advertitur. *infra in eo disc. in quo de executione literarum Apostolicarum.*

Datur quoque circa forensia contentiosa, quædam species brevium Apostolicorum, per organum cuiusdam officialis, qui Secretarius brevium dicitur, sed est officium venale, extra Palatium, & sine assententia apud Papam, pro illis brevibus, seu literis, quas expedire oportet, pro commissionibus vel delegacionibus causarum appellacionis vel restitutionis in integrum quæ extra Curiam, seu in partibus diriguntur Episcopis vicinioribus, vel Iudicibus synodalibus, aut aliis personis in ecclesiastica dignitate constitutis; Sed huius officialis inspectio cadit potius sub Tribunali Signaturæ. *infra disc. 30. & 31.*

Cumque (ut præmissum est) per dictum Secretarium Brevium, majora, & graviora negotia Papalia expediuntur, ipsaque brevvia, aliud non habeant signum authenticum, nisi subscriptionem Secretarii, & impressionem dicti sigilli piscatorii in cera rubea, de facili delebilis, vel amovibilis; Hinc, pro certitudine expeditionis, bene provisum est, non solum cum registratione in libris seu registris, diligenter tentis, & custoditis (ut etiam sit de aliis litteris Cancellariæ, sub plumbo) sed cum minutis seu matricibus subscriptis manu ipsius Papæ, quæ per Secretarium conservantur, pro ejus indemnitate, ac etiam pro certificatione veritatis gratiæ, arque pariter suis statutis temporibus, in Archivio Apostolico diligenter custodiuntur; Illis forsitan gratis vel brevibus exceptis, quæ concedantur super rebus consuetis, modicique momenti, ad eò ut penè nemini negentur, unde propterea, generalis commissio seu probata fides Secretarii ac impressio dicti annuli piscatorii sufficientes videntur; Ut (ex. gr.) sunt, brevvia super dispensatione interstitiorum pro suscipiendis sacris ordinibus in tribus diebus festis, aut super dispensatione ætatis tredecim mensium ad suscipiendum ordines sacros, sive quædam species indulgentiarum, quæ sub certa forma omnibus conceduntur; Puta pro altari privilegiato in una die hebdomadæ, & in octava mortuorum; Aut pro indulgentia plenaria in una tantum solemnitate totius anni alicujus Ecclesiæ, cum similibus gratiis, quæ sub certa, & generali formula inalterabili; cuique petenti conceduntur, quoniam, cum fraudis seu falsitatis timor desuper verisimiliter non cadat, idcirco superflua videntur dictæ majores diligentia; Potissimè ob huiusmodi expeditionum multiplicatam magnamque copiam unde

undè propterea, quando desideretur aliquid speciale & alterativum formulæ consuetæ, tunc dictæ diligentie intrant, pro diversa negotiorum qualitate, diversisque stylis, quibus in his materiis defendendum est.

17 Circa verò emolumenta, quæ pro sustentatione officialium, & secretariorum ut supra, solvuntur, non de facili regula statui potest, bene tamen ad sunt taxæ determinatæ, non alterabiles; Siquidem pro indulgentiis, aliisque spiritualibus, nihil penitus solvitur, sed omnino gratis conceduntur, aded ut Secretaria erogat de proprio expensas membranarum, & Scriptorum, Solumque in aliquibus casibus extraordinariis solvi solet quoddam modicum determinatum emolumentum, (forfan pro dictarum expensarum refectione;) Alia verò brevia suas habent taxas, quoniam (ex. gr.) pro dispensatione super interstitiis solvuntur quatuor ducati de camera, & pro quibusdam aliis dispensationibus vel pro beneplacito Apostolico super alienatione bonorum Ecclesiæ, cum similibus, solvuntur quinque; In aliis autem gravioribus negotiis, taxa est difformis, pro eorum qualitate sed nimium moderata.

Quantum verò unus ducatus cameræ importet, explicatur infra in rubrica Cancellariæ disc. 10. ad evitandum quo magis fieri potest earundem rerum repetitionem.

18 Alium habet Secretarium Papa, in Palatio sibi assistentem, qui officialis Aulae potius, quam Curia, figuram facere videtur, & per cuius organum aliquæ consimiles literæ in forma brevis, in pellucis membranæ eodem latino idiomate inscribuntur, super literis scilicet responsivis, vel invitativis, aut monitivis, quæ per Papam feribuntur Regibus, & Principibus, sive Principum Vicariis, ac supremis magistratibus, vel aliquibus magnatibus, & nobilibus viris, seu magnis Prælatibus, quibus Papa ita scribere solet, cum stylis in hoc defertur, istudque in unum nil pertinet ad forensia.

19 Denum alium quoque Secretarium in palatio & apud se assistentem Papa habet, qui pariter Aule potius, quam Curia officialis, figuram facit, isteque dicitur Secretarius memorialium, quia nempe memorialia, vel supplices libelli, qui Papæ porriguntur, & per istum Secretarium statutis diebus & horis Papæ referuntur, per extensum, vel in compendio, pro negotiorum qualitate, atque ejusdem Papæ oracula vel provisiones, in ejusdem supplicis libelli dorso per eum adnotantur, ad effectum, ut desuper expediantur brevvia, vel aliæ provisiones, sive quod, ubi agatur de negotiis forensibus in Curia, idem supplices libelli cum dicto rescripto ab ipso Secretario per eius ministros dirigantur, Judicibus, & Magistratibus, ad quos negotia pertinent, cum ut plurimum sint rescripta excitativa ordinaria, vel delegatæ aliàs competentis jurisdictionis; Atque in Curia tanquam receptum circumfertur axioma, quod hæc memorialia non tribuunt jurisdictionem ei, qui non habeat, dum jurisdictionis communicari solet per commissiones, ut in Signaturæ rubrica advertitur; Solumque de consuetudine, per hæc memorialia, seu rescripta, aliqua tribui solet major facultas; Puta, quod Judex ordinarius, vel delegatus non teneatur pro executione iudicati parere aliquibus inhibitionibus, quæ per debitores obtineri solent ad defatigandos creditores ac impediendam executionem, cum similibus; Aut habilitari solent officiales, & administratores piorum locorum, ut facere valeant ea, quæ ex eorumdem locorum statutis, vel stylis

Card. de Luca. Relatio Curia Romana.

facere non possunt, Et generaliter in iis, quæ respiciunt potius accidentalia, quam substantialia jurisdictionis, & potestatis, pro negotiorum qualitate, ac stylis.

DISCURSUS VIII.

De aliis Palatii Apostolici & Papæ officialibus, & ministris; Et præsertim de ejusdem Palatii Præfecto; Et de Magistro; Et de Auditore Papæ; & aliis.

SUMMARIUM.

- 1 **D** E Præfecto Palatii Apostolici, qui Major Domus dicitur.
- 2 Quale sit eius munus, & cui personarum generi conferatur.
- 3 Est Iudex omnium familiarium, & ministrorum Palatii.
- 4 Est etiam Gubernator Civitatis Tusculanae, & Arcis Gandulphi, & qualis sit eius jurisdictio.
- 5 De Magistro ejusdem Palatii, & de eius munere.
- 6 Quod antiquitus tanquam Canonista quoque exerceret munus Auditoris.
- 7 De eius loco, vel sessione in Capella.
- 8 De jurisdictione, & officio circa impressionem librorum, ac prohibitionem.
- 9 De aliis eius præminentibus, & prærogativis.
- 10 De Auditore domestico Papæ, eiusque munere.
- 11 De eodem alibi remissivè.
- 12 De aliis Palatii Officialibus, & præsertim de Præfecto cubiuli.

Præfectus Palatii Apostolici, est tanquam quidam Gubernator dicti Palatii & rector, ac provisor familiæ Papæ, isteque ab aliquo moderno tempore, honestiori vocabulo nuncupari cepit Major domus, cum prius, retinendo antiquam simplicitatem, appellaretur Magister domus; undè propterea lepidissimus Boccacinus in *parnasianis discursibus*, ingeniosè desuper ludit in persona eximie Nobilitatis Cardinalis de Aquaviva, qui sub Gregorio XIV. istud obtinuit munus, à quo ad purpuram brevi evectus fuit.

Est pariter munus, potius privatum quam publicum, seu potius aulicum, quam curiale seu forense, juxta Curia Magistratum hierarchicum ordinem, qui apud Scriptores habetur; Adhuc tamen de facto est munus magnæ existimationis, ac de illis primi ordinis, utpote pro frequentiori contingentiæ, ex ultimis seu magis proximis gradibus ad purpuram; Unde propterea regulariter esse solet penes qualificados, ac emeritos Prælatos, qui per alios gradus etiam Nuntiaturarum, aliorumque publicorum munerum transierint, Illeque in Ordine Episcopali vel Archiepiscopali constitutus esse solet, adeo ut si per Papam ad hoc officium assumatur simplex Prælati, ista occasione creatur Episcopus titularis in partibus.

Aliquam tamen nobilem jurisdictionem habet adeo ut speciem Tribunalis considerabilis constituat, habendo Auditorem, aliosque ministros, quoniam est privativè ad omnes alios Curia iudices & Tribunalia) Judex in omnibus causis civilibus, criminalibus, & mixtis, non solum totius familiæ actualis Papæ, id est eorum, qui in Palatio vivunt. Papæ servitio, in majoribus, minoribus, & infimis muneribus addicti, sed etiam

E e omnium

omnium, qui in Urbe, vel extrâ, propriæ domi vivendo, mediâ, seu remotè, Papæ, seu Palatio Apostolico, cuiusque villis vel membris inserviunt. Ut (ex. gr.) sunt provisorum carnium, tam civilium, quam silvestrium, ac piscium, & olerum, aliorumque victualium, Nec non sunt mercatores subministrantes ea, quæ necessaria sunt ad vestitum; Ac artifices, medicis, chirurgi, barbitonfores, & alii similes.

Est etiam Governator Tusculanæ Civitatis, & Arcis Gandulphi, tanquam locorum destinatorum servitio Papæ, quando rusticari velit, præsertim in consuetis temporibus, Veris, & Autumni; Ideoque in his locis particulares deputat Governatores, & Cancellarios, aliosque officiales, a quibus ad ipsum habentur recursus, vel interponuntur appellationes, Non tamen præcisè, & ex necessitate, cum etiam ad Auditorem Cameræ, vel per viam commissionis in Rota, seu coram Prælati appelleretur, ideoque est Ordinarius in temporalibus primæ instantiæ, sicut est Episcopus in spiritualibus; Habet tamen aliquid plus, quam Episcopus in eo, quod à Vicario non appellatur ad Episcopum cum sit idem & unum Tribunal, & tamen ab his localibus officialibus, qui sunt eius Vicarii, ad ipsum appellatur, vel habentur recursus; Istæque causas ulterioris instantiæ, quandoque (licet raro) cognoscere solet per se ipsum, & quandoque particulariter alicui Prælati, vel qualificato Curiali committere; frequentius autem per eius Governatorem eas cognoscit, & iudicat.

In eodem Palatio quoque residet, atque inter Papæ aulicos familiares, recensetur unus Religiosus Ordinis Sancti Dominici; S. Theologiæ eximius Professor, cum socio pariter eiusdem Facultatis Professore, qui speciem eius Vicarii, seu Adjutoris in munere, præ se ferre videtur, ultra conversos, qui pro eorum servitio sint necessarii; Isteque gerendo munus Theologi Papæ, sive sit tanquam Papæ, seu magis propriè tanquam Episcopi Urbis, nuncupatur Magister S. Palatii in sua origine probabiliter assumptus ad effectum, ut in rebus, quæ ad fidem pertinent, in privatis occurrentiis Papam informet, tanquam per speciem consultoris in his materiis; Eo modo, quo data proportione, tenent Theologum plures Archiepiscopi, & Episcopi, ac etiam Cardinales, potissimè antiquioribus temporibus, antequam sub Paulo III. erigeretur Congregatio inquisitionis, vel sancti Officii, quæ hodie in iis, quæ pertinent ad Ecclesiam universalem, & Papam uti Papam, istas gerit partes, ut infra in eius rubrica, *infra discursu* 14.

Istud autem officium dici meretur magis publicum & curiale, quam aulicum, in ordine hierarchico Curia, eiusque Magistratum; Ideoque tam ratione antiquitatis, quam ratione dicti muneris, quod ante erectionem præfate Congregationis exercebat, valde considerabilis erat eius auctoritas illudque præsertim exercebat Sanct. Raimundus, qui de mandato Gregorii IX. fuit compilator quinque librorum decretalium; Ac propterea non Theologiæ tantum, sed etiam juris Canonici antiquitus eximius Professor erat, & per consequens etiam peritus in Jure Civili, dum vix dari potest bonus Canonista sine hac peritia, ut alibi advertitur; In annot. ad S. C. T. disc. 32. & tit. de iurisdic. in supplemento, & infra disc. 22. agendo de iudicis idea, occasione Tribunalis Rota. Unde propterea commen-

dabilis videbatur usus antiquus, quod aliqui Religiosi, ut huic muneri se aptos redderent, non solum Theologiæ, sed Canonum studii æque principaliter vacarent, ut docent opera præsertim Cardinalis de Turrecremata, qui fuit etiam hujus Ordinis Prædicatorum Professor, pluresque antiqui primi Ordinis Canonistæ, ac nostri Præceptores fuerunt Monachi seu Regulares, & tamen magis Canonistæ, quam Theologi; Ideoque nimium probabile est, quod idem Magister gereret eas partes, quas hodie gerit domesticus Auditor Papæ, dum antiquum ceremoniale, seu praxis capella pontificiæ, ante eius reformationem sub Alexandro VII. docet, quod reputabatur tanquam unus ex Rotæ Auditoribus; Immo omnium major ac dignior, præter Decanum, sub quo, supra alios, quamvis antiquiores, sedebat; A tempore verò dictæ reformationis sequuta sub præfate Alexandro septimo, per quam Rotæ Auditores Subdiaconi creati fuerunt, cum prærogativa rochetti; unde propterea ita decisa remanuit antiqua lis præcedentiæ inter Auditores Rotæ, & Clericos Cameræ, forsitan ratione simetrici, vel hierarchici Ordinis, & ne inter inditos habitu Clericorum secularium interfecarent indui habitu seculari, juxta ea, quæ in materia præ eminentiarum, ac alibi habentur, *sub tit. de præ eminent. disc. 24.* nunc, sedet quidem cum Auditoribus Rotæ, sed post eorum ultimum.

Hodiernum autem munus hujus Magistri, principaliter consistere videtur in revisione operum seu librorum in Urbe, ac districtu imprimendorum, cum impressio prohibita sit sine prævia licentia Cardinalis Vicarii, seu eius Vicegerentis, quæ concedi solet sub conditione revisionis, & approbationis hujus Magistri, qui quandoque per se ipsum, vel per eius socium hanc revisionem facit, & quandoque sæpe frequentius, in libris legalibus, vel aliarum facultatum, quarum ipse, eiusque socii non sint professores, revisionem committit alicui probato professori, ad cuius relationem ipse licentiam impartitur, ut docet praxis adeo frequens librorum, qui in Urbe imprimuntur; Quinimmo neque ista licentia sufficit, sed postquam liber est impressus, desideratur altera eius licentia super publicatione, cujus occasione, per Impressorem tres ei traduntur eiusdem libri copiarum impressæ, una scilicet pro seipso, altera pro socio, & altera pro dicto Vicegerente.

Retinet quoque facultatem, quam forte solus exercebat ante erectionem dictæ Congregationis Inquisitionis, & alterius, quæ dicitur Indicis librorum prohibitorum, de qua etiam infra in sua sede *infra disc. 15.* revivendi scilicet (ubi velit) libros alibi impressos, qui in Urbe, eiusque districtu vendantur, seu legantur; Ac etiam concedendi licentias personis non suspectis, legendi libros prohibitos, ad aliquem bonum finem, ideoque ex ista etiam causa ante dictarum Congregationum erectionem longè majorem faciebat figuram; Atque in hujus Officialis praxi verificatur id, quod alibi advertitur *Supra disc. 2. & de præ eminent. disc. 1.* quod scilicet dicecensis particularis Urbis extenditur ad centum milliarum, dum ultra hodiernum districtum breviorum 40. milliarum, intra dictum majorem ambitum in præmissis suum officium exercet, aliasque habet prærogativas.

Adhuc tamen in hierarchia regulari, est officium magnæ existimationis; Tum ob præmissam

jurif-


jurisdictionem, & ob annexum munus fixi Consultoris dictæ Congregationis seu tribunalis Inquisitionis, Tum etiam, quia cum ad præscriptum Apostolicarum Constitutionum ad decorandum clerum regularem, congruat aliquos Religiosos Cardinalium Collegio cooptare, ille reputari solet gradus valde proximus huius dignitati, ut praxis pluries probavit; Ac ultra præmissa est etiam fixus, & continuus concionator Palatii seu familiae Papæ in consuetis prædicationis temporibus, Adventus scilicet & Quadragesimæ.

10 Officium Auditoris domestici Papæ est de jure potius aulicum, seu privatum, quam publicum, vel curiale, dum apud antiquos Præcticos, aliosque Doctores, mentionem facientes de Officialibus Papæ, & Curia, de hoc ministro non agitur, quoniam in sensu aliquorum Auditorum Papæ est Auditor Camera, sicut probabilior videatur sensus aliorum, quod Auditor Camera esset potius Auditor Camerarii, ut in sua sede, infra disc. 34. Istaque partes privati Auditoris Papæ, antiquitus probabiliter implebat dictus Magister S. Palatii, ut supra.

Istius autem Officialis munus, principaliter consistit in adjuvando Pontificem in studiis, quando interveniat in Congregationibus, sive in aliis negotiis per se ipsum explicandis, in Consistorio vel in Aula, sive in Signatura gratiæ, eo modo, quo faciunt omnes Auditores Cardinalium, ac etiam Prælatorum; Atque ab aliquo moderno tempore, nostra ætate, illi injuncta est cura se informandi de qualitatibus eorum, qui Papæ proponuntur pro regimine Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum.

In forensibus autem, juxta pariter modernam introductionem, ejus munus principaliter versari videtur in iis, quæ concernunt recursum ad Signaturam Gratia, ideoque de hoc agitur infra in dictæ Signaturæ rubrica particulari discursu 30.

11 Alii verò aulici officiales, ut sunt Præfectus cubiculi, Pincerna, Dapifer, Eleemosynarius, & alii, nullam habent jurisdictionem, ac propterea nullam figuram faciunt in ordine hierarchico Curia Romanæ; Bene verum, quod primum præsertim munus Præfecti cubiculi, esse solet magnæ existimationis, & quandoque exerceri per seniorem nimumque qualificatum Prælatum, qui transferit per gradus, & munera, etiam majora, ideoque mereatur dici proximus purpure, ad quam ab hoc munere transitum fieri frequens praxis docet; Ut præsertim nuper ea docuit in Clemente X. qui alteri Clementi immediato prædecessori post plura etiam primaria munera laudabiliter exercita Episcopi Cameracensis, Nuntii Neapolis, Nuntii Collegii Cardinalium ad Principes Italia, Et Secretarii Congregationis Episcoporum, & Regularium, ad hoc munus assumptus, fuit successor immediatus; Ideoque ad Curiam aulicam potius, quam ad forenses istorum, & aliorum officialium munera pertinent.



Card. de Luca. Relatio Curia Romanæ.

DISCURSVS IX.

De Datario, ac aliis Dataria Officialibus.

S V M M A R I V M.

- 1 De agentibus de hac materia Dataria, & de vocabulo Datarii.
- 2 Quale sit institutum Auctoris in universa hac relatione.
- 3 Quare expediat antiquum statum scrutari, & scire.
- 4 In quo consistat æquivocum scriptorum, de quibus num. 1.
- 5 In quo propriè consistat munus Datarii, & quod ipse non conscribat literas.
- 6 Quæ sint negotia, quæ transeunt per Datariam.
- 7 Quæ negotia antiquitus per Papam explicabantur.
- 8 Et per quæ organa hodie dicta antiqua negotia transeunt.
- 9 Quæ concessionem fiebant per Penitentiarium, & hodie fiunt per Datariam.
- 10 Multa negotia quæ expediuntur per Datariam, sunt moderna.
- 11 De origine, & introductione reservationum, & affectionum Apostolicarum in beneficiis.
- 12 Quod per reservationes penè annihilata sit potestas Ordinariarum in collatione beneficiorum.
- 13 De quo tempore, & ubi ceperint reservationes Apostolicæ beneficiorum.
- 14 De causa introductionis officii Datarii.
- 15 Gratia anterior prævalet, ac attendi debet.
- 16 Quale item sit munus, vel officium Datarii.
- 17 De etymologia vocabuli, vel nominis Datarii.
- 18 Quibus personis hoc Datarii munus injungatur, & præsertim Rota Auditoribus.
- 19 Cardinales non vocantur Datarii, sed Prodatarii.
- 20 De Subdatario, & per obitum.
- 21 De munere Datarii in præparando negotia Papæ proponenda, & de signatura supplicationum.
- 22 De eodem Subdatario.
- 23 De data, quæ apponitur supplicationibus signatis.
- 24 De primo, & secundo revisore, aliisque officialibus, & quod isti aliqua cancellent.
- 25 De registratione quæ gratiam perscit.
- 26 Datarius potest lacere supplicationes signatas ante registrationem.
- 27 Sola supplicatio sine literis non sufficit, & quando fecus.
- 28 Ex stylo Dataria, & Cancellaria desumitur voluntas Papæ, & regulatur materia surreptionis.
- 29 De stylo Datarie.
- 30 De conclusione quod in Papa non detur ignorantia iuris, unde deriver.
- 31 De controversiis forensibus, & contentiosis quæ in Dataria habeantur.
- 32 Datarius declarat voluntatem Papæ.
- 33 Contra assertiones Datarii non admittuntur probationes.
- 34 An credatur attestacionibus Datarii post dimissum officium.
- 35 De transumptis literarum Apostolicarum earum, quæ forma hodierna.
- 36 De gratis quæ signantur in forma Concessum.

Ec 2

Mo.

Modernus rerum Dataria scriptor. *Amayden de stylo Datarie capitul. 1. & 2.* agendo de huius vocabuli Datarii, etymologia, huiusque muneris antiquitate, seu introductione, & antiquitus hic officialis divertus esset à Vicecancellario, Ad hanc diversitatem probandam, multa recenset antiqua diplomata Apostolica, in quorum subscriptionibus, ille Cardinalis, qui cancellarius, vel scribæ munus gerebat, non semper Cancellarium se enunciat, sed quandoque bibliothecarium, & quandoque seriniarum, vel sub aliis titulis & nuncupationibus.

2. Quamvis autem meum non sit istas, ut plurimum superfluas, antiquitatis quæstiones assumere, dum institutum directum solum est ad publicam utilitatem, ex solo motivo charitatis, præsertim erga externos, ut acturi negotia in Curia Romana, sciant quam viam aggressuri sint; Sive ut ab eadem Curia in partibus, expeditiones habentes, earum speciem seu qualitatem agnoscant, atque à malis Curialibus, vel crumenarum iniquis tortoribus, non decipiantur; Hinc propterea, neglecta antiqui rerum status indagatio, pro dicto instructivo sine, congrua solum, ac sufficiens reputatur

3. practica enarratio status præsentis; In hoc tamen, Datarii munere, vel Dataria Tribunali (ut etiam in aliquibus aliis Tribunalibus) pro eodem instructivo sine, ac regulatione rerum præsentium, non incongruum est, aliquid super origine, vel antiquo statu perferuari, ut ad meliorem officii, vel tribunalis cognitionem deveniat.

4. *Æquivocum itaque videtur illud præfati Moderni scriptoris, ex dictis diversis antiquorum diplomatum subscriptionibus, inferre ad hoc munus Datarii, quoniam, quidquid sit de diversitate, inter antiqua munera Archidiaconi, Cancellarii, Archiviarii, Seriniarii, Scribæ, Bibliothecarii vel similia, Non tamen exinde inferri potest, ad antiquitatem huius officii Datarii, Tum quia, attento antiquo statu, Curia Papa, nullum ferè expediebat negotium, ex his, quæ hodie ad Datariam pertinent ut infra; Tum etiam quia, ex lectura Indultorum Apostolicorum, aliarumque concessionum, quæ per literas in forma bullarum, seu privilegiorum, concessa apparent, ad hoc munus datarii inferri non potest.*

5. Siquidem, attento etiam hodierno statu, ipsa nec negotia, quæ per organum Datarii à Papa explicantur, reducuntur ad dictam formam literarum Apostolicarum, per diversum organum Cancellaria, cum subscriptionibus (pro negotiorum diversa qualitate) Vicecancellarii, aliorumque Cancellaria officialium, non autem Datarii, cuiusque officialium, quorum munus est solum circa supplicationes originales, in quibus gratiæ per Papam concessæ continentur; Et ex quibus, postquam per omnia Dataria organa, legitime transierunt, adeunt perfecte, & authentice matricæ dici valeant, Vicecancellarius, eiusque officiales literas solemnes, quæ bullæ vulgo dicuntur, conficiunt, tanquam per speciem illius publici instrumenti, quod in publicam formam probantem, à matrice, seu ab originali imbreviatura, in forma magis lata, & solemniori, per notarium redactum sit, ut partibus tradatur, ad probationem & executionem, ita fingendo duos eiusdem contractus, vel dispositionis Notarios diversos; Unum scilicet, ad quem pertineat rogatum vel stipulationem facere, in matrice, vel prothocollo; Et alterum ad quem perineat, ex

eadem matrice, vel prothocollo; publicum reassumere instrumentum in forma solemniori; Et per consequens clarum æquivocum est ex antiquarum bullarum subscriptionibus, ad istud Datarii munus inferre.

Potissimè quia (ut præmissum fuit,) in illis antiquioribus temporibus, quæ ab eodem Scriptore expendantur; Papa fortè nihil, vel parum, se ingerat in illis negotiis, circa quæ penè totum Datarii munus hodie versatur; Ut nempe sunt collationes beneficiorum reservatorum vel affectuorum, Nec non reservationes pensionum super eisdem; Ac dispensationes matrimoniales, atque dispensationes puta super natalibus, vel super irregularitate, aut super bigamia, vel super etate, & similes; Ac etiam sunt Apostolica beneplacita super alienationibus bonorum Ecclesiæ; Vel concessionibus officiorum venalium, & similia, quæ omnia moderna sunt, dictis antiquis temporibus incongrua, quando Papa uti Papa, non autem uti Episcopus particularis Urbis, solum se ingerere videbatur in provisionibus Cathedralium, & Metropolitanarum, & aliorum Monasteriorum; Sive in novis earundem Cathedralium, & Metropolitanarum erectionibus, Aut in earum, & aliorum Monasteriorum exemptionibus, à Metropolitanano, vel Ordinario respectivè, recipiendo sub immediata B. Petri, ac Sedis Apostolicæ jurisdictione, & protectione; Aut in illis indultis & privilegiis, quæ pro bono fine, ita illorum temporum conditione exigente, etiam circa spiritualia, Principibus secularibus, vel Republicis, aliisque Universitatibus concedebantur; Et ex quibus deinde in abusum transeuntibus, tot eidem Sedi damna, & præjudicia irrepserunt; Atque super his, antiqua diplomata Apostolica circumferuntur.

Ista vero non sunt negotia Dataria, neque per Datarii Organum explicantur; Si quidem, Cathedralium, & Metropolitanarum, & aliorum monasteriorum provisiones, novæque erectiones, vel uniones, aut divisiones, vel concessionis pallii, expediuntur per viam Consistorii, Et sic per organum Vicecancellarii à quo expediuntur literæ; Atque alia indulta, de quibus supra, hodiè, vel pariter per Consistorium, & sic per organum Cancellaria, non autem Dataria, vel per alterum organum Secretarii Brevium expediuntur *disc. præced.*

Moderna verò sunt, ferè omnia negotia, quæ ad Datariam pertinent; Siquidem præfate dispensationes, tam matrimoniales, quam alia (aliquibus gravissimis & insolitis casibus exceptis,) usque ad recentia tempora Pij IV. adeo unius tantum sæculi decursus accedat, concedebantur per organum Penitentiarie ut infra in eius particulari rubrica advertitur; Idemque sequebatur in beneplacitis Apostolicis super alienatione bonorum Ecclesiæ, vel in aliis Apostolicis assensibus seu confirmationibus. *infra discursu*

12. Collatores verò beneficiorum reservatorum, exceptis illis Urbis quæ à Papa conferebantur tanquam Episcopo, & Joci Ordinarii sunt recentes, ob recentem usum reservationum, & affectionum Apostolicarum; Magisque recentes sunt reservationes pensionum ecclesiasticarum super eisdem beneficiis, vel super Cathedralibus, & Metropolitanis, ac

ac Monasteriis; Ac etiam modernus est usus venalium, vel gratuitarum concessionum aliquorum officiorum Romanæ Curie.

Quatenus enim ad beneficiorum reservationes, vel affectiones Apostolicas, & successivè ad reservatorum collationem pertinet; Juris communis, vel sacrorum Canonum dispositione attendita, omnia ecclesiastica beneficia, tam curata, quam non curata, cujuscumque qualitatis, etiam dignitatem præ se ferentia, quocumque tempore, in quocumque loco, & ex cujuslibet possessoris morte naturalis, vel civili vacent, pertinent ad Episcopum, vel Ordinarium, in cujus diocesi, vel territorio sita sint, nisi lex foundationis, vel antiqua consuetudo, aut alter legitimus titulus, alteri inferiori ac privato collatori extraordinarium seu accidentalem facultatem tribuat; *in de benef. disc. 1. & seqq.* Ad eum Papa, præter provisionem Cathedralium, & Metropolitanarum, & aliarum Monasterialium seu Collegatarum, cum territorio separato per viam propriæ electionis, vel creationis, seu per viam confirmationis, electionis, vel nominationis, aliâ non haberet collationem beneficiorum, nisi ordinariam ratione particularis Episcopatus Urbis, vel aliam nimiam raram jure devolutionis, tam ab Ordinario, quam à Metropolitano; Paulatim verò ad preces eius familiarium, aliorumve Aulicorum, vel Curialium, cupientium provideri de beneficiis in propria diocesi existentibus, inolevit usus, quod Papa illos ordinarios collatoribus commendaret, præsertim postquam irrepsit usus dandi Ecclesias Cathedrales, & Metropolitanas ac etiam monasteriales in commendam Cardinalibus, & Prelatis, aliique Romanam Curiam sequentibus, absque onere residentie; Unde propterea dici ceperunt provisiones ordinariæ, ad commendationem Papæ; Multumque rari erant casus, in quibus ordinario collatore in civiliter Papæ commendationem parvi faciente, ipse uteretur eius alibi insinuata potestate. Ordinarii Ordinatorum, præveniendos locales Ordinarios in collatione beneficiorum; aliisque exercitio ordinariæ jurisdictionis ac potestatis; *supra disc. 2.*

Ab hoc initio ortum duxerunt omnes Apostolicæ reservationes, & affectiones, per quas, vel ratione temporis, vel ratione personæ, aut ratione rei, seu qualitatis beneficii, aut ob accidentalem appositionem manuum Papæ occasione resignationis, vel coadjutorie, præfata Ordinariorum jurisdictionis seu facultatis, valde restricta est, Siquidem translata Sede Apostolica in Galliam, in Civitate Avenionensi circa annum 1324, introduci cepit reservatio personalis, & realis aliquorum scilicet nimium qualificatorum beneficiorum seu dignitatum, dum prius vigeat localis eorum, quæ vacarent in Curia Papæ, vel per mortem aliquorum eiusdem Curie qualificatorum Officialium; Deindeque paulatim per regulas Cancellariæ sequutæ sunt aliæ reservationes, illa præsertim major magisque generalis temporis, octo scilicet mensum cujuslibet anni; Idque de consequenti vel introduxit, vel nimium ampliavit reservationes pensionum ecclesiasticarum super eisdem beneficiis.

Cum itaque hujusmodi provisiones non publicè in Consistorio, sed privatim in aula, per supplicet libellos, aut per supplicationes manu Papæ signatas fierent, Casus autem præberet, quod idem Papa ex negotiorum multiplicitate non valens omnia memoria retinere, eadem beneficia pluribus personis conferret; unde propterea continua oriebantur jurgia, super temporis anterioritate, quæ

Card. de Luca. Relatio Curie Romanæ.

etiam beneficialibus, atque in gratiarum concessionibus attendenda est, quod scilicet gratia anterior posteriori præferatur; *Baratt. & add. dec. 421. & passim.* Idcirco quendam privatum potius, seu fiduciarium ministrum, tanquam per speciem Secretarii, ad id deputare congruum fuit, qui curam hujusmodi supplicationum, & expeditionum haberet, atque postquam Papa per eius signaturam gratiam perfecit, ipse adnotaret tempus seu diem, ut ita dignosceretur, quænam essent gratiæ anteriores, & quæ posteriores; Ac etiam (& fortius) ut ita convinci posset, an congruo tempore, gratia petita, & respectivè concessa esset, eo quia absque verisimili noticia mortis, beneficia adhuc non vacata, quando recens vacatio sperabatur, extorqueri solebant, ut etiam hodierna praxis quandoque docet.

Idemque minister, vel officialis qui hanc habebat curam, adnotandi scilicet datam temporis, tanquam rerum beneficialium peritus, gerebat quoque munus Consiliarii, vel Auditoris Papæ ad effectum inspiciendi, eidemque consulendi, an illa vacatio caderet, necne, sub eius reservationibus, ac provisionibus; Seu quomodo pro beneficiorum qualitate provisio facienda esset; Aut an oratores, qui supplicationes porrigebant, essent digni, ac idonei, nec ne.

Exindè propterea prodit hoc Datarii nomen, seu vocabulum; Non quidem à verbo *dare*, quoniam non ipse, sed Papa dat beneficia, aliasque gratias, sed ab alio barbaro, ac lingue latinæ Professoribus ignoto vocabulo *Datere*, quia scilicet adnotabat datam, quæ in Principum legibus, ac provisionibus, & gratiis, ab antiquo tempore adhiberi consuevit, ut docet tenor plurium Imperialium Constitutionum in Codice, ac etiam docent Apostolicæ Constitutiones, aliaque deplomatæ etiam antiquæ.

Dictæque circumstantiæ, circa quas Datarii munus vertatur, præsertim Consiliarii summique fiduciarii Papæ causant, ut hoc munus; Prelatis nimium qualificatis, atque in materia beneficiali bene versatis injungi soleat; Illudque præfert quoque gradum, pro frequentiori contingentia purpura proximum; Atque pro nostræ ætatis, seu recordationis praxi, continuatus fuit stylus lex Pontificum à Gregorio scilicet decimo quinto, ad regnantem Clementem Decimum, quod Datarius assumptus fuerit ex Rotæ Auditorio; Sub Gregorio enim decimo quinto, hoc munus exercuit *Merlinus* talis doctrinæ, qualem eius decisiones probant, & qui ob nimiam Pontificatus brevitatem, ad majora non transit; Sub Urbano VIII. successore, assumptus fuit *Cavalerius*, cujus decisionum quoque volumen habemus, qui purpuram assequutus est, Sub Innocentio Decimo successore fuit *Datarius Cecchinus*, pariter Auditor, brevi assumptus ad cardinalitiam dignitatem, in qua etiam continuavit in officio; Sub Alexandro VII. successore, idem officium commendatum fuit *Corrado*, jam qualificato, & docto Cardinali, creato per Innocentium prædecessorem, qui etiam per plures annos Rotæ Auditor fuerat; Idemque sequutum est sub Clemente IX. successore, in pariter qualificato & docto Cardinali *Oribonno*, qui *Corradi* in promotione collega fuit, cujus decisionum volumen habemus; Atque sub Clemente X. regnante ac successore, ad hoc munus evocatus fuit in statu Auditoris Rotæ *Carpinensis*, nunc pariter qualificatus & doctus Cardinalis, ac Urbis Vicarius, qui in eisdem muneris exercitio continuat.

E e 3

E a

Ea verò dignoscitur differentia inter Datarios, qui sint in statu Prælatu- & eos qui cardinalitia dignitate jam polleant, quoniam isti posteriores non Datarii, sed Prodatarii vocantur, fortè quia non congruat eximie cardinalitæ dignitati, assumere officium inferius, ac prælatitium, quod ita provisionaliter, seu jure cujusdam commendationis, per Cardinalem administrari non incongruat.

Ac etiam in eadem nostra ætate, seu recordatione, sub Urbano VIII. ab eodem Rotæ Auditorio, assumi vidimus ad munus Datarii Cardinalis Barbarini nepotis, in Legatione de latere ad Reges Catholicum, & Christianissimum: pro pace inter eos incunda, bellisque componendis; Pamphiliam, qui Cardinalis etiam creatus: eiusdem Urbani successor fuit, sub nomine Innocentii X.

Habet item Dataria plures adjuutores: & officiales, cum distributione inter eos munerum ad eundem finem tendentium: ut ita occurratur fraudibus, quodque adeo gravia negotia fideliter, & bene administrantur, ex quibus duo primis seu majores, unus vocatur *Subdatarius*, qui ex ordine Advocatorum vel Patronorum, in materia beneficii bene tam theoreticè, quam practicè peritus, assumi solet, Et alter vocatur *per obitum*, assumi solitus ex ordine Procuratorum, seu Expeditorum Dataria, in eadem beneficii materia, aliisque Dataria negotiis, practicè, nimium peritus; Istique habentes supplicationes, aliaque negotia inter se bene distributa, esse videntur quidam Assesores, vel consiliarii Datarii, qui cum eorum consilio, in congregationibus quotidie haberi solitis, auditis Partium, vel Expeditorum instantiis, & quandoque etiam contradictoriis, ac examinatis prætensorum qualitatibus, ita bene præparat negotia proponenda Pontifici, cui in audientia quam habet, singulis diebus non impeditis, proponit personas, quæ pro vacantibus beneficiis supplicent, eorum qualitates fideliter referendo ut Papa inter plures eligat, Istaque electione sequuta, eidem porriguntur supplicationes eorum, qui præelecti sunt ac etiam alia, quæ sine hac discussione vel concursu porriguntur, super resignationibus vel coadjutoriis, aut dispensationibus vel provisionibus officiorum aliisque gratiis, quas Datarius consulat esse concessibiles, ac stylo non adversari, quas Papa manu sua signat, seu subscribit, huicque functioni assistere solet Subdatarius, qui Papa in aliquibus operibus subscribenti inservit tanquam primus Datarii minister bene informatus: & qui in casu infirmitatis, vel alterius impedimenti Datarii dictas eius vices, cum Papa explet.

Undè propterea quandoque praxis docuit, quod per mortem, vel per dimissionem defecto Datario, Pontifex istum ministrum ad principale Datarii munus assumere consuevit, utpote jam fiduciarum, & jam informatum, ut pro nostra pariter recordatione praxis docuit in Urbano VIII. & Innocen. X. Signatis supplicationibus manu Papæ, Datarius ad proprias regrediens mansiones, in eadem die, vel in altera, prout sibi pro negotiorum qualitate, oportunitate videatur, datam adjecit, quam aliquando, ex superventis melioribus informationibus, negare solet, ac potest, undè propterea supplicatio, quamvis signata inanis remanet; Sequuta verò data supplicationes illorum negotiorum, pro quibus componenda solvatur; transeunt per manus illius, qui componendæ officialis vel administrator sit, ne aliàs illorum negotiorum expeditio sequi valeat, deindeque istæ, ac alia, in

quibus hic officialis se non ingerit, per organum cujusdam alterius officialis qui *Misus* dicitur, transeunt per manus aliorum duorum officialium, qui sint hujusmodi negotiorum valde practici, & qui primo, si unus deindeque Alter omnes supplicationes revident, deindeque nuncupantur primus, & secundus Revisor, istique eandem supplicationes quamvis signatas, & datatas, in plerisque corrigunt ac reformant, clausulas addendo, vel minuendo, & pleraque etiam cancellando, seu interlineando, etiam ea, quæ narrari debent pro validitate gratiæ, sed pro stylo incongruum reputatur enarrari in literis desuper expediendis; *juxta casum enunciatum tit. de benef. disc. 36.* Et postquam per istos approbata, & correctæ sint, transeunt ad manus alterius officialis, qui Registrator, seu magister registratorum dicitur, isque eas bene recognitas, quod scilicet per manus ut supra transeant, distribuit, registratoribus inferioribus, qui eas fideliter registrant in libris, seu registris bene ordinatis, quæ in tempora in Apostolico Archivio reponi solent; Alique adsunt officiales, & præsertim ille parvæ datæ, & quidam particularis revisor dispensationum matrimonialium, qui gerit eas partes in hoc gratiarum genere super revisione, ac reformatione supplicationum, quas generaliter dicti alii revisores gerunt.

Per hunc autem registrationis actum, sequi dicitur omnimoda gratiæ perfectio: adeo, jus quæsitum dicatur gratiatio, non autem prius *de benef. disc. 42.* dum antequam ista perficiantur, gratia esse dicitur, potius, in via, quam in termino; Ad instar eorum quæ habemus in materia testamentorum, donec sunt in via, non adhuc redacta ad ultimum terminum testandi, *de testamen. disc. 13. cum seqq.* dum non solum isti officiales, supplicationes jam signatas, & datatas, corrigere, seu reformare possunt, addendo vel minuendo, & aliqua cancellando; Verum etiam Datarius habet in facultatibus eas etiam prohibito lacerandi, vel alias retinendi, *dicto tit. de benef. disc. 42.* Sequitque dicto registrationis actu perficientes, consignantur expeditoribus, ut per officiales de quibus *disc. sequenti*, expediatur literæ, quæ pro gratiæ executione ac effectu, necessariae sunt, & sine quibus, ex regula Cancellariae de non judicando juxta formam supplicationis, ipsæ supplicationes, quamvis perfectæ, & registratæ, ut supra, non suffragantur; Aliquibus casibus exceptis, in quibus id receptum fit, puta ubi agatur de exiguis beneficiis duorum ducatorum valorem non excedentibus, aut de pensionum calculationibus, sive de provisionibus aliquorum officiorum vacabilium minoris ordinis, juxta stylum, qui totum facit, atque Dataria, & Cancellariae regulator dicitur.

Undè propterea conclusionem habemus quod Dataria & Cancellaria dicuntur organa Papæ, atque ex earum stylis, eiusdem Papæ voluntas incerti seu regulari solet in quæstionibus subreptionis vel obreptionis aut defectus intentionis. *Manu. decis. 214. Gregor. & add. decis. 150. decis. 115. par. 10. rec. & sæpius.*

Qui autem & quales isti styli sint, non de facile sub ista compendiosa relatione videtur explicabile, cum nimium redoleret evagationem, cum integrum exigat tractatum; De eis autem agunt dicti moderi scriptores, qui de praxi, & stylo Dataria agere professi sunt, ac etiam alii qui praxim dispensationum Apostolicarum pertractarunt, aliaque beneficiarum, apud quos videndum erit;

Atque

Atque aliqua in rerum beneficialium vel pensionum adnotationibus insinuantur, *Amayden. de stylo datariae Corrad. in praxi dispensationum, Lotter. & Gonzal. de benef. & sub tit. de pension. ac etiam sub tit. de judic. agendo de executione literarum Apostolicarum.*

30 Ex tot officialium autem interventu, ac diligentis, manat ea recepta conclusio, quod in iis; quæ juris sunt, in Papa non datur ignorantia, quodque concedendo ea, quæ juri advertantur, ita implicite illi derogare seu dispensare dicatur; Non quod in Papa, qui est homo, ut sunt alii, supponenda sit perfecta, & prompta totius juris scientia, quæ naturaliter est impossibilis, potissimè quia aliquando sunt Pontifices, in aliis quidem scientiis, & facultatibus versati, non tamen iuristæ; Sed ex ista ratione assistentia tot officialium, qui in suis respective materiis sint peritissimi, quod generaliter cuicumque alteri Principi congruit.

31 Quamvis autem hoc Dataria Tribunal, gratiosum potius, quam contentiosum sit, dum gratiæ, quæ per Papam conceduntur per hoc organum explicantur; Adhuc tamen forma contentiosa frequenter in eo dignoscitur, non tamen cum formali tela judiciaria, sed in quadam forma summaria etiam cum interventu Advocatorum, & Procuratorum ore tenus, & in scriptis, præsertim super concernentibus officia Curia, ac etiam materiis beneficialibus, vel in dignoscendo, an suffragantur indulta concessa Cardinalibus, & aliis Prelatis; Vel an suffragetur, beneque facta sit acceptatio alternativæ per Ordinarios, quæ fit per Datarium, unde propterea eius libro deferretur; Sive circa piscatorias impetrationes certo modo, an

32 concedendæ sint, nec ne, ac super aliis, quæ concernant declarationes mentis Papæ, quam Dataris tanquam minister informatus, eiusque organum declarat, *Buratt. dec. 883. in fin. dec. 115. num. 4. & seq. par. 10. rec.*

33 Itq; in suo munere tantæ fidei ac auctoritatis reputatur, ut eius attestationibus, vel declarationibus, aliisque gestis adeo deferatur, ut neque concedatur facultas probandi contrarium, *dec. 68. num. 8. & seq. par. 5. rec.* In iis tamen quæ asserit vel declarat durante officio, non autem post illud expletum quando regulariter ei non differretur, nisi in casu, quo pro facti qualitate, & circumstantiis, Rota, vel alter Judex, ex officio illum interroget, ideoque regula desuper statui non potest, cum materia arbitraria sit, *Buratt. dec. 835. num. 14. dec. 5. num. 12. p. 10. & rec. insinuat. tit. de Regal. disc. 14.*

34 Prout neque regula statui potest circa stylos, dum indies, pro casuum, & inconvenientium contingentiis per Constitutiones Apostolicas, vel per decreta varia sunt provisiones, ut præsertim nostra ætate, sub Innocentio Decimo, praxis docuit super solemnitatibus adhibendis in transumptis literarum Apostolicarum, de quibus in beneficii sede agitur, cum similibus, *de benef. disc. 76.*

35 Quia verò nimis incommodum, ac tædiosum esset, ut Papa negotiorum tanta multitudine pressus, cogatur manu sua signare, ac singulariter recognoscere omnes supplicationes etiam super illis gratis levioribus vel minoribus, quæ de stylo omnibus concedi solent, ac nemini denegari; Hinc proinde ad instar eorum, quæ superius agendo de Secretaria brevium insinuata sunt ex quadam generali delegatione ipsius Papæ Datario, eo ipso quod huic videatur, quod gratia concedi possit, vel de-

beat, supplicationes per eum, aliosque officiales, ac revisores ut supra recognita vel respectivè recognoscendæ pro negotiorum diversa qualitate, nomine Papæ signantur per quemdam officialem in forma concessum, quod scilicet dicitur concessum per Dominum Papam tanquam per viam attestationis, ut è converso supplicationes, quæ signantur per ipsummet Papam, habent diversam formam per verbum fiat ut petitur, ac juxta illam diversam subscriptionem commissionum forensium, si fiat per viam Signaturæ Gratia, ac alteram Signaturæ iustitiæ, ut in istorum Tribunalium particulari rubrica inferius advertitur.

Iste verò modus signandi commissiones per concessum, quandoque in gravioribus etiam gratiis & negotiis, in quibus supplicationes signantur manu Papæ, praticari solet, quando Papa infirma valetudine, vel alio impedimento detentus id per se ipsum commodè explicare non potest, atque dum hoc munus alicui Cardinali vel alteri nimum qualificatæ fiduciariæ personæ per ipsum Papam committi solet, neque de potestate dubitare fas est.

DISCURSUS X.

De Cardinali Vicecancellario; Et de Cancellariæ Apostolicæ officialibus, eorumque muneribus.

SUMMARIVM.

- 1 Quod istud officium sit antiquissimum, & de ratione.
- 2 De nomine seu vocabulo Vicecancellarii, & cur ita dicatur.
- 3 Quod sit officium magnæ existimationis, & utilitatis.
- 4 Habet titulum suum Sancti Laurentii in Damaso, & ibi annexum insigne Palatium.
- 5 Quæ munera exerceat, sive in quo eius officium versetur.
- 6 Notabilia producit emolumenta, & quæ sint magis considerabilia.
- 7 De scedulis consistorialibus super provisionibus Ecclesiarum, & aliis.
- 8 In eius Cancellariæ Palatio efformantur etiam omnes Bullæ seu literæ Apostolicæ.
- 9 De Officialibus Cancellariæ, nempe de Regente, de Presidentibus parci, & aliis, eorumque muneribus.
- 10 Ista officia sunt venalia, & de ratione remissionis.
- 11 De introductione annatarum, & emolumentorum pro expeditionibus literarum Apostolicarum.
- 12 De congregatione officialium, & expeditorum in Cancellariæ.
- 13 In Palatio Cancellariæ fiunt disputationes publicæ Auditorum Rote, & Advocatorum Consistorialium.
- 14 Quam Presidentiam habeat Vicecancellarius Rote in Auditorio.
- 15 De officio Regentis Cancellariæ circa commissiones causarum.
- 16 Officiales Cancellariæ quam facultatem habeant adjiciendi in literis præter supplicationes.

- 17 An possint praerogare terminum expeditionis literarum.
 18 Quod quaedam emolumentorum assequutio pendat ab arbitrio Collegii Cardinalium.
 19 De ducatis auris & de florenis remissivè.
 20 De saxis Cancellariae.
 21 De saxis arbitriariis, & variis.
 22 Damnantur obloquentes de solutione, quae fiat pro dispensationibus.

Antiquissimum, atque probabiliter omnium primum, in ipso initio primitivae Ecclesiae, dicendum videtur istud officium (neglecta tamen nominis seu vocabuli quaestione,] quoniam, si pro baptismatibus, aliisque divinis, ex tunc, sub asperis persecutionibus, plures clerici (ex quibus derivant Cardinales) *Supra disc. 3. & 4.* pro adiutorio Papae assumpti fuerunt, ac etiam Archidiaconus, pro aliqua temporali administratione; Nec non creati fuerunt septem Notarii, ut Martyrum acta scriberent; *infra in eo disc. in quo agitur de Collegio Prothonotariorum*; Multo magis dicendum est, quod in ipso initio, ante istorum officialium, seu ministrorum introductionem, ab ipsomet B. Petro adhibitus fuit Cancellarius pro scribendis epistolis, aliisque Apostolicis monitis, & decretis, ac etiam actis aliquorum Conciliorum, quorum usus cum ipsa Ecclesia natus fuit, ut acta Apostolorum, aliisque sacrae Historiae, & epistola B. Petri nos doceant.

Relinquendo autem locum veritati, super inutili nominis quaestione, super qua antiquitatis professores adeo certant; Certum est, quod valde antiquum est istud, quod etiam hodie habemus, nomen, seu vocabulum Vicecancellarii, quodque istud officium fuerit cardinalitium, dum etiam primi Canonistae, & praesertim *Hofiensis*, qui penè coetaneus fuit ipsi Decretalium compilationi, super isto vocabulo quaestiones disputant, tanquam super re ignota, quod utique supponit, ut etiam tunc longam haberet antiquitatem, ob quam hominum memoria perierit, quare scilicet Vicecancellarius iste Officialis appellaretur, dum plura antiquiora Apostolica diplomata docent, quod prius Cancellarius appellaretur, atque hoc adjectum, seu verbum *Vice* potius munus substituti, ac inferioris ministri redolere videtur.

In hoc autem apud aliquos Scriptores varia leguntur, simplicitates, quarum aliqua per moderniores fabellae appellantur; *Vestri. in prax. in cap. 4. p. 1. Amayden. de stylo Datarie cap. 2.* Aliqui enim credunt, quorum antesignanus est *Hofiensis* quod dicatur Vicecancellarius, ad differentiam Papae, qui est primus Cancellarius Christi; Alii verò, (quorum primus est *Zabarella*) dicunt, quod suppressum fuerit nomen Cancellarii, ad deprimentam magnam auctoritatem, ac existimationem huius officialis, qui contra Papam caput erigebat, pluraque eius acta, & mandata scribere renebat; Et alii moderniores, reassumendo diligenter partes Chronologistae, dicunt, quod antiquitus erat munus cardinalitium, sub nomine, seu vocabulo Cancellarii; Postea verò quidam Pontifex, ut magistrum magis promptum, ac subordinatum haberet, illud contulit Praelato, vel simplici clerico, ut illud exerceret tanquam substitutus, vel vices gerens, atque ita per saeculum circiter continuatum fuit, deindeque restitutum Collegio Cardinalium seu cardinalitiae dignitati, continuatum fuit in eo ultimo vocabulo, quod tunc in usu erat.

His autem, ac similibus divinationibus, vel fabellis, alia addi posse mihi videtur, deducta à praxi insinuat *disc. praecedenti*, quam actualiter habemus in Datario, & quandoque in Secretario brevium, vel alio simili munere, quod scilicet, quando exercetur per Praelatum, vel clericum, qui majori cardinalitiae dignitate praeditus non sit, appellatur Datarius; Quando vero per Cardinalem, dicitur Prodatarius; Ergo istud adjectum, quod partes vicarias denotat, non semper statum inferiorem importat, sed potius digniorem, ut *disc. disc. praeced.* ponderatur.

Quidquid autem sit de istis, aliisque similibus indagacionibus, quae ad rem nostram inutiles reputari merentur; Certum est, quod tam inspecto muneri exercitio, quam emolumentorum utilitate, ac existimatione, inter Romanae Curiae officia fixa, & hierarchica, primum locum occupare videatur, ideoque aliquorum novissimorum saeculorum continuata praxis docet, sepe fuisse penes eos, qui dictum aliud extraordinarium primum Curiae officium Cardinalis Nepotis obtinerent, vel exercerent, de tempore, quo casus vacationis per obitum possessoris contigit.

Magna siquidem est eius praerogativa, non solum quia conspicuum habet fixum titulum insignis Ecclesiae Collegiatæ, quae S. Laurentii in Damaso dicitur, nimirumque commodam, & conspicuam habitationem, in insigni, vereque Regio Palatio, quod Cancellariae dicitur, in quo, tanquam in palatio publico, seu principatus, ipsa Cancellaria, tanquam per speciem magni Tribunalis, statutis diebus tenetur, aliisque publicae (ut infra) peraguntur functiones.

Sed etiam quia primaria, & graviora Sedis Apostolicae negotia publica, & solemnia, qualia sunt acta consistorialia, in ipsius Consistorii rubrica insinuat, ac etiam aliarum Apostolicarum provisionum litterae solennes in forma bullarum sub antiquo sigillo piumbi, per eius manus transeunt; Adde ut dicendum veniat (data proportione) Cancellarius Episcopi universalis, eo modo, quo in singulis diocesis quilibet Episcopus habet Notarium, seu Cancellarium majorem, qui acta synodalia, & judicialia, ac etiam pontificalia conscribit, & authenticat.

Atque hinc manat etiam (procurrentium temporum moribus) alia nimis existimationis circumstantia, notabilium scilicet emolumentorum, inter quae illud reputatur valde considerabile, quod ad ipsum, sive sit per quandam speciem turni, sive per aliam conventionem cum Papa, pertinere solet collatio aliquorum Cancellariae officiorum, etiam de maioribus, ac praetatis, quae venalia sunt, ratione emolumentorum, valdeque notabilem habent valorem.

Super actis igitur, ac decretis consistorialibus, & praesertim, pro frequentiori, & quotidiana praxi, super illis, quae in quolibet Consistorio fieri contingit, super provisionibus Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum, ac Monasteriorum consistorialium; Et de consequenti, super reservationibus pensionum, quae motu proprio per Papam, super eisdem Ecclesiis, vel Monasteriis fiant, pro personis tunc nominatis, vel in posterum ab ipso; vel ab aliquo Principe nominandis; Per Cardinalem Vicecancellarium, mediantibus officialibus, ac ministris ad id deputatis, adnotantur decreta ultra scedulam, quae subscribitur per Cardinalem

nalem ponentem, & ex quibus tanquam ex matrice authentica, per Apostolicos scriptores, juxta eorum formulas, efformantur literæ, quæ bullæ dicuntur sub plumbo, in eisdem Vicecancellarii aula, seu palatio, quod Cancellariæ nomen seu vocabulum habet; Eodem modo, quo per eisdem Cancellariæ scriptores, & officiales, aliæ efformantur literæ super provisionibus aliorum beneficiorum, nec non super Apostolicis dispensationibus, aliisque gratis, & concessionibus, quæ fiant extra Consistorium, per organum Datarie, ex insinuatibus in Rubrica præcedenti.

9 Ut autem huiusmodi literarum expeditio bene sequatur, omnibusque fraudibus, & inconvenientibus, quo magis pro humana conditione fieri potest, occurratur, plures instituti fuerunt huius Cancellariæ officiales, quorum aliqui sunt majores Prælatum annexam habentes, quales sunt, omnium primus ille, qui dicitur Cancellariæ Regens, ac etiam illi, qui dicuntur Præsidentes de duplici parco majori, ac minori, qui respective quoddam Collegium, seu Tribunal constitunt, in quibus, collegialiter tanquam per speciem iudicii, deciduntur dubia, quæ oriri contingit super literarum formula, vel clausuris, & decretis in eis adiciendis; Ac etiam super emolumentorum solutionibus, aliisque contingentiis; Pluresque alii in magno numero ad sunt officiales, quorum aliqui Summistæ; aliique Scriptores; alii Secretarii; alii Plumbatores; alii Equites; alii Cubicularii; & Scutiferi; alii Prothonotarii; alii Subdiaconi; & alii sub diversis vocabulis nuncupantur.

10 Omnia verò ista officia sunt venalia, quando Papa, vel Vicecancellarius respective, non placeat eorum aliquid gratis alicui conjuncto, vel familiari, concedere, eorumque aliqua annexum habent exercitium per ipsosmet officiales, aliqua vero per eorum substitutos, qui in eo ministerio sint periti; Venalitas autem non provenit ratione administrationis, sed ratione participationis annatarum, aliorumque emolumentorum, quæ pro literarum expeditioibus solvuntur, juxta huiusmodi officiorum venalium relationem, quæ in Regalium sede habetur, *De his officiis venalibus late habetur sub tit. de Regalibus, disc. 2. qui videatur loco relationis.*

11 De annatarum verò, aliorumque emolumentorum introductione, ac ratione, habetur actum in sede rerum beneficiarum, occasione agendi de quindenniis, quæ loco annatarum pro beneficiis unitis, penes manus mortuas solvi debent. *Sub tit. de benef. disc. 89.*

12 Tribus itaque cuiuslibet hebdomadæ feriatis, ac non impeditis diebus, in præfati palatii Cancellariæ aula magna, aliisque adjacentibus ad id destinatis aulis, de mane congregantur dictæ Cancellariæ officiales, Prælati, & non Prælati, in valde copioso numero, quorum singuli, pro suorum collegiorum qualitate, vel eorundem collegiorum Secretarii, aliique ministri, quibus capellanoorum vocabulum de consuetudine cõgruit, habent bancos, vel pulpitos distinctos, in quibus literas subscribunt, vel registrant, aliæque gerunt, quæ de stylo, vel ex Apostolicis decretis in literarum expeditione gerenda sunt, ista occasione percipiendo emolumenta, quæ ad eos pertinent; Et consequenter, interveniunt etiam Cameræ, vel eisdem Cancellariæ Notarii, qui recipiunt consensus, vel obligationes necessarias, vel consuetas; Ac etiam interveniunt ne-

gotiorum Datarie procuratores, vel sollicitatores, qui expeditores, vel speditionerii nuncupantur, pro earundem literarum expeditionibus; Et cum eis frequenter ipsimet principales provisores, vel eorum procuratores, seu negotiorum gestores, qui Agentes vulgò dicuntur, adeo ut species magni & qualificati Tribunalis efformari videatur.

13 In eadem quoque prima aula magna huius Palatii, qui vulgò ad differentiam aliarum interiorum aularum *Sala* nuncupatur, habentur etiam illæ publicæ disputationes, quæ cum interventu Collegii Cardinalium, plurimumque Prælatorum & Curialium, ac etiam Aulicorum, & nobilium Virorum, cum magna ceremoniali majestate, sustinent illi, qui Rotæ Auditorio, vel Advocatorum consistorialium Collegio sunt cooptandi, ut in eorum particularibus rubricis infra advertitur.

14 Atque in dicto Rotæ Auditorio iste, Cardinalis Vicecancellarius quamdam licet solum habitualem, ac remoram præsidetiam habere videtur; tum ob istam functionem, ac alias, quæ coram eo, sive in eius palatio, circa admissionem novi Auditoris fiunt; tum etiam, quia in singulorum annorum Rotarum sine, in die scilicet, in qua habeatur ultima vel penultima Rota ante vacationes generales æstivas, ipse Vicecancellarius prædium Rotæ Auditoribus in eius Palatio; ac mensa præbet, ultra aliud prædium, quod eis tribuitur in Palatio Apostolico nomine Papæ, & in quo eis eodem nomine præstatur quædam laborum recognitio seu tôrum centum auri, duplicatam portionem præstando Decano.

15 Regens item Cancellariæ, aliquam participationem quoque habere videtur in negotiis Rotarum, aliisque forensibus causis commissariis, quoniam in singulis commissionibus, quæ per utramque Signaturam respective signantur, ad ipsum pertinet nomen Auditoris, vel Cardinalis, seu Prælati respective, cui causa committatur ad iudicium, atque ita cardinalitias, rotales, ac prælatitias causas inter huiusmodi Collegiorum vel Ordinum personas distribuit.

16 Generaliter quoque notabilis est Vicecancellarii, eiusque Officialium potestas, dum pleraque in literarum Apostolicarum extensione addere vel accommodare valent, quæ in supplicatione non continentur; Quoties tamen huiusmodi additiones vel reformationes non percipiunt, ea substantialia, quæ pendent à voluntate Papæ, sed clausulas, quæ de stylo adjici solent, sive alia accidentalia, quæ ex quadam generali eiusdem Papæ commissione implicita, apponenda videantur pro meliori literarum extensione; His enim officialibus quoque congruit idem, quod *disc. præced.* insinuatum est de Dataria, quod scilicet Cancellaria est etiam organum Papæ, *decis. 115. par. 10. rec. Eich. decis. 234. n. 10. & in loco proxime infra. juxta exemplum discursu præcedenti insinuatum, nempe Notariorum, adiciendi in extensione Instrumenti publici, quod partibus tradendum est, clausulas, cautelas, & formulas, quæ substantiam voluntatis contrahentium non alterent, quamvis in matrice seu originali imbrevisatura non continentur, tit. de iudicis, disc. 26. & 27.*

Cumque in plerisque gratis adjici solet decretum præcisè obligatorum ad expeditionem literarum infra certum terminum, puta sex mensium, sub pœna nullitatis gratiæ ipso jure incurrenda, ut præfer-

praesertim praxis docet, in brevibus de capiendi possessione nomine Camerae, ac etiam in reservatione pensionis voluntariae beneficio pleno; Hinc in isto praesertim posteriori casu, occasio recens mihi praebuit disputare in Rota, an Vicecancellarius, eiusque Cancellariae officiales, facultatem habeant istum terminum prorogandi; Atque prodiit affirmativa resolutio; Tum ex stylo; Tum etiam ex ratione, à qua idem stylo originatus videtur, quod scilicet huiusmodi decreta adjici solent in gratiam Annatarum, aliorumque Cancellariae officiarum, pro eorum emolumentis, quae obtinent ex causa onerosa, dum officia sunt venalia, & consequenter, ut non sit forma praecisa pro solemnitate, sed pro interesse tertii, qui potest suo juri cedere; Quamvis & converso non desint probabilia fundamenta in contrarium, *tit. de pensio. in supplemento in Romana pensiois.*

Emolumentorum item, major, vel minor aestimatio, praesertim in gravibus, ac majoribus expeditionibus consistorialibus ecclesiarum Metropolitanarum, & Cathedralium vel Monasteriorum, (ut agendo de consistorio, & collegio Cardinalium supra insinuatum est, *disc. 5.*) magnam habet dependentiam à Collegio Cardinalium, in cuius facultate, vel arbitrio repositum est, an gratiosa condonatio annatarum aliorumque emolumentorum, ex aliqua justa causa, in toto vel in parte facta sit, ut praesertim praxis docet, in expeditionibus Ecclesiarum ultra montes praesertim Galliae, & Germaniae, aliarumque regionum, in quibus haereticorum, vel schismaticorum, aut infidelium molestias, & jaecturas Ecclesiae passae sint, ob quas in aliquo paupertatis vel angustiae statu sint constitutae, idque huiusmodi gratiis, & condonationibus initium seu ansam dedit, quamvis, cessata etiam causa, ex quodam stylo, praetendatur continuatio.

19 Quid verò importent ducati auri de Camera, in quibus Datae, & Cancellariae, ac etiam Secretariae brevium emolumenta solvuntur, & quid importent florensis sub quorum vocabulo, in libris Camerae, ecclesiae Cathedrales, & Metropolitanae, & aliqua Monasteria, taxata reperuntur in valore in materia beneficiaria; ac alibi insinuat, ubi videri potest, *de benef. disc. 5. & 29. & tit. de credito, disc. 140.* ideoque superflua digressio esset id repetere.

20 Quamvis item, penè omnia emolumenta expeditionum, taxam uniformem habere videantur, à modernis scriptoribus de rebus Datariae insinuatam, *Amayden. de stylo Datariae.* Aliquae tamen materiae, seu gratiae graves, & extraordinariae, (quae arbitrariae dicuntur) istam taxam non habent, sed ea est major vel minor, pro ipsarum gratiarum vel personarum aut temporum qualitate, & ex aliis circumstantiis, ut praesertim praxis docet in dispensationibus matrimonialibus in gradibus nimirum proximis, super quibus raro, & cum difficultate concedi solent, juxta ea quae insinuantur per dictos scriptores praxis Datariae, ac alios scriptores praxis dispensationum, *Amayden. ubi supra. & Pirr. Corrad. in praxi dispensationum.*

21 Quamvis autem de hac solutione ignarum, vel iniquum vulgus, obloqui soleat, quasi quod constituenda non sit differentia inter divites, & pauperes, vel inter nobiles, & ignobiles, seu magnates, & privatos cum apud Deum, & in spiritualibus, non detur acceptio personarum, quodque si gratia est con-

cedibilis, vel respectivè denegabilis, omnibus pariformiter deneganda vel respectivè concedenda sit gratis, juxta naturam rerum spiritualium, non admittentium mixturam, vel commutationem temporarium, ut quod gratis acceptum est à Deo, gratis dari, vel dispensari debeat; At tamen ignorantiae, vel nequitiae effectus, verè ista obloquutio est, cum huiusmodi emolumenta, pro laudabili stylo, nunquam, vel nimium raro violari solito, in privatam alicuius utilitatem, non cedant, sed applicentur piis operibus, illis praesertim, quae fidei Catholicae, & Ecclesiae universalis conservationem, vel servitium concernant, adversus infideles, vel haereticos, aut schismaticos, ita id exigendo, tanquam speciem multae seu poenae delicti a potentibus, non autem ab impotentibus, cum quibus practicatur poena luitionis in corpore, mediante accessu ad Urbem, ac personali etiam fordido, & mechanico servitio, in fabrica Ecclesiae S. Petri, vel in alio simili opere pio, ita quoque cum hoc exemplo multae personalis, vel pecuniariae respectivè, alios terrendo, vel coercendo, ut ab ista consuetudine contrahendi matrimonia cum conjunctis abstineant, ideoque revera injusta obloquutio est.

De aliis verò, istam Cancellariam concernentibus, ad Expeditores potius, & puros practicos pertinet, nimiaque digressio, fortè nauseativa esset, minutatim ea omnia recensere, eaque à stylo, ut plurimum pendente, qui variari solent.

DISCURSUS XI.

De Cardinali Camerario, eiusque officialibus, & Tribunali.

SUMMARIVM.

- 1 DE origine, & antiqua potestate huius Cardinalis Camerarii.
- 2 De officialibus, & ministris, quos habebat subornatas.
- 3 De diminutione eius auctoritatis, & qualis hodie sit.
- 4 In quibus causis se non ingerat, dum eas cognoscunt A. C. & Gubernator Urbis.
- 5 Quare dicti officiales sedeant in Camera, & cum quo voto.
- 6 De praesentia Gubernatoris Urbis.
- 7 Quam praesentiam habeat Camerarius in Tribunali Camerae.
- 8 De auctoritate in Studio vel Sapientia, & in iure doctorandi.
- 9 De potestate concedendi usum situum plateae Agonis, aliorumque publicorum locorum Urbis.
- 10 Quod sit officium magne existimationis apud populum Urbis, & quare.
- 11 De Auditore Camerarii, eiusque iurisdictione, & quod cognoscat causas fiscales seu Camerales, & Appaltorum.
- 12 De causis retractuum, ac viarum, & publicorum.
- 13 Cognoscat causas mercatorum, & camporum.

- 14 Item causas hebreorum, & quas alias causas.
 15 Proceditur in hoc tribunali per viam monitorii, & juxta praxim aliorum Tribunalium.
 16 Recipit propinas, quod damnatur.
 17 De quibus aliis causis cognoscatur.
 18 De auctoritate, & præminetia Camerali sede vacante.
 19 Quod quandoque istud officium soleat esse venale.
 20 De ratione huius venalitat, quæ in aliis officiis primariis Cardinalibus non præcatur.

POST extinctam aliâs magnæ potestatis dignitatem Cardinalis Archidiaconi; Cum Papa occupatus in cognitione causarum consistorialium, ac etiam aliarum, quas in capella, cum Cappellanus cognoscebat, vacare non posset administrationi eius Camere, seu fisci, & cognitioni causarum fiscalium, quam cum aliquibus clericis habere solebat; Hinc eiusdem Camere administrationem seu præsentiam, una cum dictis clericis, commisit Cardinali, qui Camerarius proinde appellari consuevit; Verum paulatim iste officialis, juxta rerum, ac temporum contingentias, ob Papæ commisiones, antiquam Archidiaconi potestatem penè in omnibus reasumpsit, præsertim circa temporale regimen immediatum Urbis, ac districtus; Ac etiam circa mediatum regimen ditionis temporalis, seu Status Ecclesiastici, in causis appellationum, vel recursuum; Quinimò eius auctoritatem extendere cepit, etiam in cognitione causarum prophanarum fori ecclesiastici in gradu appellationis, vel recursus, ab Ordinariis locorum, & à Metropolitanis, quas Papa in Consistorio, vel respectivè in Cappella cognoscere volebat, utpote leviores, vel criminales, in quibus ipse Camerarius, speciem Vicarii Papæ gerere videbatur; Cumque omnibus per se ipsum vacare non posset, hinc aliquos deputare cepit adjuutores, & officiales subordinatos, & præsertim, pro cognitione causarum appellationum, vel recursuum ut supra, undique etiam temporalem Ecclesiæ Ditionem, venientium, habebat Auditorem, qui dicebatur Camera, id est huius Cardinalis Camerarii Auditor; Ac etiam pro immediato gubernio temporali Urbis eiusque districtus, alium habebat ministrum seu adjuotorem, cui ad differentiam Auditoris, dabatur nomen Vicecamerarii, & Gubernatoris Urbis, quod adhuc hodie retinet; Prout etiam, pro conservatione pecuniarum Camere, ac administratione negotiorum eiusdem, sive pro cognitione aliquarum causarum cameralium minorum, pro quibus, clericorum iudicium, seu votum exquirere non videbatur adeo necessarium, alium habebat ministrum, cui dabatur Thesaurarii nomen, quod etiam hodie, adhuc retinet, aliosq; habebat ministros, & officiales; Quinimò (ut nonnulla diaria docent) iste Camerarius, officium quoque Datarii, quandoque exercere consuevit.

Verum ex eadem fortè ratione, ob quam, ex alibi supra insinuat, dignitas Archidiaconi suppressa fuit, huius officialis auctoritas quoque paulatim diminui cepit, quoniam Pontifex manus apposuit in deputatione dictorum officialium, nempe Auditoris, Gubernatoris, & Thesaurarii, qui utpote independentes à Camerario, tribunalia propria efformare ceperunt, cum Papa immediate communi-cando ea, quæ in gravioribus negotiis contingebant, adeo ut à Camerario nullam haberent dependentiam; Atque hinc sequutum est, ut tractu temporis, eius auctoritas restricta sit ad quamdam potius honorificam præsentiam seu præfecturam Camere Apostolicæ, seu fisci utriusque Principatus ecclesiastici, & temporalis, dum actualis administratio (juxta hodiernam praxim) residet penes dictum Thesaurarium, & penes collegium, seu Tribunal præfatorum clericorum, ut infra in eorum particularibus rubricis advertitur, *infra disc. 33. & 35.*

Nullatenus verò se ingerit extra negotia cameralia, seu fiscalia, nempe in causis indifferentibus, civilibus, & criminalibus, primæ instantiæ Urbis & districtus, vel ulterioris instantiæ, utriusque principatus, dum illæ respectivè cognoscuntur per dictos Auditorem, & Gubernatorem, qui propterea quamvis non sint iudices competentes dictarum causarum ad Cameram Apostolicam pertinentium adhuc tamen eandem retinent, & continuant consuetudinem sedendi in Camera, una cum Clericis, ut etiam facit Thesaurarius, cum voto tamen consultivo tantum, quia scilicet antiquitus, tanquam ministri Camerarii interveniebant; Ad instar illius infra insinuandi interventus hodierni, domestici Auditoris, Auditoris Camere, & alterius Auditoris Thesaurarii in aliquibus Congregationibus, ut suis respectivè particularibus Rubricis advertitur.

Quinimò, Gubernator retinet quoque incunpationem Vice Camerarii, & tanquam talis pluribus potitur honorificis præminentibus, tam in sessionibus, quam in equitationibus Pontificis, cum præcedentia non solum supra Prælatos, sed etiam supra Principum Oratores, ac Pontificis nepotes, aliosque Magnates, qui pollent præminetia assistendi in folio Papæ; Incedendo etiam per Urbem cum quadam pedestri familia armata, quæ Allabardiorum dicitur, tanquam per imaginem Principis, vel majoris Magistratus; Id enim huic muneri Vicecamerarii refertur, ut infra in eius particulari rubrica habetur. *Disc. 34.*

Actualiter verò, Cardinalis Camerarius, vivente Pontifice, aliquas retinet prioris auctoritatis, & jurisdictionis reliquas, tam circa præsentiam, ac interventum pro eius libitu in Tribunali Camere Apostolicæ, de quo infra, cuius caput & Præfectus est; unde propterea ad instar eorum, quæ *disc. præcedenti* insinuata sunt, de Vicecancellario præbente statutis temporibus prandium Rotæ Auditoribus, ita idem agit Cardinalis Camerarius cum Clericis, aliisque Officialibus, Tribunalis Camere, dum quibusdam statutis temporibus, seu alias juxta contingentias, in eiusdem Cardinalis domo congregari solent, pro aliquibus negotiis, quæ indies administrantur, per unum ex eodem Collegio, quando de generalibus, vel gravioribus determinationibus agatur; Puta (ex. gr.) pro gratia Urbis, quam unus Camere Clericus administrat, sub nomine Præsidentis; Vel circa taxam pretii carniarum diversarum, quæ pro diversis respectivè temporibus in usum sunt, aliorumque victualium, quam facere congruat, seu alias provisiones sumere super viis publicis, & fontibus, aliisque similibus negotiis.

Habet etiam Præfecturam gymnasii, seu studii publici Urbis, quod sub nomine Sapientiæ, vulgò appellatur, sub administratione Collegii Advocatorum Consistorialium, habentium facultatem doctorandi

ctorandi in utroque Jure, prout alia Collegia Theologorum, & Medicorum ejusdem Sapientia, habent conferendi eundem gradum in diſſis aliis facultatibus, ſed cum præſidentia cuiuſdam Officialis, qui deputari ſolet per Camerarium, illeque ſolet eſſe Præſatus, atque pro moderna frequentiori praxi eſſe ſolet Rota Auditor, qui aliquam obtinet participationem emolumentorum, quæ per doctos deponatur.

9 Prout etiam præfeſturam, & auctoritatem habet concedendi, ſeu distribuendi uſum aliquorum ſituum, ſeu locorum publicorum Urbis pro venditione victualium, aliarumque rerum, & præſertim in magna platea Agonis, non autem ad perpetuam occupationem, & uſum privatum, cum id fiat per aliud organum, ut infra in rubrica Edilium; *In diſcur in quo agitur de Præſide, & de Magiſtr. viarum.* Aliasque retinet facultates, ac præminentias huiusmodi; Unde propterea magnum confert numerum officiorum; ex quo ſequitur, ut iſtud officium ſit præ cæteris magis populare, id eſt, quod ob dependentiam tot perſonarum, quæ ab eodem obtinent hæc minora officia, aliquod emolumentum præſentia, eſt magnæ exiſtimationis apud populum.

10 Quo verò ad exercitium forenſis, vel contentioſæ iurisdictionis, illud habetur per Auditorem particularem, ad hoc deputari ſolitur, qui ut plurimum eſt Præſatus, ſed quandoque etiam Curialis, ac frequentius diverſus ab illo domeſtico, ſeu aſſiſtico Auditore, quem quilibet Cardinalis habet, tanquam Conſiliarium, ſeu ſtudiorum adiutorem, pro negotiis conſiſtorialibus, & ſacrarum Congregationum, vel pro cauſis commiſſariis, aliſque occurrentiſ; Proindeque iſte, qui dicitur Auditor Camerarii ſeu Camerarius, regit, ac repræſentat Tribunal Camerarii, qui volens, ne prohibetur facere per ſeipſum, id quod facit, per aſſum Auditorem, ſive aliquas cauſas particulariter committere aliis, tanquam per imaginem Episcopii, & Vicarii generalis.

Hoc autem Tribunal pariſormiter cum altero eius ſubali Theſaurarii generalis, de quo infra in eius particulari rubrica, dicuntur Iudices ſiſci Apoſtolicæ, in prima inſtantia; dum Tribunal Camera eſt Iudex in ſecunda inſtantia; Et per conſequens, juxta ea, quæ favore ſiſci in jure ſtatuta ſunt, cognoscit, non ſolum de cauſis, quæ ſunt immediate cum ſiſco actore, vel reo, (illis exceptis, quæ ſpecialiter, ac privative, per Apoſtolicas conſtitutiones, illam præſertim Sixti V. commiſſæ ſunt Theſaurario, ut (ex. gr.) ſunt cauſæ ſpolarum eccleſiaſticorum, & locorum montium, & alia, de quibus infra in eiſdem Theſaurarii particulari rubrica, ſed etiam, ubi ſiſcus habeat intereſſe connexum, vel mediatum, ut ſunt cauſæ appaltuum, dohanarum, & gabellarum, aliorumque publicorum vectigalium, ac jurium ſiſcalium ſeu regalium; Ac etiam (prius frequentius, hodie verò rariſ, ob erectionem Congregationis boni Regiminis) eſt Iudex cauſarum Communitatum ſæcularium Status eccleſiaſtici.

11 Major verò cognitio huius Tribunalis verſari videtur partim abſque alio adjuncto, & partim cum Edilibus Urbis, qui vulgò Magiſtri viarum dicuntur, de quibus infra in ſua particulari rubrica, ſuper cauſis retractus prælativi, & coactivi, ſeu alterius ornatus Urbis, aut refectionis viarum ad præſcriptum Conſtitutionis Gregorii XIII. *De multis*

cauſis huiusmodi actis in hoc Tribunal ſub tit. de ſervitut.

Item eſt Iudex competens in cauſis publicorum camporum ſeu bancheiorum, aliorumque publicè negotiantium circa ipſam negotiationem, quaſi quod ſiſci interſit non deficere iſtorum publicam ſiſdem; Ac etiam eſt Iudex competens Hebræorum, eorumque univerſitatis, eo modo, quo eſt etiam Cardinalis Vicarius, ut infra; Prout cognoscit de controverſiſ, quæ oriuntur ſuper uſu publicarum platearum vel ſituum, quem ipſe Camerarius, ut ſupra, concedit, pro venditione victualium, aliſque commoditatibus.

In hoc autem Tribunali proceditur etiam per viam monitorii, non autem libelli, eodem modo, quo in illo A. C. ac generaliter in aliis Tribunalibus Urbis, excepto foro Capitolino; In eo autem dignoſci videtur parum commendabilis uſus, ac etiam in Tribunali Theſaurarii, & in illo Vicarii, quod cum ſit Iudex primæ inſtantie, ſive delegatus ad certa genera, ſive univerſitatem cauſarum, quod quod cum Ordinario fraternizat, habeat uſum ſportularum, ſeu propinarum, quæ propinarum, quæ pro meo ſenſu, in illis præſertim Tribunalibus, quæ ab unico Iudice regantur, adeo ut non ſint collegiata, damnabiles videntur, plurimumque inconvenientium productivæ.

De plerique aliis cauſis quoque cognoscere ſolet; Vel ex ſiſlo, Vel ex capitulis appaltuum, Vel ex Apoſtolicis commiſſionibus, & præſertim in decimis Papalibus, quandoque id praxis docet; *inſinuatur ſub tit. de benef. diſc. 10.* Sive in aliis Conſtitutionum, vel Ediſtorum contraventionibus, ubi præſertim de iſ agatur, quæ aliquam habeant connexionem, cum juribus ſiſcalibus vel regalibus, ſive cum publica annonæ, vel gratia, ut quandoque praxis docet, *inſinuatur ſub tit. de iurisdictione, diſc. 85.* adeo ut non de ſaci omniò certa regula de ſuper ſtatu valeat.

Major autem huius Cardinalis Camerarii auctoritas dignoſcitur ſede Papali vacante, ſive vacatione imminente, quia nempe Papa in mortis articulo ſit conſtitutus, cum iſto tempore repræſentare dicatur imaginem antiqui Camerarii, adeo magnæ auctoritatis, quoniam ubi fama ſit, quod Papa ſit graviter infirmus, atque in mortis articulo conſtitutus, ſibi denegari non poteſt aditus, ſive ingreſſus ad ipſius Papæ cubiculum, ad effectum ſe certiſicandi, de vita, vel de morte, pro juribus & intereſſe Camera; Apponendo etiam, quando velit in eo ſtatu jam imminente mortis, cuſtodes in palatio.

Sequuta verò morte Pontificis, coram ipſo, & interventu Tribunali Camera conſtituti ex Clericis, aliſque aunexis, ſit recognitio cadaveris ſibi que conſignatur annulus piſcatoris, qui ab ipſo publicè frangitur, adeo ut eius uſus amplius haberi nō poſſit; Ac etiam ſuſcipit gubernium, & adminiſtrationem Palatii Apoſtolicæ, quam diſtribuit inter Camera Clericos, quorum ſinguli ſua habent eiſdem Palatii officia; Putà, Unus circa anſam pontificiam; Alter circa ararium ſuppelleſtilium, vulgò guardarobba; Alter circa cellam vinariam; Alter circa rem frumentariam, ſeu furnum; Alter circa ſtabulum; Alter circa viridaria cum ſimilibus.

Ac etiam jus vel adminiſtrationem habet in conſtructione Conclavis, juxta formam tamen à Collegio Cardinalium præſcriptam, plures de ſuper deputan-

deputando officiales, & assistentes, cum pinguibus emolumentis; unde propterea (ut præmissum est,) tam ob ista, quam ob alia superius enunciata officia, quæ concedit seu distribuit, istud est munus magis populare, seu apud populum majoris existimationis, & adhaerentia, (Quoties qui illud obtinet, generosè, ac judiciosè exercere sciat,) Ipseque Camerarius pro tempore, quo durant novendiales exequiæ pontificiæ, usque ad clausuram conclavis, habitat in ipso Palatio Apostolico, atque per Urbem incedit more Principis, præcedentibus illis militibus Papæ, custodiæ præpositis, nationis Helveticorum, qui vulgo Allabarderii, seu Suizzeri nuncupantur, atque in hoc majestas officii dignoscitur, quoniam adhibentur iidem, qui Papæ inserviunt, cum eisdem armis, & vestibus, licet cum aliqua moderatione circa numerum, adeo ut dignoscatur differentia, ab ea militum custodia, quam habet omnibus temporibus, etiam sede plena, Gubernator Urbis, tanquam eius Vicarius, ut supra.

Quandoq; autem istud officium, tamquam merè prophanum, seu temporale, ac ratione merè temporalium emolumentorum, pro Sedis, & Cameræ Apostolicæ indigentis, consuevit esse venale, ut etiam nostra ætate, sub Gregorii XV. Pontificatu, praxis docuit; Recensque est memoria eiusdem praxis sub aliis Pontificibus, & præsertim sub piissimo & candidissimo Apostolici patrimonii administratore, B. Pio V. id practicum fuit pro servitio Christianæ fidei, pro expensis scilicet classis navalis contra Turcas, per quam celeberrima victoria reportata fuit; Semper tamen cum personis in cardinalitia dignitate jam constitutis; Istaque venalitas, seu pretium non refertur muneris administrationi, sed emolumentis merè temporalibus, juxta ea quæ generaliter agendo de venalitate clericatum Cameræ, aliorumque officiorum Curia, contra obloquutionem ignari, vel maligni vulgi, latius deducta habentur in regalium sede occasione agendi de materia officiorum venalium, tit. de Regal. disc. 2.

Id autem praticari non solet in aliis pariter majoribus muneribus, Vicecancellarii, Pœnitentarii, & Vicarii, quamvis respectivè notabilia habeant annexa emolumenta, cum sint officia principaliter ecclesiastica, & spiritualia Papæ, tanquam Papæ, vel respectivè tanquam Episcopi Urbis; Istud vero officium principaliter est temporale seu prophanum Papæ, tanquam Principis temporalis, pro administratione Cameræ, seu fisci laicalis, quamvis accessorie, & consequutive aliqua quoque annexa sit administratio alterius fisci ecclesiastici seu Papalis; Ideoque longa differentia est inter illud officium, & dicta alia tria; Eademque propterea differentia dignoscitur inter Clericatus Cameræ, & Auditoratus Rotæ, & quare illa, & non ista officia sint venalia, dum ista quoque promptissimos invenirent emptores pro pretio valde notabili.



DISCURSUS XII.

De Cardinali Pœnitentiariorum, Et de ejus Tribunali Pœnitentiariæ.

SUMMARIUM.

- 1 De origine huius officii.
- 2 De eius antiqua potestate, & facultatibus.
- 3 De istius potestatis magna moderatione.
- 4 De expeditionibus, quæ prius fiebant per Datariam.
- 5 De hodierno statu, & facultatibus.
- 6 Et præsertim circa dispensationes matrimoniales, earumque emolumenta.
- 7 De emolumentis burſalibus.
- 8 De Pœnitentiariorum audientiarum confessiones sacramentales in tribus Basilicis.
- 9 De Pœnitentiariorum domus Lauretane.
- 10 De expeditionibus vel brevibus Pœnitentiariæ.
- 11 De Pœnitentiariæ Congregatione, & de Regente, aliisque Officialibus majoribus.
- 12 De Procuratoribus, & Scriptoribus.
- 13 Expeditiones dantur gratis omnino.
- 14 Officiales omnes prædicti providentur etiam gratis, & quomodo.
- 15 Super quibus dantur ab hoc Tribunali expeditiones.
- 16 De absolutione ab excommunicatione Canonis etiam publica, venientium ad Urbem.
- 17 Quando cum eis dispensetur super hoc accessu.
- 18 De dispensationibus ab irregularitate ex homicidio.
- 19 De revalidatione provisionum simoniacarum.
- 20 De facultatibus eligendi Confessarium in religiosis utriusque sexus.
- 21 De concessione omnium expeditionum gratis.

Quamvis apud antiquitatis Professores, cum consueta opinionum varietate, multum obscura videatur huius officii introductio, nimium tamen probabile videtur, ut ea quoque fuerit in Ecclesia primitiva, sub persequutionibus infidelium; cum etenim ex eis resultarent, in iis, qui minus constantes essent apostasie, aliæque gravia peccata, quorum absolutio in resipiscenſibus solius pontificiæ potestatis erat; Pontifex autem per se ipsum hoc absolutionis munus cum injunctione pœnitentiæ salutaris, ob alias occupationes, solus explicare non posset; Hinc proinde ministrum, seu adiutorem in hoc munere quoque assumpsisse, probabile est, ut istum Vicarium in spiritualibus deputando, eo modo, quo in temporalibus Archidiaconum, etiam circa ea tempora deputavit.

Quidquid autem sit de ista, vel de aliis opinionibus in quaestione, quæ in praxi parum proficua est; Illud certum est, quod huius quoque officialis in spiritualibus, non solum interni, sed etiam externi fori, magna erat potestas; unde propterea, ut agendo de Dataria, ac de Secretario brevium supra advertitur, magna pars illorum negotiorum, quæ per Datariam, atque per hanc Secretariam hodie expediuntur, tunc per hoc Pœnitentiariæ Tribunal explicabantur, cum magno numero Procuratorum, & Scriptorum aliorumque Officialium.

3 Ita verò potestas majorem habuit durationem, quam habuerat illa Camerarii, propè scilicet nostrorum parentum ætatem, dum sub Pontificatu Pii IV. imminente Concilii Tridentini perfectione, & publicatione, Pœnitentiarii facultates, super expeditionibus fori externi, magnam, penèque omnimodam reformationem passæ sunt, *Constit. 53. Pii IV.*

4 Siquidem ab eo prius concedebantur dispensationes matrimoniales, pro gradibus prohibitis, ac etiam aliæ super legitimis natalibus, vel super ætate, aut super irregularitate, vel bigamia, aliisque defectibus; necnon concedebantur beneplacita Apostolica super alienationibus bonorum Ecclesiæ; & aliis, in quibus Apostolicæ Sedis placitum necessarium esset, ac etiam indulgentiæ, aliæque gratiæ & expeditiones, vice ac nomine Papæ, quas recensent plures Auctores, qui ante hanc reformationem scripserunt, & præsertim illi, qui in tempore proximo sub Pontificatu Pauli III. Romanæ Curie præxim posteritati scriptam reliquerunt. *Vestr. in prax. lib. 1. cap. 12.*

5 Hodierno verò statu attentò, quatenus ad publicas, vel fori externi facultates, & expeditiones pertinet, eius potestas pene annihilata est, dum solum aliquæ modicæ super sunt reliquæ, quodammodo potius ceremoniales, circa minores dispensationes matrimoniales, super remotioribus gradibus, quæ expediuntur in Cancellaria Apostolica, per illos Procuratores Pœnitentiariæ, quorum officium quoque ad instar aliorum, est venale, illaque modica emolumenta, quæ pro huiusmodi dispensationibus solvuntur, destinata sunt sustentationi ipsius Pœnitentiarii, eiusque ministrorum, & officialium, de quibus infra, qui regunt hoc Tribunal fori interni seu pœnitentialis.

7 Notabilia tamen adhuc reputantur huius officii emolumenta (quamvis comparativè ad statum antiquum, penè pro nihilo habeantur,) præsertim ex eo, quod ultra participationem quotidianam dictorum emolumentorum provenientium ex huiusmodi expeditionibus, aliqua ex dictis venalibus officii procuratorum, sunt ad eius provisionem, atque singula notabilem habent valorem.

Quatenus itaque pertinet ad munus, in quo propriè partes Cardinalis Pœnitentiarii, eiusque ministrorum versantur; Illud (ut præmissum est,) restringitur ad absolutiones, ac dispensationes censurarum, & irregularitatum, aliorumque Papæ reservatorum, in foro interno; istiusque muneris explicatio fit per duplicem speciem ministrorum.

8 Una est illorum sacerdotum, qui Sacramentum Pœnitentiæ, prævia auriculari confessione, ministrant, in tribus patriarchalibus Basilicis Urbis; Istique sunt Religiosi certarum religionum, ad hoc destinatarum, qui Pœnitentiarii vulgò nuncupantur, quibus idem Tribunal Pœnitentiariæ, ex dictis emolumentis, victum, aliæque necessaria suppeditat, in domo propriæ Basilicæ respectivè proxima, in qua, sub obedientia unius eorum, qui superior deputatur, regulari more, tanquam in claustris vivunt; Atque in pertinentibus ad hoc munus sunt subiecti Pœnitentiario, eiusque visitationi, & correctioni, in iis verò, quæ concernunt disciplinam regularem, sunt subiecti Prælato propriæ Religionis; Aliqua controversia remanente inter Pœnitentiarium, & Superiorem Religionis in actibus indifferentibus, qui concernant vitam, & mores, quod

diversam habet praxim, in singulis respectivè Religionibus.

In Lateranensi siquidem Basilica sunt ordinis Minorum observantium reformatorum; In Vaticana Societatis Jesu; Et in Liberiana, seu S. Mariæ Majoris, ordinis Prædicatorum; Istique sedentes in confessionariis, in signum huius potestatis, virgam in manibus tenent; Atque aliquibus potiuntur prærogativis, præsertim quod in solemnibus processionibus pontificiis, & potissimum in illa Corporis Christi, incedunt parati, cum planetis, post universum clerum secularum, & regularem, prope Episcopos; Atque eiusdem generis videntur Pœnitentiarii almæ domus Laurentinæ, qui sunt Religiosi Societatis Jesu, cum aliqua diversitate, vel controversia circa jurisdictionem Pœnitentiarii, & respectivè Præpositi Generalis, aliorumque superiorum in eorum personis.

10 Alia species officialium, est illorum, qui regunt Pœnitentiariam, per quamdam speciem Tribunalis, audiendo scilicet supplicationes super petitis absolutionibus, & dispensationibus; Et super quibus, ubi concedantur, literæ Apostolicæ, in forma brevis expediuntur, sub diversâ tamen forma, diversoque sigillo, peculiari ab illa brevium pontificiorum, quæ dicuntur sub annulo piscatoris.

11 Statutis enim diebus, sive pro arbitrio Cardinalis Pœnitentiarii, pro negotiorum urgentia, seu qualitate, in eiusdem Pœnitentiarii palatio, congregantur isti Officiales, nempe ille, qui aliorum major, dicitur Regens Pœnitentiariæ, & qui videtur facere partes Vicarii generalis Pœnitentiarii, habens facultatem concedendi aliquas absolutiones, vel dispensationes, quæ negari non solent; unde propterea necessaria non est auctoritas ipsius Summi Pœnitentiarii; Atque prævia discussione collegiali, cum aliis officialibus eius consiliariis supplicationes signantur, vel rejiciuntur.

Regens autem esse solet unus ex Auditoribus Rotæ, alique officiales sunt, nempe, Sigillator brevium, & Summator, qui Prælatus esse solet; Et alter Doctor in decretis, (qui Canonista nuncupatur,) quandoque Prælatus, & quandoque simplex rogatus; Atque ultra istos, assumitur unus Religiosus sacræ Theologiæ Professor, qui Theologus Pœnitentiariæ nuncupatur; unde propterea cum istorum voto Pœnitentiarius determinat, an, & quæ absolutiones, vel dispensationes concedi possint, & quatenus possint, an debeant; Atque ubi potestatis dubium oriatur, ipsemet Pœnitentiarius, vel quandoque Regens, Papam adit, atque ab eo, tam oraculum, quam auctoritatem recipit.

12 Ultra istos officiales majores, qui Tribunal constituant, atque de gratiæ concessione vel denegatione respondēt, Ad sunt alii Officiales inferiores, nempe tres Procuratores, in hac materia bene periti, qui per turnū inter se distribuunt supplices libellos, qui porriguntur sine nomine, sub aliquo signo, vel cetera, ut dignoscantur ab iis, qui negotia gerunt, ipsique Procuratores de super efformant, [juxta stylum Tribunalis] supplicationes efformari solitas, quas in Congregatione, ut supra proponunt, certiorantes officiales, an pro stylo Tribunalis supplicatio signari vel rejici debeat, sive cum quibus clausulis, vel restrictionibus muniri; Et postquam supplicatio signata est alii officiales minores qui Scriptores dicuntur, de commissione procuratorū, literas vel

13 vel brevia, juxta formam supplicationis scribuntur, postmodum subscribuntur, & claudantur, ac sigillantur oratoribus, vel eorum agentibus consignanda, gratis omnino, absque alicuius emolumentis, seu mercedis solutione, dum omnes isti officiales menstruum habent determinatum salarium, consequendum ex dictis emolumentis expeditionum publicarum.

Omnia verò ista officia gratis conferuntur, atque 14 que minora procuratorum, & scriptorum conferuntur per concursum publicum, ad instar provisionis parochialium habendum coram Pœnitentiario, dictisque aliisque officialibus, ad effectum ut magis idonei assumantur, istaque minora solum conferuntur per ipsum Pœnitentiarium, quoniam licet enim majora, ex motu proprio Pii V. super reformatione pœnitentiariæ, ad eius collationem, vel nominationem pertineant, atamen Papa ea conferre solet pro eius libito.

Negotia verò, quæ cum dictis brevibus ab hoc 15 Tribunali explicantur, sunt Dispensationes super occultis irregularitatibus, ex causa homicidii vel illegitimorum natalium, aut alterius defectus; Ac etiam revalidationes matrimoniorum, habentium impedimentum dirimens occultum, seu revalidationes simoniacarum provisionum, beneficiorum, altarumque provisionum, in quibus simoniaca labe cadat, siue absolutiones à censuris, præsertim ab excommunicatione majori incurta ob percussione clericis; istoque casu per hoc Tribunal conceditur absolutio, etiam si negotium sit publicum, atque excommunicatio judicialiter declarata sit per publicos scedulones; Quoties illi, qui eam contraxerunt, ad sacrorum Canonum præscriptum, ad Urbem accedant, quoniam ob tenta absolutione sacramentali, ab uno ex dictis Pœnitentiariis Basilicarum, super ea conceduntur literæ pro foro externo; Et quando ex causa inimicitiarum, aut ætatis, vel infirmæ valetudinis, seu alterius iusti impedimenti, censuratus non possit accedere ad Urbem, conceditur pariter per breve facultas Ordinario, ut à probato Confessario, satisfacta parte offensæ, absolutionem in forma Ecclesiæ consuetæ ei concedere valeat; istoque casu cognoscitur ab eadem Congregatione, an causa impedimenti sit iusta, necne.

In reliquis autem dantur solum absolutiones, 18 vel dispensationes pro occultis, cum in publicis concedantur per Datariam, vel per Secretariam brevium; ac etiam in occultis, ubi præsertim agatur de dispensatione irregularitatis ex causa homicidii voluntarii, cum magna difficultate ea concedi solet, post plures denegationes, atque non nisi ex aliqua causa, quæ excusatione, vel commiseratione digna sit in jam promotis; In promovendis autem, qui statum secularem assumere possunt nimirum raris, & non nisi ex magna causa.

19 Ubi verò agatur de revalidationibus provisionum beneficialium, vel spiritualium ex labe simoniaca, vel alia simili infectione, demandari solet restitutio fructuum, vel eorum compositio cum Camera, vel cum aliis, ad quos pertineant, cum aliis styliis, quos nimis evagatorium esset reassumere.

Concedit item Pœnitentiaria facultatem in eadem forma brevis, Religiosis utriusque sexus, ut jam approbatum Confessarium ei bene visum sibi 20 eligere valeant pro absolutione à reservatis, quæ ti-

Card. de Luca. Relatio Curia Romana.

meant, etiam per viam confessionis pandi Confessariis ordinariis, vel iis eiusdem Religionis, cum similibus provisionibus, quæ forum internum seu pœnitentialem concernant, sub diversis styliis, pro diversa negotiorum qualitate.

Omnes tamen expeditiones, (ut præmissum est,) conceduntur gratis, absque aliqua solutione, nec quidem mercedis dictorum Procuratorum, & 21 Scriptorum; Ideoque aliud solvendum non est, nisi aliquid modicum correspondenti, qui negotii curam habuit pro solo labore personali, qui est varius, major, vel minor pro negotiorum qualitate, ac difficultate; Et ad quod adverti debet, ne ab iniquis Curialibus crumenarum tortoribus, qui furibus, vel crassatoribus assimilari debent, decipiantur, cum assertione, quod expensas pro huiusmodi expeditionibus facere oportuerit.

DISCVRSVS XIII.

De Cardinali Vicario, ejusque Tribunali.

SUMMARIVM.

- 1 **D**Equalitate huius officii.
- 2 In quo illud consistat, & quam jurisdictionem habeat cum exemptis.
- 3 Quid in titulis Cardinalium.
- 4 De ratione jurisdictionis etiam in istis.
- 5 Ei diriguntur expeditiones Apostolica, & qua.
- 6 Est Iudex & Superior meretricum, & Iudiciorum.
- 7 De iurisdictione intra districtum.
- 8 De alia iurisdictione etiam cum non districtualibus.
- 9 Coram eo fit examen concurrentium in Urbe etiam extra districtum.
- 10 Non est Visitator generalis Civitatis, & diocesis.
- 11 Neque habet collationem beneficiorum.
- 12 Beneficia Urbis sub qua reservatione cadant.
- 13 Prælegit in concursu ad parochiales.
- 14 De Vices-gerente, eiusque munere, & jurisdictione.
- 15 De cura & custodia reliquiarum.
- 16 De eius iurisdictione in impressione librorum.
- 17 Est Prelatus in ordine Episcopali.
- 18 De duobus Locum tenentibus, civili & criminali, & de Deputato Monialium.
- 19 Quod id servetur in aliis Episcopatibus.
- 20 De aliis officialibus, & ministris inferioribus.
- 21 De Congregatione, qua per Vicarium, eiusque officiales teneatur.
- 22 De stylo huius tribunalis.
- 23 Quod accipit propinas.
- 24 An conferat ordines non districtualibus.

Officium hoc, licet etiam antiquum sit, non tamen cardinalitium, neque perpetuum prius erat, ut de sui natura; à multis seculis fuerunt alia tria officia, de quibus in præcedentibus actum est, quoniam alicui Episcopo ad nutum amovibili illud committi solebat, eo modo, quo hodierna praxis docet in Vicesgerente; à seculo autem citrà, & plus in dicto statu cardinalitii, & perpetui constitutum est, illudque est magnæ existimationis, eo modo, quo sunt prædicta alia, quoniam licet emolumentum sit inferius, adhuc tamen est notabile, ac etiam suppletur à prærogativa jurisdictionis penè universalis, quam exercet in Urbe, & districtu.

Siquidem est Vicarius generalis Papæ, non tanquam Papæ, sed tanquam Episcopi particularis Urbis, vel Ordinarii loci, qui per hunc Officiale[m] repræsentatur; unde propterea regit Curiam Episcopalem, cum ordinaria Episcopali jurisdictione, cum omnibus clericis, aliisque personis ecclesiasticis non exemptis; Ac etiam habet delegatam jurisdictionem à Concilio Tridentino, & Apostolicis Constitutionibus, cum Ecclesiis, & personis exemptis regularibus, vel secularibus, in concernentibus curam animarum, & administrationem Sacramentorum, sive ecclesiasticam immunitatem, aliaque plura, quæ sub hac delegata Ordinarii jurisdictione veniunt, & præsertim cum monasteriis monialium exemptis (dum non exempta sub Ordinarii jurisdictione cadunt,) Aliquibus paucis monasteriis, vel ecclesiis, seu piis locis exceptis, quæ alicuius Cardinalis regimini, ac protectioni commissæ sint per indultum particulare, quod ab hac delegata jurisdictione quoque eximat, ut infra occasione agendi de Archipresbyteris Basilicarum, de aliquibus Protectoribus advertitur.

Et quamvis in titulis cardinalitii, in puncto juris, probabilior fortè videatur opinio (à contradictoribus tamen non immunis,) ut illi ab hac jurisdictione delegata quoque exempti sint, ob præminentiam cardinalitii dignitatis; ac etiam, quia quamdam speciem diocesis, vel territorii separati improprie, vel intellectualis constituere videntur; Ex particularibus tamen decretis, vel declarationibus pontificiis, contrarium praxis docet; *sub tit. de jurisdic. disc. 34.* Ex eadem ratione, ob quam, etiam cum Ecclesiis, & personis exemptis, congrua est Ordinarii jurisdictione, ratione scilicet mediæ, seu occasionis curæ populi, & cleri secularis, in eius territorio viventis, sibi que commissi, ut in jurisdictionali materia, & alibi sæpius advertitur. *sæpius sub tit. de jurisdic. disc. 1. & seqq. & januis celtan. ecclesiast. ac etiam in adnot. ad S. C. T. lib. 14.*

Hinc promde Apostolica beneplacita, quæ in forma commissaria, vulgò *sim evidentem*, super alienationibus bonorum Ecclesiæ, aliisque similibus conceduntur aut dispensationes matrimoniales, vel monitoria pro revelationibus habendis, & similia, aliaque expeditiones Apostolicæ, quæ Ordinarii loci dirigi solent, in Urbe, Vicario diriguntur; Et in summa, gerit omnia, quæ quilibet Episcopus, vel Ordinarius gerit in sua diocesi, etiam cum secularibus, in causis mixti fori, ac in aliis, in quibus forus Episcopalis sit competens, vel prorogabilis.

Istaque ratione est etiam Judex, & Superior ordinarius meretricum, aliarumque mulierum inho-

nestè viventium, ad quas, statutis temporibus accessus prohibetur; Ac etiam personarum viventium extra gremium Ecclesiæ, ut in Urbe sunt Judæi.

Item quamvis intra Urbis districtum plures adsint Episcopatus, & præsertim sex cardinalitii, & alii; attamen, ut in præcedentibus, ac alibi insinuat, in eodem districtu, tanquam in territorio, vel diocesi Urbis, ordinariam, ac etiam delegatam Episcopalem jurisdictionem in prima instantia cumulativè cum eis habet, adeo ut intret præventio, quasi quod isti Episcopi non sint sicut alii cum propria diocesi, vel cum territorio, quod ab altero territorio divisum sit, sed tanquam coadjutores, vel suffraganei istius adeo qualificati Episcopi Urbis intra eius diocesim. *Supra discursu 2. & titulo de jurisdic. discursu 50. & de præminent. discursu 1.*

Debet de jure ista jurisdictione protendi ad latiore[m] antiquum Urbis districtum centum miliarium, qui respectu huius jurisdictionis spiritualis adhuc durat, dum moderna restrictio intra ambitum quadraginta miliarium, ex Statutis laicalibus provenit, atque temporalem potius jurisdictionem concernit; *Locis proximè citatis, & tit. de Regal. disc. 72. & 94. ubi de hoc districtu.* Verùm contrarium praxis docet, ex consuetudine, vel præscriptione quoad exercitium jurisdictionis huius officialis, firmis tamen remanentibus aliis effectibus vel prærogativis districtualibus.

Occasione autem exercendi Episcopalem jurisdictionem cum propriis diocesanis, plura sibi committuntur, etiam cum non subditis; Et præsertim, per Papam committi solet, ut faciat edicta, seu præcepta residentie iis, qui tale onus habentes, in Urbe morantur, quamvis extra districtum, ipsiusque Vicarii jurisdictionem.

Ac etiam coram eo, eiusque examinatore, examinantur illi, de quorum idoneitate, Dataria vult certificari in collatione beneficiorum ecclesiasticorum in forma gratiosa; Sive ubi contingat, quod in concursibus ad parochiales, juxta formam Concilii Tridentini, per appellantes ab irrationabili iudicio Ordinarii, fiat provocatio ad novum examen in Curia, juxta ea, quæ in rerum parochialium sede habentur, *de hoc sub tit. de paroch. disc. 6. cum duobus seqq.*

Duo tamen huic Vicario per Papam commissæ non sunt, sed sibi reservata; Primum nempè visitatio generalis ipsius Civitatis, & diocesis, vel districtus, quam pro eius placito facere solet per organum Congregationis particularis, quæ Apostolicæ Visitationis dicitur, de qua infra in eius particulari rubrica *infra disc.* & in qua etiam, idem Vicarius intervenit; Ipseque, vel eius Vicesgerens, est etiam Judex, & ordinarius exequutor decretorum eiusdem Congregationis.

Et secundo, in collatione beneficiorum Urbis, quam ipse Papa facit per organum Datarie; Idque est penè generale in omnibus Episcopatibus, quod scilicet, excepto casu diurnæ absentie in remota regione, ut contingere solet in iis Episcopis, qui Prælati vel Nuncii Apostolici munus suscipiunt ultra montes, Vicario generali non communicatur ista facultas conferendi beneficia, quæ non venit in mandato generali, sed indiget nota speciali.

Istam

Itam itaque collationem beneficiorum Urbis, **12** Papa non facit uti Papa, sed tanquam ordinarius collator, nisi intrent Apostolicæ reservationes personales, cum in his beneficiis, non intrent alia species reservationum, & præsertim localis, quoniam licet reservata sint omnia beneficia vacantia per obitum in Curia, vel infra duas dietas; Non tamen sub hac reservatione veniunt beneficia Urbis, quamvis in ea obitus possessorum sequatur, dum alias esset, omnino annihilare jus ordinariæ collationis, non solum quoad Papam, cuius respectu nil refert an uno, vel altero modo conferat, sed respectu tot inferiorum collatorum in eadem Urbe existentium, ut sunt Cardinales in eorum titulis, ac etiam Archiepiscopi trium Basilicarum Patriarchalium, & respectivè earundem Basilicarum aliarumque Ecclesiarum collegiatarum Capitula.

Bene tamen in istis intrat reservatio personalis; Puta ratione officiorum; Vel familiaritatis Papæ, seu Cardinalium; Aut ratione curialitatis; Ac etiam ratione vacationis apud sedem, quæ diversa dicitur à vacatione in Curia, ut in sua beneficiali materia habetur, *tit. de benef. disc. 20.*

Adhuc tamen, in beneficiorum etiam provisione, Vicarius aliquam potestatem seu participationem habere videtur, ubi scilicet agatur de ecclesiis parochialibus, quæ juxta formam Concilii Tridentini & Constitutionis Pii V. provideri debent per concursum, qui coram eo, tanquam ordinario haberi debet, ob prælectionem dignioris, quæ sibi competit, Quod etiam verificatur in aliquibus vicariis perpetuis aliquorum collegiatarum Urbis, quæ ex specialibus Apostolicis decretis, per concursum provideri debent, quamvis provisio fieri debeat per Datariam ad nominationem Cardinalis Titularis, vel Capituli, cum ad Vicarium, tanquam Ordinarium, declarare pertineat, quoniam ex concurrentibus magis dignus reputari mereatur; unde propterea, spectato effectu, suum videtur jus conferendi hanc speciem beneficiorum, *sub tit. de Paroch. in supplemento.*

Plures quoque adjutores, ac officiales Vicarius habet ex quibus eius Tribunal, seu Curia Episcopalis constituitur; Quorum primus est ille, qui dicitur Vicesgerens; Ille enim (singendo Cardinalem Vicarium tanquam Episcopum) gerere dicitur partes eius Vicarii generalis, tam circa exercitium jurisdictionis Episcopalis, ordinariæ, & delegatæ, in omnibus causis, civilibus, criminalibus, & mixtis eius feri, quam etiam circa exercitium pontificalium, in collatione ordinum, in consecratione Ecclesiarum, & altarium, & sacrorum vasorum, & in administratione Sacramenti Confirmationis, dum omnia hæc munia exercet Vicarius per hunc ministrum majorem seu generalem.

Item ad eum pertinet cura, ac respectivè effusio, **15** concessio, & authenticatio sacrarum reliquiarum existentium in cathacumbis, & cæmeteriis, quamvis etiam quædam Congregatio moderno tempore desuper erecta sit, de qua infra *disc. 23.* Nec non **16** concessio licentiarum, pro impressione librorum, quæ in Urbe faciendæ sūt vel extra per Auctores in Urbe existentes, sive impressorum prohibitio, conjunctim cum Magistro Sacri Palatii, ut superius, agendo de hoc officiali Palatii Apostolici, *Supra disc. 8.*

Atque hinc sequitur, quod hoc officium Vices-
Card. de Luca. Relatio Curia Romana.

gerentis demandatur personæ constitutæ in ordine seu dignitate Episcopali. **17**

Habet item Vicarius tres alios Vicarios particulares; Unum scilicet pro cognitione causarum civilium, sub quarum genere, juxta communem usum loquendi, veniunt tam temporales, quam spirituales, quæ non sint criminales, ut in judiciorum sede advertitur, *tit. de judic. disc. 1. & in aliis.* Isteque **18** est etiam Prælati Signaturæ, & quandoque etiam in ordine Episcopali constitutus; Et alterum pro cognitione causarum criminalium, qui solet esse rogatus, istique *Locumtenentes* dicuntur; Et alterum Vicarium, pro regimine Monasteriorum Monialium, qui *Deputatus* dicitur.

Id autem non solum in Urbe, sed etiam in aliis amplis diocesisibus practicari solet, ut præsertim docet praxis Archiepiscopatus Mediolanensis, quod scilicet adfunt isti Vicarii particulares, civilis, criminalis, & Monialium, ac etiam Vicarius generalis, qui cognoscit de omnibus, de quibus isti particulares cognoscere possunt. **19**

Nec non more aliarum Curiarum Episcopali-um habet Cancellarium, cui Secretarii nomen tribuitur, ad differentiam Notariorum astitantium, Ac etiam Barisellum, cum sua familia armata; Non tamen habet particularem promotorem fiscalem, eò quia Advocatus & Procurator Fiscales generales Papæ, ac etiam Advocatus & Procurator generales pauperum, in isto quoque Tribunali, has partes gerunt; Ideoque interveniunt in Congregatione, quàm in quolibet hebdomada pro conducto usu, in die Lunæ, Vicarius coram se ipso, in eius palatio, cum interventu dierum officialium habere solet, pro discussione causarum graviorum, aliorumque gravium negotiorum, in qua partes, earumque Advocati, & Procuratores audiuntur; Et quem stylum quoque tenent plures Episcopi, & Archiepiscopi, & præsertim Archiepiscopus Neapolitanus. **20**

Stylus huius Tribunalis videtur esse uniformis cum illo Auditoris Camerae procedendi per monitorium, & conficiendi alia acta; Aliqua verò styli differentia dignosci videtur circa admissionem clericorum ad beneficium, *Capitul. Odoardus*, quod scilicet, quando de hoc agitur coram A. C. proceditur cum aliquo majori rigore, ratione obligationis cameræ, vel ob aliquam circumstantiam; In hoc autem Tribunali Vicarii facilius illud admitti solet; *De hoc sub tit. de credito disc. 119. & seq. & tit. de jud. disc. 118. & seq.* cum aliquibus aliis diversitatibus levibus tamen, quas nimia digressio esset minutatim resumere. **21**

Habetur etiam in hoc Tribunali idem pro meo sensu parum commendabilis stylus participationis poenarum, ac propinarum, *insinuatus disc. preced.* **22**

Invaluerat etiam quædam consuetudo, quod Vicarius conferebat exteris in Urbe morantibus tonsuram, aliosque ordines, etiam sine literis dimissorialibus proprii Ordinarii; Verùm ab aliquo tempore, ob pleraque inconvenientia, quæ exinde resultare praxis docuit, Vel id est prohibitum, vel nimium parce, ac **23** circumspèctè proceditur.



DISCURSVS XIV.

De Sacra Congregatione, ac de Tribunali uniuersalis inquisitionis, vel Sancti Officii.

SUMMARIVM.

- 1 DE antiqua, & continua haeresum vexatione, quam Ecclesia passa est, & de ratione, ob quam Deus id permisit, ac permittat.
- 2 De introductione huius Tribunalis, ac nominis Inquisitionis.
- 3 Qui fuerit primus Inquisitor.
- 4 De antiquis Officialibus Inquisitionis.
- 5 Episcopi sunt Inquisitores cumulatiue cum Inquisitoribus localibus.
- 6 De erectione huius Congregationis.
- 7 Ex quibus dicta Congregatio constat.
- 8 De Commissario Sancti Officii, & Assessore, aliisque Officialibus.
- 9 De Consultoribus.
- 10 & 11 De prima Congregatione preparatoria, & de secunda Cardinalium, & tertia coram Papa, & quid in eis agatur.
- 12 Ista Congregatio cognoscit quoque de librorum prohibitione.
- 13 De aliis causis indifferentibus, quas ista Congregatio cognoscit.
- 14 Quod Advocati non soleant se ingerere in negotiis huius Congregationis.
- 15 De eiusdem Congregationis stylo.

AD ipsomet Apostolos, ac primos Discipulos instruendos, suamque Ecclesiam imposterum omni tempore informandam, Christus Dominus, antequam ad caelos ascenderet, id praedixit, quod omni penè aeo Ecclesia Catholica experta est, ut scilicet oporteret haereses esse, dum ista in ipsomet initio Apostolis, ac primis Discipulis adhuc viventibus, jam irrepererunt; Unde propterea Petri primi Pontificis ac Vicarii Christi auctoritate, ex tunc Concilia, pro fidei quaestionibus decidendis, ac haeresi extirpanda, celebrata fuere. Quodque summam quidem admirationem praebet, illud esse dignoscitur, quod apud ecclesiasticarum historiarum, ac annalium probatos Scriptores cernitur, quam frequentes scilicet, ac variae fuerint haereses in illis primis seculis, in quibus sub gentiliū diris persecutionibus, in summa paupertate, ac depressione, sub continuis tormentis ac patibus vivebatur; Id autem idem Dominus mysteriosè permittit, ad obturandum foetita ora obloquentium contra Romanam curiam, Romanosque Pontifices, quod scilicet eiusdem Curiae vitia, depravatiue mores, haereses foveant, vel eis causam praebuerint, dum dum tunc ista somniata radice omnino cessante, illarum majores, magisque frequentes erat, praesertim in Africa, & in Asia, atque in orientalibus partibus nostrae Europae, in quibus major haeresum ori-

go, ac sedes fuit, ut Concilia, & ecclesiastica Chronica docent; Et tamen tunc Romanus Pontifex in antris & speluncis sub persecutionibus Romae delitescens, eius uniuersalem supremam potestatem habitualement, cum aliquibus literis monitoriis, vel decisoriis, aut consolatoriis vix exercebat; Et postquam Deo placuit, post baptismum Constantini, Ecclesia tranquillitatem concedere, atque per fidem uniuersum orbem ita dilatare, cum gentilitatis ac idolatriae extirpatione; Adhuc tamen in dictis orientalibus partibus jam exorta haeresis Ariana, sub ipsomet Constantino, atque in successivis proximis temporibus, adeo dilatata fuit, ut nonnullos habeamus sanctos Patres ingemiscientes, quod totus mundus Arianus effectus esset; Adeo ut ecclesia Catholica maiora fortè passa sit damna & praedicia ab haereticis, quam à gentilibus; Ideoque manifesta ignorantia, vel malignitatis, ac nequitiæ effectus est assertio, ut aliqua haereses, modernis temporibus exorta, seu verius antiquarum sub quadam diversa superficie excitatae, ac innovatae, Romanae Curiae moribus, vel asperitatibus referri debeant, cum iste videatur effectus humanae fragilitatis; Ad instar illius corruptionis, quam singulis penè saeculis terra vel aër, pro regionum diversa qualitate, quasi per circulum, pati solet; siue ex Dei iudiciis, quae nobis occulta sunt.

Ad haereses igitur jam natas extirpandas, siue ad occurrendum, ne aliae orirentur, curativa, & praeservativa remedia adhibendo, Romanus Pontifex, Ecclesiae Catholicae caput, & Episcopus, omni tempore, per se ipsum, eiusque ministros, diligenter invigilare consuevit, varios adhibendo modos, prout temporum, vel contingentiarum ratio exigeret; In iis autem modernioribus temporibus, quorum certioremem memoriam, seu traditionem habemus; Cum in duodecimo saeculo, in nostrarum occidentalium partium aliquibus regionibus, ac etiam in ipsamet Italia, quae est Catholicae Ecclesiae sedes, praesertim verò in ea istius Provinciae regione, quae montibus magis proxima, apud antiquiores sub diversis Galliarum vocabulis appellabatur, nunc autem Lombardiae, & Pedemontis nomen sortitur, haeresis lues irrepsisset; Hinc Sedes Apostolica, inter plures ministros, huiusque mali Medicos spirituales, quorum cura esset, de dicta haeresi infectos, vel de infectione periclitantes, inquirere, ut jam infirmos curarent, periclitantes autem praeservarent; adeo zelantem, ac proficuum operarium adhibuit S. P. Dominicum, Ordinis Praedicatorum Fundatorem, cui primò Inquisitoris nomen, seu titulum attributum esse, scriptum habemus, dum antiquiori tempore, alii idem munus exercebant, diversam fortè nuncupationem habebant; Atque ita, post dictum Sanctum, aliis eius alumnis, dictique sui Ordinis Professoribus, idem munus committere. Sedes Apostolica consuevit, inter quos immediatus vel mediatas successor fuit Petrus Veronensis, qui ab haereticis pro fide catholica occisus, sanctorum Martyrum catalogo merito per Ecclesiam adscriptus fuit; Atque ita isto Inquisitionis seu Inquisitoris nomine ubique dilatato, in Curia Inquisitionis Tribunal per ipsomet Pontificem, cum iis ministris & adiutoribus, quos juxta oportunitates assumere in tempore videbatur, regebatur; Et

Et præsertim cum opera & consilio aliquorum eiusdem Ordinis alumnorum, quorum unum sub nomine Magistri Sacri Palatii tanquam consiliarium & assessorium habere consuevit, ut superius advertitur; *Suprà disc. 8.* Ac etiam alium sub nomine Commissarii hujus Inquisitionis; deindeque unum ex Cardinalibus, pro eius majori adiutorio desuper præfecit, cui propterea Præfæcti Inquisitionis nomen, seu vocabulum tribuebatur; Singularum verò diocesium, vel provinciarum inquisitionis ministris inferioribus, ac subordinatis idem Inquisitionis nomen dari capit, qui cumulativè cum Episcopis (qui semper fuerunt, ac sunt suarum diocesium nativi Inquisitores, & Catholicæ fidei defensores, & conservatores,) idem munus exercerent.

6 Cum autem circa initia decimi quinti sæculi Lutherana hæresis, antiquioris Hussitana, (aliqua mutata superficie innovativa, in Germania exorta, & dilatata, aliquas Italiæ partes quoque inficere cepisset; Hinc Pontifex Paulus III. istam Sacram universalem Inquisitionis Congregationem crexit, pro dicti Tribunalis S. Officii, vel Inquisitionis regimine, ac meliori magisque auctoritativa directione; *Const. 34. Paul. III.* Aliique successores Pontifices eam approbarunt, ac facultates respectivè auxerunt. *Const. 74. Sixti V. Congregatione prima. ubi alia Constitutiones recensentur.*

7 Constat itaque ista Congregatio ex aliquo considerabili numero Cardinalium, quos in literis, ac experientia, fideique zelo, magis aptos, Papa judicet, in majori, vel minori numero, pro eiusdem Papæ placito, Hisque adjuncti sunt plures Prælati, ac Religiosi, ac etiam quocumque clerici sæculares, qui Canonum, & Conciliorum, ac sacre Theologiæ peritissimi Consultores appellantur, ultra ordinarios Officiales, qui hoc Tribunal regunt, & administrant, in æquali jurisdictionis exercitio, ac processuum formatione, reorumque ex-

8 amine, urbano, vel rigoroso, quorum unus, qui Judicis ordinarii partes gerit, est ille, qui Commissarius Sancti Officii dicitur, ejusdem Ordinis S. Domini Professor, ex dicta Provincia Lombardia, Isque in Consiliarium, seu Assessorem habet unum dogmatum & Canonum Professorem Prælatum, vel clericum sæcularem, qui Assessor dicitur, aliosque interiores officiales & ministros, ut sunt Fiscalis, Notarius socius, & alii; Atque inter præfatos Consultores regulares, qui ex diversis religionibus assumi solent pro Papæ libito, fixum locum occupant, alii duo ejusdem Ordinis Professores, nempe Magister generalis eiusdem Ordinis, & Magister S. Palatii; Ac etiam alter Professor Ordinis Minorum Conventualium, cui tanquam fixo & invariabili, congruit singulariter nuncupatio Consultoris S. Officii, habens hoc munus magis peculiariter, illudque præ cæteris Consultoribus exercit.

10 Ut autem tantæ importantiæ negotia, cum ea qua decet maturitate, coram ipso Summo Pontifice in cujuslibet hebdomada statuta die examinentur, ac decidantur, duæ preparatorie Congregationes præcedere solent; Siquidem in qualibet feria secunda, in eiusdem Tribunalis loco seu palatio (quod S. Officii dicitur) propè Basilicam Vaticanam, in quo continuum habent residentiam præfati, Commissarius Assessor Fiscalis, Notarius, & alii inferiores ministri; Ac etiam divinx majestatis rei, carcerati detinentur; Congregantur omnes præfati, Consultores, Prælati, & Religiosi,

coram quibus processus leguntur, ac etiam Episcoporum, ac localium Inquisitorum literæ, vel relationes, aliæque examinantur negotia pro majori instructione Assessoris, qui ea relaturus est in alia Congregatione, in qua interveniunt Cardinales; Ista verò sequitur qualibet die Mercurii de mane in Conventu eiusdem Ordinis S. Domini propè Ecclesiam S. Mariæ supra Minervam in aulis ad id destinatis, immutata quandoque die, vel hora, ob festorum impedimenta, vel alia accidentia, ita tamen ut Congregatio nunquam intermittatur.

Congregatis itaque Cardinalibus, solus Assessor stando, tanquam minister, negotia currentia refert, processus etiam ac literas, vel relationes, de verbo ad verbum legendo; Et postquam inter ipsos Cardinales, eis benevisæ discussio sequuta sit, in ea admittuntur dicti Consultores, qui interim assistunt, ac expectant, in aula exteriori, eorumque consilium, seu votum expetitur, atque ita determinantur negotia, quæ jam maturè examinata, & discussa Sanctissimo proponi debere videantur; Istaque Congregatione expleta, in die Jovis immediatè sequenti, pariter de mane (quoties accidentaliter impedimenta horæ mutationem non exigant) alia habetur eorumdem Cardinalium Congregatio coram ipso Papa, cui compendiosè, ut decet, referuntur ea, quæ in externa diei Cardinalitia Congregatione discussa fuerunt, ipsius etiam Congregationis votum referendo, ut ipsius Papæ oracula recipiantur; Atque in ista etiam Congregatione, post hujusmodi relationem, quandoque pro negotiorum qualitate, admitti solent præfati Consultores, qui pariter interim in proxima exteriori aula assistunt; Atque ex his resolutionibus prodeunt commissiones, quæ localibus Inquisitoribus, vel respectivè Episcopis dantur super his negotiis fidei.

12 Ista Congregatio, ac respectivè hujus Tribunalis Commissarius cumulativam facultatem quoque habent cum Magistro S. Palatii, & cum Congregatione Indicis, super lectura librorum prohibitorum; eademque Congregatio, ac respectivè Tribunal, eiusque ordinarii Judices, & Officiales, ut supra, ultra causas fidei, quarum cognitio summa ad hoc tribunal ubique pertinet, cognitionem quoque habent omnium aliarum causarum indifferentium, civilium, criminalium, & mixtarum tam spiritualium, quam profanarum, omnium officialium & ministrorum localium sancti officii, necnon conductorum vel administrantium bona, & jura, quæ pro hujus Tribunalis peculio affligata fuerunt, ut exstructibus, eius fixi officiales, & ministri, ac etiam carcerati sustentari possint, aliæque parati expensæ necessariae; Ac etiam super solutione illarum ecclesiasticarum pensionum, quæ pro sustentatione Inquisitorum localium super aliquibus Cathedralibus, vel Metropolitanis Ecclesiis per Apostolicam Sedem reservatæ fuerunt, ut in plerisque materiis advertitur super questionibus, quas forensi more in eadem Congregatione disputare mihi occasio dedit. *De his habetur tit. de servitut. disc. 24. tit. de locat. disc. 1. tit. de pension. disc. 34.*

14 De hujus autem Congregationis vel respectivè Tribunalis styli in causarum cognitione, ac processuum efformatione ipsorumque reorum læsæ Divinx Majestatis punitione & abjuracione; vel rigoroso examine meum non est agere, cum pro Curia stylo in Advocatorum, aliorumque Curialium

lium rubrica insinuato, nunquam hæc negotia tra-

Illud autem certum ac indubitatum est, (quid-
quid ignarum vulgus indebitè, & absque funda-
nento opinetur.) quod stylus est nimium placidus,
ac benignus; omnique majori charitate, & circum-
spectione plenus, adeò non nisi magna urgente
necessitate, & quando compertum sit, quod exa-
ctissimæ occultæ diligentæ non proficiant, hujus-
modi negotia publicè pandantur.

DISCURSVS XV.

De Sacra Congregatione Cardina-
lium S. Concilii Tridentini Inter-
pretum.

S V M M A R I V M.

- 1 DE prima erectione hujus S. Congregationis
per Pium IV.
- 2 De ampliatione per Sixtum V.
- 3 Quod aliqui malè loquantur, quod Congregatio se
extendat ultra interpretationem.
- 4 De causa seu ratione dubiorum, quæ oriuntur super
intelligentia Decretorum Concilii Tridenti-
ni.
- 5 In quo propriè, ac principaliter versetur munus Con-
gregationis.
- 6 Quod facultas interpretandi sit singularis, & priva-
tiva, non autem exequenti.
- 7 De aliis, de quibus ista Congregatio agit, & præser-
tim super residentia.
- 8 De reductione Missarum, vel susceptione novi one-
ris.
- 9 De restitutione in integrum adversus lapsum quir-
quennii pro reclamazione adversus professio-
nem.
- 10 Super dispensationibus ab irregularitate, & aliis
impedimentis.
- 11 De materia matrimoniali.
- 12 Non cognoscit causas particulares contentiosas.
- 13 Quam cognitionem habeat in causis beneficiis
unionum, & concursuum.
- 14 De visitatione luminum faciendâ per Episcopos, &
de questionibus jurisdictionalibus.
- 15 Omnes expeditiones dantur gratis omnino.
- 16 Ex quibus constituatur, & de mercede Præfecti, &
Secretarii.
- 17 De stylis, & an exequentiam præbeat suis resolu-
tionibus.

Postquam sub Pio IV. per eius Constitutio-
nem, Sacrum Concilium Tridentinum absolu-
tum, atque confirmatum, & publicatum fuit;
Idem Pontifex ad aliquos menses, pro eiusdem
Concilii exequentione, & observantia, nulla inter-
pretationis facta mentione, Congregationem de-
putavit aliquorum Cardinalium, illorum præsertim
qui in ipso Concilio interverant, eiusque mentis
occasione discussionum habitatum in sessionibus
bene confecti erant; Undè propterea, circa ea initia,
quamvis Congregatio, ut supra, super exequentio-
ne, & observantia tantum, non autem super inter-
pretatione, deputata esset; Adhuc tamen aliqua
oriante dubitate, istæ partes interpretandæ quan-

doque (licet rarius) assuuebantur. Habetur in anno-
ad Concil. Trid. lib. 14. disc. 1.

Cum autem Sixtus V. ut celerius quamplura
utriusque pontificii ac prophani principatus ne-
gotia expedirentur, litiumque diuturnis & frequen-
ter scandalosi anfractus tollerentur, per eius Con-
stitutionem, *Const. 74.* quam plures Cardinalium
Congregationes creverit, Inter illas, istam ac alte-
ram Inquisitionis, vel Sancti Officii, jam erectas,
quoque descripsit, eas confirmando, atque aliquas
etiam majores facultates eis tribuendo; huic præ-
sertim illam interpretandi idem Concilium in iis,
quæ concernunt reformationem aliaque indiffe-
rentiam non autem fidei Catholicæ dogmata, cum
in his interpretationem sibi, eiusque successibus
reservaverit. Undè propterea ista S. Congregatio
fortita est nomen, seu vocabulum Congregationis
Cardinalium S. Concilii Interpretum.

Hinc censores, non bene callentes utramque
facultatem, tam scilicet super interpretatione, quam
etiam antiquiorem; super exequentione ac obser-
vantia, solam rerum seu vocabulorum superficiem
attendentes, (juxta frequentiore consuetudinem
hujusmodi generis hominum, qui nihil bene scien-
do, cum aliqua superficiali tinctura, omnium mundi
rerum seu negotiorum Judices, aliorumque ma-
gistros ac censores se faciunt,) scandalum concipi-
unt, quod ista Congregatio casus particulares, in
forma contentiosa disputandos, ac decidendos as-
sumat, quasi quod eius partes essent solum præstan-
di oracula in abstracto super alicujus decreti con-
ciliatis interpretatione, quando plurimum intelle-
ctuum capax esset, Quod (ut alibi advertitur) dicto
disc. 1. in annot. ad Concil. quandoque sequi solet ex
ea potissimum causa, quod decreta extensa non
fuerunt à perito Jurista forensi, qui haberet lo-
quendi formulas juridicas, & magis significativas
ab æquivoceis magis alienas, sed à doctissimo qui-
dem ac primario humanarum literarum Professo-
re, qui elegantie sermonis, vel Grammaticorum
regulis obsequi volui; Dum (ut præmissum est,)
antiquior ac originaria, ideoque magis propria est
altera pars demandandi executionem, & observan-
tiam Concilii.

Bene verum, quod juxta frequentiore stylum,
eius principale institutum versatur in hac parte
interpretandi, atque præstandi oracula in abstracto
super dubiis, quæ proponantur.

Ultra istas partes interpretandis, aliaque decer-
nendi, quæ dicti Concilii observantiam concer-
nunt; Et super qua parte interpretativa, alia Con-
gregationes se non introrunt, unde propterea
ista facultas est privativa, altera verò exequentionis
vel observantia, est cumulativa cum aliis, & præ-
sertim cum proximè sequenti Congregatione E-
piscoporum, & Regularium.

De plerisque peculiariter agit, quæ ab eodem
Concilio etiam dependentiam habent; Puta, super
Episcoporum, aliorumque beneficiatorum residentia,
tam circa licentias super absentia, ex aliqua
justa causa, cum moderationibus tamen contentis
in Apostolicis Constitutionibus, illa præsertim
Urbani VIII. super residentia Episcoporum, in
quarum moderationum casu eadem Congregatio
per organum eius Præfecti, vel Secretarii, pontifi-
cium oraculum exigere solet; Quam etiam super
declarationibus, an & quando absentia sit licita,
vel saltem excusabilis, tam ad effectum fructuum,
quam

quam respectivè distributionum quotidianarum, ac pro evitandis pœnis contra non residentes, à sacris Canonibus, & ab eodem Concilio inflictis; Unde propterea illi, qui ex causa studiorum, vel ex alia justa causa, à residentia se excusabiles reddere volunt, ab ista Congregatione petunt licentiam, quæ ad tempus, cum nimia moderatione pro negotiorum qualitate, concedi solet, quandoque indulgendo etiam distributiones, pro frequentiori tamen stylo reservando tertiam partem favore interessentium. *Iste licentia insinuantur sub tit. de beneficiis & sub tit. de Canon. disc. 13. & alibi.*

8 Item cum locorum Ordinariis, post Concilii editionem, per Apostolica decreta prohibita sit Missarum reductio ex causa decrecentiæ fructuû, ac reddituum, pro earum celebratione destinatarum, ac etiam per eisdem Congregationis decreta generalia, quæ de celebratione Missarum dicuntur, ob Apostolicam confirmationem in Bullario quoque inserta, *Const. 43. Urban. 8.* certa forma præscripta sit, super nova susceptione hujusmodi onerum in perpetuum, & præsertim super investimento pecuniarum in bona stabilia fructifera, prohibito investimento in censibus consignativis; Idcirco, tam facultatem reducendi onera antiqua quam aliam facultatem suscipiendi onera nova, præter dictorum decretorum formam, ista Congregatio concedit pro facultate causarum, seu pro moribus regionum.

9 Item, licet ab eodem Sixto particularis Congregatio super negotiis Regularium erecta fuerit, de qua in proxime sequenti discursu; At tamen, quando Regulares professi utriusque sexus, juxta formam à Concilio præscriptam, adversus professionem reclamare velint post quinquennium; unde propterea necessaria sit specialis commissio Papæ, super restitutione in integrum adversus quinquennii lapsum, ista commissio concedi non solet Ordinario, & superiori locali, nisi prævia consultatione hujus S. Congregationis, cui desuper porrectæ supplicationes diriguntur consulendæ; licet quandoque, sed nimium raro praxis docuerit, quod alteri Congregationi Regularium directæ sint, ideoque in ea disputatur de causis restitutione in integrum dignis, nec nē. *tit. de regular. disc. 41.*

10 Idem sequitur in illis supplicationibus, quæ Papæ porrigantur pro dispensatione ab aliqua irregularitate publica, & præsertim ex causa homicidii voluntarii, quod scilicet supplicationes diriguntur hujus Congregationis consultationi; Quod etiam aliquando fit super illis dispensationibus matrimonialibus, quæ per Datariam concedi non solent, & super aliis arduis ac dubiis gratiis vel negotiis practicatur.

11 De materia matrimoniali quoque in ista Congregatione frequenter agi solet, utpote dependente à plerisque decretis Conciliaribus, tam circa formam contrahendi, quam circa impedimenta resultantia; à vinculo consanguinitatis, vel affinitatis, aut ab altero publicæ honestatis, sive à raptu, eum similibus; Decidendo etiam casus particulares contentiosos, vel ex mutuo partium consensu, ubi præsertim questio restringatur ad solum punctum juris, vel ad interpretationem decretorum Concilii; vel quod partium inopia ita exigat, ut litem in judicialibus Tribunalibus, per tramites juris, & cum tela judicialia sustinere non valeant; vel quod ita Papa ex aliqua iusta causa mandet, præsertim pro evitandis scandalis, quæ in hujus-

modi controversiis oriri solent, quando cum iudicii tela, seu formalitate agantur. *Sub tit. de matrim. disc. 1. & 3.*

12 Extra enim istos casus, tam in ista materia matrimoniali, quam in quibuscumque aliis, ad eiusdem Sixtinæ Constitutionis præscriptum, generaliter Sacre Congregationes, una partium reluctante, non agunt causas contentiosas, quæ processum formalem, cum probationibus hinc inde faciendis exigant; ideoque ad Iudices ordinarios ista causa ab eisdem Congregationibus remitti solent; Quod tamen quandoque non practicatur pro Congregationum arbitrio.

13 Prout in materia beneficali, non se ingerit in cognitione causarum particularium inter contententes de pertinentia beneficiarii; Bene tamen in ea frequenter agi solet de validitate unionum, quæ ex forma decretorum conciliarium fiant præbendis canonicalibus, vel Ecclesiis parochialibus, aut seminariis, Et quandoque Ordinarii, antequam eas faciant, cautius agendo, ab eadem Congregatione oraculum petunt, ut ita firmior actus existat, quavis neque ista causa sufficiens aliquando esse solet; Ac etiam super validitate concursus in parochialibus, *Sub tit. de benef. disc. 46. & in aliis.* Et generaliter ita in quibuscumque aliis, quæ à conciliarium decretorum interpretatione vel observantia pendent.

14 Eidem Congregationi quoque incumbit materia visitationis luminum, quam Episcopi ad præscriptum Constitutionis Sixti V. facere tenentur, istaque occasione referre statum Ecclesiæ; unde propterea, occasione responsonis, quam desuper reportant, monita eis dantur, super quibus providere debeant; Idque præbere solet occasionem decidendi quæstiones jurisdictionales cum Prælati inferioribus super jurisdictione activa, vel cum exemptis super visitatione ac jurisdictione passiva in concernentibus curam animarum, & alia hujusmodi. *L. de his, tit. de iurisd. disc. 4. & seq. & in Miscell. Eccl. & in annot. ad Concil. Trid.*

15 Generaliter autem, tam in ista, quam in quibuscumque aliis cardinalitibus Congregationibus, nulla pecuniarum, vel solutionibus emulumentorum mixtura dignoscitur, sed omnes expeditiones dantur gratis omnino, adeo ut neque aliquid petere vel recipere liceat per inferiores ministros, & operarios, sub prætextu nudi laboris, vel operis personalis in scripturas; solumque partium correlponsalibus, qui negotiorum curam habent, aliqua moderata merces seu recognitio laboris debita est pro negotiorum qualitate, ac pro expensis copistatum, sive pro honorariis Advocatorum, & Procuratorum, quando eorum operam adhibere qualitas negotii exigat.

16 In ista Congregatione nulla adest mixtura Prælatorum, uno excepto, qui Secretarii munus gerat, atque unus Cardinalis eius habet Præfecturam pro subscriptione literarum, & decretorum, ipsiusque Congregationis cura, & directione; Atque huic præfecto Sedes Apostolica pro recognitione laboris solvit mensua scuta centum auri, ex quibus ipse suppedat aliquam ratam Secretario, pro mercede scribarum, & operariorum inferiorum, ac pro expensis chartæ, & aramenti, ut omnia gratis dentur; Istaque Congregatio qualibet hebdomada vel bis in mense pro negotiorum numero vel qualitate in die Sabbati hodie in Apostolico Palatio habetur, prius verò habebatur in domo Cardinalis antiquioris.

Quan.

Quandoque super dubio, quod proponitur, alias prodierint resolutiones, cum istis procedi solet, atque aliquando absque aliqua discussione referri, quod dentur resolutiones alias factae. Id autem non semper bene procedit, cum solum servandum sit in decretis, vel declarationibus generalibus, & in abstracto, quasi per viam legis, non autem in resolutionibus casuum particularium, cum diversa singulorum casuum circumstantiae diversam exigere valeant resolutionem, ut alibi advertitur. *Disc. 1. in annot. ad Concl. Trid. lib. 14.*

Ejus autem resolutionibus vel decretis ipsa Congregatio executionem non praestat, neque in judicialibus se ingerit, sed ad Judices ordinarios, ac Tribunalia contentiosa ecclesiastica, & competentia id pertinet. *dicto Disc. 1. ex Constit. 74. Six. II V.*

DISCURSUS XVI.

De Sacra Congregatione super negotiis Episcoporum, & Regularium.

SUMMARIUM.

- 1 DE istius Congregationis erectione.
- 2 Quod decretis non deferatur, nisi in forma authentica.
- 3 De quibus negotiis in ea tractetur.
- 4 Qua die teneatur.
- 5 De stylo deputandi ponentem.
- 6 Non admittitur recusatio ex capite suspicionis, & quid ubi Cardinalis habeat interesse.
- 7 Quomodo cognoscatur causas.
- 8 De stylo seu modo recipiendi informationes, & decidendi.
- 9 De modo exequendi resolutiones.
- 10 Quomodo procedatur contra Episcopos.
- 11 De eodem, & de deputatione Vicarii Apostolici.
- 12 De deputatione Vicarii sede vacante.
- 13 De potestate Capituli sede vacante.
- 14 De aliis ad materiam negotiorum, qua aguntur in hac Congregatione.
- 15 De negotiis concernentibus monasteria Monialium.
- 16 Quod hac negotia dirigantur Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, etiam in Monasteriis exemptis.
- 17 Quomodo cognoscantur cause Regularium.
- 18 De eodem, & quod causa Regularium tractanda sunt summarie, in forma extrajudiciali.
- 19 De stylo capiendi informationes in negotiis, & recursibus Regularium.
- 20 Ad istam Congregationem privative pertinent novae erectiones, vel suppressiones Monasteriorum, & conventuum.
- 21 De congregatione reformationis Regularium.
- 22 Concedit ista Congregatio beneplacitum super alienationibus.
- 23 De aliis negotiis hujus Congregationis.
- 24 De eodem, & quod cognoscatur de negotiis pertinentibus ad alias Congregationes.

25 Adhibet regulas prudentiales, neque semper legibus se agnoscit subiectam.

26 Omnes expeditiones dantur gratis.

ISTA Congregatio per Sixtum V. cum plerisque alii, per particularem constitutionem erecta est, *const. 74. Sixti V.* Illaque solum Cardinalia est aliorum mixturam non habens, nisi unius Praelati, qui Secretarii munus gerat, a quo literae & decreta scribuntur, vel subscribuntur, cum subscriptione & sigillo unius ex Cardinalibus, qui Praefectus dicitur, & sine quibus copulative subscriptionibus, ac sigillo, expeditiones authenticae non dicuntur, quamvis agatur de decretis vel resolutionibus, quae aliarum causarum occasione jam facta sint, & quae coram inferioribus Judicibus ad probationem sive auctoritatem pro alicujus similis casus determinatione allegentur, quoniam sive agatur de resolutionibus istius Congregationis quam illius Concilii, & aliarum, speciali decreto cautum est, ut non nisi ista forma munitae, authenticae dicantur; Et per consequens extra Curiam deferendum non est attestacionibus hujusmodi resolutionum, vel declarationum, quas aliqui, commendabiles quidem in sua sphaera, pro publica commoditate, faciunt elaborati ac diligentes Collectores; In Curia vero ista solemnitas vel forma desiderari non solent, cum de facili defensores alterius Partis, contra quam resolutiones allegentur, de illarum veritate certificare valeant, ex registris, quae diligenter conservantur in Apostolico Archivio, ut alibi etiam insinuat. *disc. 1. in annot. ad Concl. Trid.*

Duo diversa negotiorum genera peragit ista Congregatio, quae propterea, quoad negotia curialia fori ecclesiastici, quae non concernunt fidem, sed ad Christianae Republicae regimen spirituale pertinent, videtur omnium major, ideoque majorem habere solet numerum Cardinalium, ob majorem negotiorum multipliciter.

Ea, quoties festorum impedimenta aliis non suadeant, sine intermissione tenetur in feria sexta cujuslibet hebdomadae in Palatio Apostolico; De mense vero Martii, ex eo quod feria sexta est dies festivus vel magnae devotionis, ob commemorationem passionis Domini Nostri, tenetur feria quinta excepto tempore vacationum generalium aestivarum, quando aliquantorarius teneri solet, juxta negotiorum majorem, vel minorem multiplicitatem, seu contingentiam.

Ubi agatur de contentiosis causis, quae sub formali disputationis trutina cadunt, stylus est hujus Congregationis, deputandi pro singularum causarum propositione aliquem Cardinalem, qui causam sibi commissam proponat, ad instar Tribunalium collegialium de quibus infra, isteque Ponens appellatur; Quod etiam in plerisque aliis Congregationibus practicitur, non autem in illa Concilio, in qua omnia negotia proponuntur per Secretarium, praevia tamen dubiorum, ac negotiorum saltem graviorum descriptione in folio; quod per plures dies antea transmittitur per manus singulorum Cardinalium Congregationis.

Non admittuntur autem recusatones ex capite suspicionis, quod etiam in aliis Cardinalibus votare debentibus procedit; Quinimmo si agatur de causa Ecclesiae Cathedralis, vel Monasterialis, cujus aliquis ex Cardinalibus, qui in Congregatione

ione interveniunt, sit Præful, vel Commendatarius, aut Protector; non inde tamen invitus à Congregatione excluditur? pluries practicum vidit; Est tamen bene verum, quod frequentius discreti Cardinales, aliquod interessè in causa habentes, sive scientes quod Pars eos habeat suspectos, ex causa, ob quam de juris rigore Judex reculari possit; spontè abstinent, atque hujusmodi dubitationi ansam non præbent; Idque prudenter fit etiam pro causa servitio, atque ad captandum illud arbitrium quod citrà justitiæ præjudicium cadere valeat, cum quandoque praxis docuerit, ut quo magis aliquis Cardinalis pro interessè affectionis ratione protectionis in Congregatione intervenire voluit, ut jura illius Partis tueretur, eo magis, ab aliorum constanti integritate, acriorem succumbentiam causa passâ sit; Licet quandoque è converso, ista præsentia prodessè consueverit, juxta casuum contingentias, Commendabilis tamen est, ut abstineant, ut libenter ac frequenter tam in his Congregationibus, quam in aliis Tribunalibus sequi solet, etiam in casibus, in quibus de stricta juris censura recusatio non intraret, Hinc proinde illa suspitionis disputationes, quæ in aliquibus regionibus, & Tribunalibus adeo frequenter disputantur, pro calumniæ fomento ad causas æternandas, in Curia, nunquam, vel nimium raro audiuntur.

7 Distinguendo itaque negotia Episcoporum ab illis Regularium; Quatenus pertinet ad primam speciem; Verè, & propriè hujus Congregationis Institutum est, ex mente erectoris, ut summaris; ac in forma extrajudiciali audiantur, subditorum recursus, vel querelæ adversus oppressiones, & gravamina Episcoporum aliorumque Prælatorum, ac Vicariorum, & officialium, non autem ut peragantur causa privata contentiosa, quæ processum ac telam judiciariam exigunt inter partes, quoniam istis non concordantibus, sed una earum reluctanter, remitti debent ad suos Judices ordinarios competentes, ut frequentius praxis docet (licet aliquando non observetur.)

8 Habito igitur recursum per eos, qui se gravatos sentiant per viam supplicis libelli in forma extrajudiciali, Stylus est quod scribitur epistola familiaris subscripta à Præfecto, & Secretario nomine Congregationis, Episcopo, vel alteri superiori, cum insertione copiarum libelli desuper porrecti, ut super contentis in eo, Sacram Congregationem informet; Habitaque informatione, si ea fidelis existat, adeo recurrentes in facto non discordent, unde propterea questio reducatur ad punctum juris, tunc negotium proponitur in S. Congregatione, atque emanat resolutio, pro cuius executione, vel observantia, etiam per epistolas familiares, illi Episcopo, vel superiori directas, procedi solet; Et quandoque, ubi causa qualitas id exigat, executio committitur Metropolitanis, seu vicinioris, vel alteri Prælatore etiam in hac forma extrajudiciali
9 per epistolas familiares; Sive aliquando datur decretum in supradicta forma authentica, Præfecti, & Secretarii subscriptione, ac sigillo munitum, ut Partes interessatæ ordinarios Judices adeant, pro judiciali observantia, & executione, ideoque desuper expediuntur monitoria Auditoris Camera, & quandoque etiam literæ Apostolicæ confirmationis in forma brevis, sub annulo Piscatoris, per organum Secretariæ Brevium, de qua supra actum est supra disc. 7. ut ita servatis servandis, in forma judiciali, cum remediis temporalibus multarum, vel cum spiritualibus censurarum, contumaces ad observantiam compellantur.

Ubi verò ille, à quo informatio petitur, eam dare negligat, sive prætendatur, quod alterata, minusque vera data sit, tunc committi solet alicui Episcopo viciniori, vel Metropolitanis, aut alteri personæ qualificatæ in partibus, ut desuper se informet, atque Sacre Congregationi referat; Ac etiã quandoque pro negotiorum qualitate committi solent Prælati, ac etiam religiosi, aliisque probatis viris informationes, ac relationes secretæ; Et è converso ubi de Episcoporum vel aliorum superiorum criminosis gestis agatur, tunc facto verbo cum Sanctissimo, ad præscriptum Concilii Tridentini, & Apostolicarum Constitutionum, committitur alicui Prælati in partibus formalis processus informativus, sive injungitur Auditori Camera, ut Commissarium deputet, juxta negotiorum qualitatem, & contingentiam; ideoque certa regula generalis desuper statuta non habetur, cum totum pendeat à Congregationis arbitrio, & frequenter ab illo Pontificis, pro istius, magis, & minus rigorosa natura, vel stylo.

Quando itaque dignoscatur adesse gravamina, tunc super eis dantur provisiones oportunæ, tam pro revocatione eorum, quæ sequuta sint, quam etiam ut occurratur futuris, suspendendo quandoque jurisdictionem, & deputando Vicarium Apostolicum, sive eximendo illam personam, ab eius superioritate, illi dando in superiorem aliquem Episcopum ex vicinioribus, & quandoque evocando Episcopum, vel alium superiorem ad Curiam, atque si rei qualitas exigat, illum detinendo carceratum in aliquo Monasterio, seu alias puniendo, aut remittendo Auditori Camera, ut servatis servandis, eos puniat, etiam cum privatione Præfulatus, vel cum translatione pœnali ad Ecclesiam inferiorem, adeo ut certa regula desuper statui non valeat.

Sede autem Episcopali vacante, in ista Congregatione frequentius (licet quandoque, sed rarius in illa Concilii,) habentur quæstiones super deputatione Vicarii Capitularis; Atque ubi dignoscatur, quod ea ad præscriptum Concilii Tridentini, vel decretorum S. Congregationis facta non sit, varix oriri solent provisiones; Quandoque etenim, ubi nullitas non proveniat ex vitio personæ, quam constet esse dignam, & idoneam, tunc ipsa deputatio revalidatur, eo modo (ut infra) frequens praxis docet in electionibus Prælatorum regularium; Quandoque verò, ipsa Congregatio Vicarium deputat, cum oraculo Papæ, & qui propterea Apostolicus dicitur; Et quandoque mandatur, ut Capitulum denuo ad electionem procedat, sive Metropolitanis, aut Viciniori id committitur (quantum tamen rarum est) cum frequentior stylus sit, vel confirmandi deputatum, vel deputandi Vicarium Apostolicum de hac materia Vicarii Capitularis subtit. de Canon. & Capit. disc. 24. cum plur. seqq. & in annot. ad S. C. T. disc. 31.

Si vero deputatio sit valida, sed facta sit ad tempus, aut cum aliquibus restrictionibus, (ut Capitulum frequentior stylus esse videtur) tunc ipsa Congregatio, quatenus contingat, desuper per eundem deputatum eam certiorari, eidem rescribit, ut pro toto tempore vacationis, eius munus exerceat, cum universa jurisdictione, neglectis sibi factis restrictionibus, quas improbat; Et aliquando eidem Vicario Capitulari aliquam communicare solet facultatem, qua ipse careat, puta concedendi literas dimissoriales, ad ordines suscipiendos infra annum, cum similibus; Quod tamen non nisi pro casibus, vel personis particularibus, & ex justa causa

causa, & quandoque prævia informatione concedi solet.

Et de plerisque aliis, de quibus in ista Congregatione agi solet, actum habetur in instructivo discursu, de quo in *Miscellan. ecclesiastic.* ubi videre facile est, cum alias nimia esset digressio. *titul. Miscell. ecclesiast. disc. 1.*

Quamvis autem negotia concernentia regimen Monasteriorum Monialium jam fundatorum, sive eorundem Monasteriorum novas fundaciones; Regularium materiam potius concernant; attamen sub ista Episcoporum potius cadere videntur, quoniam nimium rare sunt quæstiones, quæ in hac Sacra Congregatione disputentur, inter Moniales, & viros regulares, sub quorum regimine ipsum monasterium sit (licet quandoque id casus præbeat ut alibi advertitur in sua materia; *sub tit. de Regular. disc. 42.* Sed omnia negotia, quæ ad Moniales pertinent, agi solent cum Episcopis, aliisque locorum Ordinariis; Vel quia ipsæ Moniales, tanquam exemptæ impugnent Ordinarii jurisdictionem circa visitationem, & alia, de quo etiam in S. Congregatione Concilii disputari solet; *de his quæst. sub tit. de iurif. disc. 26 & seqq. & in annot. ad Concil. Trid. disc. 5.* Vel quia eadem Moniales prætant ab Ordinario gravari; Sive quod præter antiquum, vel consuetum institutum, nimium eas restringi, ac reformari prætantur, cum similibus.

Eidem quoque Ordinario referbere solet, vel circa vitam communem, vel circa numerum præfixum; aut circa receptionem plurium sororum, contra dispositionem decretorum Apostolicorum; Sive circa receptionem corruptarum, cum præfinitione augmenti dotis; Nec non circa concessionem majoris, vel minoris numeri conversarum, tam in communi, quam aliquibus Monialibus in particulari; nec non super admisione puellarum gratia educationis; aut super concessione Confessoriorum extraordinariorum, quando Ordinarius deneget, cum similibus negotiis, quæ hoc Monialium regimen concernant, dum regulariter pertinent ad hoc organum.

Item per istud organum explicari solet beneplacitum Apostolicum super novis foundationibus prævia diligenti informatione, ac discussione requisitorum, sed hæc & similia cum Episcopis, vel Ordinariis peragi solent, quibus etiam diriguntur literæ, vel provisiones, in controversiis, quæ oriuntur inter ipsas Moniales in electione Abbatissæ; Aut in eisdem prerogatione ultra triennium, quam vis agatur de Monasteriis exempti; Nisi particularis consuetudo contrarium suadeat, istamque necessitatem tollat, quia nempe respectu exemptorum, hoc munus pertinere solet ad aliquem ecclesiasticum Prælatum, qui sit Nuntius vel Commissarius Apostolicus, cui rectè congruat ratio ejusdem fiduciam, quæ habetur de Ordinario, non autem de aliis inferioribus, sub quorum regimine sit monasterium, putà pro frequentiori contingentia de Regularibus. *dicto disc. 26. de Regular. & dicto disc. in annot. ad Concil. Trid.*

Quo vero ad alteram speciem negotiorum Regularium, non intrat superius insinuata propositio, quæ intrat in negotiis Episcoporum vel secularium, quod scilicet in privatis causis contentiosis cum processu & ordine judiciario peragendis, una partium reluctantæ, ista Sacra Congregatio se non

ingerat sed eas remittat ad suos Judices; Quoniam causas Regularium non solum publicas super regimine Religionis in universum, sive inter unam Religionem, & alteram, sed etiam privatas inter ipsos Religiosos super electionibus, officiis, & prælaturis, aut super præcedentis, aliisque præ eminentiis, ceterisque occurrentiis, generaliter hæc S. Congregatio cognoscit, & determinat, summarie, & de plano, sola facti veritate inspecta, quandoque cum extrajudicialibus probationibus, vel cum sufficientibus justificationibus, per scripturas, nullo tamen adhibito formali processu, cum Notario, & cum tela judiciaria, quoniam Secretarius vel Cardinalis Ponens conservat scripturas, & recipit informationes, ita quodammodo, faciendò etiam partes Notarii.

Merito autem ac prudenter in causis Regularium ita proceditur, quoniam non solum ex dispositione dictæ Sixtinae Constitutionis, super hujus Congregationis erectione, sed etiam ex antiquorum Canonum, & Canonistarum sensu receptum est, incongruum esse claustralibus Religiosis, strepitum fori, adeoque eorum causæ cognosci non debent in ordinariis Tribunalibus contentiosis secularibus, sed intra ipsam Religionem, atque per eius superiores, absque figura iudicii, & cum religiosa simplicitate; Si vero agatur de recuribus à gravaminibus ipsorum superiorum, in eadem extrajudiciali forma cognoscuntur. Vel per Cardinalem Protectorem Religionis; Vel per istam Congregationem, cum ita quoque intra, non autem extra ordinem cognosci dicantur. *Tit. de Regular. disc. 1. & 22.*

Stylus autem est, quod quemadmodum in dicta alia specie negotiorum Episcoporum & clericorum secularium & monialium, habito recurfu per viam simplicis libelli extrajudicialis, scribitur Episcopo pro informatione, eique transmittitur tenor libelli porrecti; Ita in istis negotiis Regularium referbitur Procuratori Generali Religionis, qui semper in Curia assistit, & quandoque eidem Generali pro informatione, qua habita, si una Partium illam impugnet, atque alteram prætant; alia capiuntur informationes, & adhibentur diligentia pro veritate indaganda.

Ad istam quoque Congregationem private pertinet agere de novis foundationibus Monasteriorum, vel Conventuum, ac decidere causas super oppositionibus aliorum Regularium, & quandoque etiam clericorum secularium, nisi Papa videatur aliquam causam committere in Rotam, vel alteri Congregationi; *tit. de Regular. disc. 29. & seqq.* Pro ut etiam cognoscit super Conventuum suppressione, quopiam licet ad sit alia moderna Congregatio Cardinalium, cum Secretario etiam Prælo super statu & reformatione Regularium, ab Innocentio X. erecta, de cuius voto seu consilio, sequuta fuit eiusdem Innocentii Constitutio super suppressione parvorum Conventuum; Attamen ista est Congregatio particularis, super dicta reformatione in universum, quæ comparabilis est cum ista ordinaria & generali, ejusque facultates non impedit.

Cumque ab Urbano VIII. revocata, vel respectivè moderata fuerint amplæ facultates, quas

ex Apostolicis Constitutionibus habeant Prælati regulares super alienationibus bonorum, & jurium aliis cadentium sub prohibitione *Extravagantis Ambrosii de reb. ecclæs. non alien.* unde propterea necessaria est solemnitas beneplaciti Apostolici; Idcirco, ne Religiosi, præsertim pauperes cogantur subire sumptus, qui desuper necessarii sunt pro expeditionibus Dataria, vel Secretariæ Brevium; istud beneplacitum concedi solet per organum istius Congregationis, ac etiam per illud alterius Congregationis Concilii; Idque aliquando in Monialibus etiam praticari solet, quando monasterii paupertas ita exigat.

Et in summa omnia peragit, quæ Religio-
num, ac Regularium bonum regimen, ac directionem concernunt; unde propterea dicitur Congregatio occupatissima, atque in negotiorum multitudine omnium major, ob faciles recursus, querelas, & contentiones Regularium, qui non habentes necessitatem cogitandi ad propriam personam, ac familiam victum & vestitum aliaque indigentias, se totos occupare solent in dissensionibus inter se ipsos, in humana conditione vel infirmitate exigente, pro qua curanda, sufficiens medicamen adhuc non habemus. *De his habetur disc. 1. tit. de Regular.*

Habet item ista Congregatio latas habenas agendi etiam de illis negotiis, quæ aliarum Congregationum peculiaria sunt, unde propterea (ut Urbanus VIII. dicere solebat) ista videtur Congregatio quodammodo universalis, exceptis causis, quæ directè fidei quæstiones concernant, sive formalem interpretationem Concilii Tridentini; In reliquis enim, licet ad istam Congregatio Concilii, attamen de iis, quæ concernunt executionem, vel observantiam ejusdem Concilii, ejusque decretorum cognoscit; Prout etiam licet ad istam Congregatio Rituum, cujus peculiare munus est cognoscere ac decidere controversias super præcedentis, aliisque ecclesiasticis præminentis, inter clericos seculares & regulares, ac etiam super iis, quæ prætendantur per laicos in functionibus ecclesiasticis; adhuc tamen ista Congregatio istas causas cognoscit; Ideoque privativa singularis cognitio dictæ Congregationis Rituum, versatur in præscribendo ritus super divinis officiis, ac etiam super canonizatione Sanctorum. *infra disc. 18.*

Ac etiam licet ad istam particularis Congregatio super controversiis jurisdictionalibus, ac super ecclesiastica immunitate, à qua denominationem seu vocabulum sortitur, de qua *infra disc. seqq.* Adhuc tamen ista Congregatio, occasione agendi de negotiis, ad Episcopos & Ordinarios locorum pertinentibus, de hac negotiorum specie cognoscit, quando casus præbeat, ut ad eam recursus habeantur.

Et quamvis generaliter hujusmodi cardinalitæ Congregationes, tanquam summarie cognoscentes sibi commissa negotia, se gerant nomine Papæ, potius more Principis, vel supremi Senatus, quam more Judicis vel Tribunalis contentiosi, ideoque non subjaceant rigori regularum & propositionum juris, eo modo quo contentiosa Tribunalia subjacent; præ cæteris tamen ista Congregatio, quæ quoddam universale, ac politicum regimen utriusque cleri secularis, & regularis, aliarumque rerum ecclesiasticarum habet, huic restrictioni non subjacet, sed

Card. de Luca. Relatio Curia Romana.

cum regulis seu legibus prudentialibus pro negotiorum qualitate, vel temporum ac rerum contingentiis procedere solet; Semper tamen, & in quibuscumque quantumvis gravibus negotiis, gratis omnino, etiam quoad scripturam, ad eum partes alio non graventur sumptu, nisi (ut aliis dictum est) illa recognitionem laboris personalis, ac diligentiam correspondentium, qui negotiorum curam habeant; Et quandoque quatenus negotii qualitas exigat, pro honorario Advocatorum & Procuratorum, ac pro expensis copistæ pro informationibus quæ dentur; Reliquum verò totum quod ad suggestionem Agentium & correspondentium à Partibus detur, furtum & illicita extorsio est eorum, qui negotia peragunt, vel aliquorum reprobiorum inferiorum Ministrorum Mechanicorum, qui fidem ab eorum dominis habitam fraudent.

DISC. XVII.

De Sacra Congregatione Jurisdictionis, & Immunitatis Ecclesiasticæ.

SUMMARIUM.

- 1 De hujus Congregationis erectione.
- 2 Quinam in ea interveniant.
- 3 Prælati sunt relatores causarum & processuum
- 4 Quare habeatur in ista Congregatione usus processuum, & de immunitate locali.
- 5 De immunitate personali, & de alia immunitate reali.
- 6 Mechanicum est videre processus.
- 7 Quando teneatur, & de quibus negotiis tractet.
- 8 An fuerit expediens eam erigere.
- 9 Quod stylus hujus sanctæ Congregationis sit potius contra delinquentes, qui ad immunitatem recurrunt.
- 10 Unde proveniat quandoque rigor.
- 11 De remissione confugientium sub lege ut non condemnentur ad penam ordinariam.
- 12 De stylo dandi omnes expeditiones gratis.
- 13 Et de alio stylo procedendi in forma extrajudiciali.
- 14 Cognoscit privative de causis immunitatis, & Metropolitanæ se non ingerit.
- 15 In quo proprie consistat munus hujus Congregationis, & quales causas remittat iudicibus competentibus.
- 16 De aliis ad materiam remissivè.

Moderna est ista Congregatio, utpotè erecta circa initia Pontificatus Urbani VIII.

Incertum tamen est; An vivæ vocis oraculo; Vel per literas in forma brevis; Aut per decretum consistoriale; Sive etiam per Apostolicam Constitutionem, quæ in Bullario non sit impressa; Ideoque super ejus facultatibus, ac restrictionibus respectivè, discurre non potest, eo modo, quo de facultatibus aliarum Congregationum, super quibus Constitutiones in Bullario habemus fieri potest.

Habet ista Congregatio, cum competentium numero Cardinalium, mixturam aliquorum prælatorum pro Papæ arbitrio, ex quibus quatuor videntur fixi; Unus nempe, qui Secretarii munus gerat, Unus ex Rotæ Auditoribus; Unus ex Clericis Cameræ, & Advocatus fiscalis; Alii verò sunt in majori, vel in minori numero, ut Papæ videatur etiam ex dictis Rotæ, & Cameræ Tribunalibus assumi soliti.

Gg

Isti

Isti verò Prælati, ut plurimum, sunt relatores caularum (qui in Curia Ponentes dicuntur;) Potissimè quia hujus Congregationis negotia frequenter secum ferunt processus voluminosos, qui per Ordinarios locorum, vel per alios iudices, & magistratus de partibus transmittuntur; Potissimè in causis concernentibus, ecclesiasticam immunitatem localem, ad effectum inspiciendi qualitatem, ac probationem criminis, pro casibus exceptuatis per Constitutionem Gregorii XIV? Sive qualitatem loci capturæ super quo sit controversia, an sit immunis nec ne; Aut super ejusdem capturæ modo, qui immunitatem excludat; Putà (ex-gr.) quod captus in loco non immunis, violenter in eo actu, secum trahat capientem, qui eum detineat, adeò ut ad proximum locum immunem accedat, cum tunc non suffragari immunitatem S. Congregatio respondere consueverit, cum similibus. *de istis causis immunitatis localis in Miscellan. Ecclesiast. disc. 9. & seqq.*

Prout etiam, processus, & acta, de partibus, transmitti solent, in causis aliarum specierum immunitatis, personalis scilicet, & realis, quando ad ipsam Sacram Congregationem recursus habeatur per eos, qui prætantur immunitatis vel jurisdictionis violatores, & tanquam tales ab Ordinariis, centuris innodati sint, sive illæ comminentur, cum similibus, quoniam, cum Cardinales in tot Congregationibus, ac etiam in Consistoriis, & Cappellis Pontificiis, aliisque gravibus negotiis, præsertim cum Principum Oratoribus occupati, vacare non possint lecturæ processuum, qui quandoque voluminosi esse solent; Ac etiam quia indecens videtur Cardinalium majestati, cum id sapere videatur quid mechanicum, ut agendo de Advocatis seu Procuratoribus inferius in eorum Rubrica advertitur, *infra in disc. in quo agitur de Advocatis & procuratoribus.* Idcirco Prælatis injungitur, qui compendiosè referant ea, quæ in processibus, & in actis contineantur ut servat quoque Congregatio Consultæ de qua *infra de his controversiis super immunitate reali dicto Miscellan. Ecclesiast. disc. 2. & seqq. & sit de Regali à disc. § 6. ad 62. & de immunitate personali ut. de jurisd. à disc. § 8. ad 68. & 92. & 94. & in aliis & de judic. disc. 3.*

Teneri ea solet in Palatio Apostolico in die martis, bis in mense, nisi negotiorum contingentia aliter suadeat; Eaque solum agit de negotiis concernentibus materiam jurisdictionis ecclesiasticæ, & ne illius exercitium Magistratibus sæcularibus permittatur, ac etiam de materia dictæ triplicis immunitatis, localis, personalis, & realis, & de quibus speciebus, ac successivè de negotiis, in dicta Congregatione pertractari solent, *in ecclesiast. Miscellaneo* compendiosè agitur. Ideoque ibi videri potest, ne eadem absque necessitate repetantur, *locis supra citatis.*

De his autem, insensibiliter, seu minus clamorosè, cognoscere solebat altera Congregatio Episcoporum, de qua discursu proximo præcedenti agitur; Eaque cum regulis prudentialibus, quas præ cæteris (commendabiliter quidem) adhibere solet, forsitan (ut aliqui opinantur) melius eadem negotia dirigebat; unde propterea adhuc sub iudice, etiam apud bonos, ac zelantes ecclesiasticos, remanet quæstio, quæ verè problematica est, habens hinc inde probabilia argumenta

an hujus Congregationis erectio ecclesiasticæ immunitati ac jurisdictioni proficua, vel præjudicialis fuerit; *Institatur etiam dicto disc. 2. Miscellan. ecclesiast.* Potissimè, quia bonus quidem, sed fortè indiscretus, vel asper zelus aliquorum, qui circa initia eam regebant, aliqua produxit inconvenientia præjudicialia, atque asperitatis vel nimium exactæ & exorbitantis defensionis opinionem impressit apud sæculares (quæ pro hodierna praxi verè erronea est) quoniam ut pro meæ diuturnæ forensis vitæ praxi, ingenue testari possum, utpotè utrumque antiquum, seu primævum, & hodiernum styllum expertus, quod rectissima est intentio, ad restrictionem potius immunitatis præsertim localis propensitas; tatenus verò illum styllum adhibere oportet qui rigorosus, vel asper reputatur à sæcularibus, quatenus ipsi ad id cogant, vel provocent, quia nempe se iudices facere velint hujus materiæ, cujus, juxta regulas catholice fidei sint incompetentes; Ideoque, ut pluries in *ecclesiast. Miscellaneo*, occasione agendi de dicta triplici immunitate, ac etiam in materia jurisdictionali advertitur, *locus supra cit.* Prout etiam in illa feudorum, *sic de feud. disc. 60.* & in altera regalium, *locus supra citatus.* & alibi, vitium est in utroque extremo, superiorum Officialium, & Magistratuum utriusque fori, adeò ut inconvenientia potius reserulent ex modo, quàm ex substantia.

Potissimè verò, inter alia multa, hodierna Congregatio non laudat antiquum sensum circa immunitatem localem, in illis casibus, in quibus agatur de criminibus quæ sub casibus exceptuatis, de stricto jure non cadant, sed scandalosa sint, publicæque quieti præjudicialia; unde propterea non possunt confugientes liberè tradici Curie sæculari, minusque debeant relinquere in libertate, sed potius ad extraordinariam penam mittremur, tanquam per speciem detentionis, & custodiæ pro publica quiete condemnari; Quoniam non est condemnatio, quæ fiat per Judicem ecclesiasticum auctoritate sua de laico delinquentem, cum quo nullam habeat competentiam circa criminis probationem, vel cognitionem, sed solum circa punctum immunitatis, an competat, nec ne; Sed est prudens & commendabile temperamentum, per quamdam speciem concordie cum Magistratibus sæcularibus, ut ita mediam viam eligendo, concorditer ipsi abstineant à pœna ordinaria hujusmodi delinquentium, qui eis tradantur; Atque ita non violetur immunitas, publicæ autem quieti consulatur; *Agitur de hoc stylo dicto Miscellan. Ecclesiast.* Verùm condemnatio fiat per ipsos Magistratus sæculares competentes, tanquam per speciem (ut præmissum est) prudentis, & commendabilis concordie; Verùm Episcopi, aliique ecclesiastici Superiores ad eam devenire non possunt, inconsulta ista Congregatione, quæ ad id devenire non solet, nisi factò verbo cum Papa, à quo oraculum accipit, dum nostræ ætatis praxis docuit, quòd Ordinario delinquentes laicos transmittente ad Principes sæculares triremes, Magistratus sæcularis eos ita in loco non immunis repositos carceravit, atque ad penam ordinariam ultimi supplicii condemnavit, sequuto effectu.

In reliquis autem hujus Congregationis styllus est uniformis, ac aliarum; Tam circa omnimodam alienationem à foribus, atque ab emolumen-

12 Iumentorum aliqua solutione, pro expeditionibus, aliisque actis, quæ gratis omnino conceduntur, ac fiunt; Quam etiam, circa modum procedendi in forma extrajudiciali, ut de aliis Congregationibus Concilii, & Episcoporum supra dictum est, scribendo scilicet per epistolas familiares Ordinariis locorum, vel Nuntiis Apostolicis, aliisque ecclesiasticis Prælati, ad quos pertineat, tam circa informationes super recursibus, quam circa executionem suorum decretorum, ac resolutionum.

13 Privativam cognitionem hujusmodi controversiarum habet, ad quoscumque alios competentes Judices, appellationum, vel recursuum; 14 Ideoque per ejus decreta, Pontificio oraculo comprobata, inhibitorium est Metropolitanis, ac Nuntiis, aliisque Judicibus appellationis, vel recursuum ab Ordinariis locorum, ne inhibitiones concedant, vel impedimenta præstent; Taliisque videtur præxis inconcussa in specie immunitatis localis, insinuat etiam dicto disc. 2. *Miscellan. Ecclesiast. & tit. de judic. disc. 3. & alibi.*

Secus autem in aliis duabus speciebus immunitatis personalis vel realis, quoniam munus Congregationis propriæ, ac principaliter versatur, in protectione, ac defensione ecclesiasticæ jurisdictionis, & immunitatis, & ne de facto illa usurpetur, vel respectivè violetur à Magistratibus, vel Communitatibus sæcularibus, aut à gabellarum, aliorumque laicalium onerum Appaltatoribus, & exactoribus, ita assistentiam, ac auctoritatem præstando Ordinariis locorum, qui præsertim pro Italiæ moribus, in exiguis, ac pauperibus Ecclesiis, potentiali oppressioni sæcularium de facili subjacent; Secus autem ubi cessante hac oppensione de facto, prætendatur per tramites juris, quod illa causa, vel persona respectivè sit sæcularis, non autem ecclesiastica, ideoque ad forum sæcularem pertineat, juxta eorumdem sacrorum Canonum dispositionem; Sive quod illa immunitas realis de jure competere non debeat; Vel quatenus in substantia competat, ista non controversatur, sed sola quaestio sit super modo, vel super quantitate, aliisque accidentibus, quoniam ista cognitio non prohibetur, immò fieri debet coram ordinariis Judicibus competentibus, cum immunitatis ecclesiasticæ substantiam, vel genus non percutiat; Ideoque debent eis hujusmodi causæ remitti, ut in forma judiciaria per tramites juris decidentur, eo modo, quo aliæ causæ privatæ contentiosæ peraguntur; Potissimè verò, quando oporteat facere probationes per testes, qui servatis servandis examinandi sint, stante insinuatō stylo, tam istius, quam aliarum Congregationum, gerendi potius partes Principis, vel supremi Magistratus, in forma extrajudiciali, quam illas Judicis, in forma contentiosa. De his causis remissis ad suos Judices tit. de regal. disc. 50. cum plur. seqq. & agitur etiam in dicto *Miscellan. Eccles. disc. 2. & seqq.*

16 Et de aliis ad istam Congregationem pertinentibus videri poterit in enunciato *Ecclesiast. Miscellan.* ac etiam in materia jurisdictionali, & in illa regalium, occasione agendi de gabellis & vestigialibus, præsertim pro immunitate reali, & c. in locis supra relatis.

DISC. XVIII.

De Sacra Congregatione Rituum.

S V M M A R I V M

- 1 DE istius Congregationis erectione, ejusque duplici specie.
- 2 De personis, ex quibus ea constituitur.
- 3 Quæ negotia in ea peragantur, distinguitur inter contentiosa & non contentiosa.
- 4 Quanam sint contentiosa.
- 5 De receptione alicujus Sancti in Protectorem.
- 6 De questionibus contentiosis, quæ super ista protectione cadere solent.
- 7 De questionibus contentiosis præminentiarum inter Ecclesiasticos.
- 8 De aliis questionibus similibus cum sæcularibus.
- 9 De stylo procedendi in forma extrajudiciali, omniaque faciendi gratis.
- 10 Quod quandoque formatur processus, & adhibet quandam formam judicialem.
- 11 In his materiis præminentiarum deservitur consuetudini, & quando.
- 12 An ceremoniale impediatur consuetudinem.
- 13 Quod soleant etiam ista causa committi in Rota, vel de ejus voto.
- 14 De alia specie Congregationis super Canonizatione Sanctorum, & quanam interveniant.
- 15 Adhibentur etiam Medici, & alii Professores, & quare.
- 16 De Congregationibus quæ habentur coram Papa, ac etiam de Consistoriis, in hac materia.
- 17 De aliis quæ hanc materiam concernant remissivè, & quare non omnes Advocati hoc negotia pertractent.
- 18 De stylo propinarum, aliorumque emolumentorum in hac materia.
- 19 De præcedentiâ inter Sanctos.

Duplex videtur ista Congregatio, à Sixto V. cum aliis pluribus per eamdem Constitutionem quoque erecta; *Const. 74. Sixti V.* Una scilicet ordinaria, pro Ritibus Ecclesiasticis, aut pro decidendis controversiis præcedentiarum, aliarumque præminentiarum; Et altera extraordinaria, super canonizatione Sanctorum, seu beatificatione, & cultu aliquorum fervorum Dei; dum diversus est personarum interventus, seu participatio, in una, quam in altera, in ordine ad Prælatos, aliasque personas, extra illas Cardinalium, qui pariformiter in utraque interveniunt eo ipso, quod ex oraculo Papæ, huic Congregationi Rituum in genere adscribuntur; Quare de eis distinctè, ut decet, agendo.

Quatenus pertinet ad primam speciem Congregationis ordinariæ; Ea ex solis Cardinalibus constituta non est, quoniam ultra ipsorum competentem numerum, qui (prout in omnibus aliis Congregationibus) non est determinatus, sed major vel minor, pro Papæ libito, interveniunt plures Prælati, quorum unus est Secretarius, ac etiam aliqui Religiosi Theologiæ Professores & præ cæteris Magister S. Palatii, & Sacrista Papæ, qui ambo sunt regulares, unus Ordinis Prædicatorum, & alter Eremitarum S. Augustini; Ac etiam unus vel plures magistri ceremoniarum Papæ.

In ista Congregatione, duo negotiorum genera peraguntur; Unum scilicet contentiosorum inter Partes; Et alterum gratioforum, seu pacificorum ex officio, vel ad supplicationem, in iis, quæ sacros ritus, & ceremonias, vel divinum cultum concernunt.

De hoc secundo genere sunt ea, quæ (ut supra,) respiciunt cultum divinum, ac ritus, & ceremonias ecclesiasticas, sine contradicte vel tertii præjudicio; Puta super concessione facultatis celebrandi officium, vel missam sub simplici, vel semiduplici, aut duplici ritu alicujus Sancti, vel Beati, Aut celebrandi octavam, aliave similia faciendi, sive declarandi aliquod dubium ceremonialis, vel quibus diebus alicujus majoris solemnitatis, celebrari possit missa votiva alicujus Sancti in propria Ecclesia, vel ubi adfit aliqua reliquia insignis, cum similibus; Nec non concedendi licentiam assumendi aliquem Sanctum in protectorem, cum facultatibus vel consequentiis, quæ exinde resultant, quando ista qualitas tutelaris canonizata sit ab hac Congregatione, & sine cujus licentia hodie id fieri non potest ex Apostolicis decretis.

Super hoc autem in specie, nostrâ ætate, in plerisque Italiæ, ac Hispaniarum Civitatibus, iste punctus practicatus fuit in forma contentiosa, an scilicet, potius unus, quam alter Sanctus recipi deberet in protectorem; Sive an recipi posset ille, cui permissum sit, præstari cultum tanquam Beato, sed adhuc non esset solemniter canonizatus; Et quamvis in plerisque aliis Civitatibus, & locis praxis hujusmodi quæstiones docuerit in forma contentiosa, præsertim verò in Civitate Pampilonensi; Attamen, frequentius, quam alibi id sequitur in Civitate Neapolitana, ubi, ob nimiam illius populi devotionem & ob religiosorum magnas æmulationes spirituales, hujusmodi quæstiones frequenter audiri consueverunt, tam circa inclusionem unius, in exclusionem alterius, inter Ordines, vel Religiones, ex quibus illi servi Dei fuerint, quam etiam circa multiplicatam, adeò ut Ordinarius, de cujus consensu hujusmodi protectiones, & non alias concedi solent, excusari soleat, quod non adesset amplius locus in insigni cappella Civitatis, in quo statuta reponi valeant. *de ista cappella sub tit. de præminent. disc. 12. & tit. de Regular. disc. 20.*

Quinimò, etiam quoad eos, qui jam recepti sint in Protectores, frequentes (& quidem scandalosæ) controversiæ audiri consueverunt, inter religiosos diversarum Religionum, super præcedentia statuarum, vel imaginum; Sive inter illos ejusdem Religionis originariæ, quæ in plures filiales, vel reformationes divisa sit, super habitu statuta, vel imaginis illius Sancti, ut præsertim contigit de Sancto Antonio Patavino, an habere deberet capuccium pyramidatum quo utuntur Capuccini; vel rotundum, seu quadratum, quo utuntur Conventuales, vel Observantes; Sive ad quos in publicis processibus pertineat, illam statuam associare, & præsertim inter calceatos, & discalceatos Carmelitas, circa statuam S. Theresiæ, moderna praxis docuit, *de hoc sub tit. de Regular. disc. ibidem.* cum similibus æmulationibus, seu levitatibus; Ideoque etiam pro zelo majestatis ac existimationis Civitatis, & populi, & pro servitio cultus, ac devotionis, prudens, atque commendabile videretur confi-

lium, ut forsitan per sæculum in his omnimodum silentium, ibi imponeretur.

Alterius generis contentiosi negotia sunt, quæstiones præcedentiarum, aliarumque præminentiarum; in processibus, aliisque publicis functionibus, inter sæculares, & regulares; Vel respectivè inter utriusque Cleri diversa Capitula, vel monasteria, seu conventus; Aut inter ejusdem Capituli dignitates, vel Canonicos, aliove clericos, & præsertim inter dignitates in Cathedrali, & Metropolitana, super jure faciendi primarias, & pontificales functiones cum similibus.

Aut etiam super jure funerandi vel celebrandi officium super cadavere in funere; Aut super jure prohibendi celebrationem ejusdem solemnitatis; Vel prohibendi jam celebrari solitam; Vel super jure prohibendi novas erectiones congregationum, & confraternitarum, Nec non super modo affictendi Episcopo, vel alteri Prælato, eique occurrendi, vel associandi respectivè Aut super usu pontificalium, quem habent nonnulli Prælati inferiores, præsertim regulares, & cum qua moderatione uti debeant, cum similibus controversiis inter ecclesiasticos. *de his sub tit. de præminent. serè per tot. & in Miscellan. eccles. ac etiam tit. de Regular. disc. 19.*

Vel ubi agatur de controversiis præminentialibus inter ecclesiasticos & sæculares, vel respectivè inter ipsosmet sæculares super præminentiiis & honorificis tractatibus, qui Principibus, vel Baronibus, aut Gubernatoribus, aliisque publicis Magistratibus, aut Patronis, vel aliis qualificatis viris sæcularibus debeantur, vel respectivè congruant, throni scilicet elati seu baldacchini, vel sedis, aut scamni *tit. de præminent. disc. 26. & 27. & tit. de jure patron. disc. 52. & alibi.* Et in summa de omnibus quæ concernunt ea, quæ Ecclesiarum cultum & ecclesiasticum ritum percutiunt.

In omnibus tamen utriusque generis negotiis, idem adhibetur stylus, qui in aliis Congregationibus, est insinuat, procedendi scilicet per viam summaria ac extrajudicialis cognitionis, prævis ejusdem extrajudicialibus informatiombus, ab Ordinario loci, vel a superiori regulari respectivè; Omnesque expeditiones, & provisiones concedendi gratis omnino.

Bene verum, quod ista Congregatio, magis quam alia, aliquam Tribunalis contentiosi imaginem habere videtur, formando scilicet processum, cum examine testium in Curia, per Notarium, quo uti solet in causis, vel actis beatificationis, & canonizationis Sanctorum; Ac etiam concedendo remissoriam in partibus; Et super qua, ad instar ejus, quod quotidiana Rotæ praxis docet, formales disputationes haberi solent per tramites juris, & cum eisdem regulis, de quibus *sub tit. de judici. in materia remissoriae, & in altera compulsoriae seu extractionis scripturarum tit. de judic. 28. & 31.* Id autem ex ea ratione provenit, quod cum in hac materia præminentiarum, consuetudini nimium deferendum sit, præsertim verò ubi ea sit immemorabilis, qua accedente, in jure admittitur, ut minus dignus præcedat magis dignum, majoresque habeat præminentias; Pro casibus tamen particularibus, non autem pro regula universalis, cum tunc corruptela potius talis consuetudo dici mereatur; Hinc proinde hujusmodi

di assertæ consuetudinis probationes, etiam in ipsa sacra Congregatione facere oporteat. *ead. tit. de præminent. à disc. 18. ad 22. & in Miscellan. Ecclesiast.*

Prout etiam super huiusmodi consuetudinibus disputari solent quæstiones juris, quando ¹² scilicet aduersentur ceremoniali Romano, ratione clausularum contentarum in Constitutione Clementis VIII. ejusdem ceremonialis confirmatoria, quarum clausularum virtus, & operatio est, inficere quamcunque contrariam possessionem, vel observantiam, unde de consequenti tollitur vel impeditur consuetudo, inter cuius requisita illud possessio est præcipuum, ac substantiale; Adhuc tamen huiusmodi clausularum obstaculum, evitari solet; Vel ratione non compræhensionis; Vel quia consuetudo sit potius interpretativa casus dubii; Aut quod jam introducta esset de tempore additionis ceremonialis. *ead. tit. de præminent. & Miscellan. Ecclesiast. pluries.*

Dantur tamen frequentes casus, quod in huiusmodi causis contentiosis, in quibus formales probationes facere oporteat, Pontifex demandet, ut cognoscatur de voto Rotæ in forma iudiciaria; Sive quod eas avocet à Congregatione, atque committat in Rota, decidendas prout de jure; Id autem certam non habet regulam vel praxim, cum sit materia arbitraria, pro facti qualitate, & circumstantiis regulari solita; Et quandoque Papa hoc arbitrium regulare solet cum voto Prælatorum Signaturæ Gratiæ ad quam una Partium, quæ de iudicio Congregationis conqueratur, recurrere solet, ut etiam quandoque praxis docet, in negotiis aliarum Congregationum Episcoporum, & Regularium, vel Concilii, sive Immunitatis. *pluries dicto tit. de præminent. & dicto Miscellan. Ecclesiast. & alibi.*

Quo verò ad aliam speciem Congregationis, quæ tractat solum negotia canonizationis, vel beatificationis fervorum Dei; Illa constituitur, ex eisdem Cardinalibus, & Secretario, aliisque Prælatibus, & Officialibus vel Theologis de quibus supra; Verùm aliorum quoque Prælatorum, & Religiosorum, ac Officialium super additionem recipit, Promotoris scilicet Fidei, cuius officium, non ex necessitate, sed ex frequentiori usu, annexum esse solet officio Advocati fiscalis; Nec non interveniunt tres antiquiores, Rotæ Auditores, tanquam supponendi periti Canonistæ, qui partes Assessorum ita gerere videntur; Ac etiam unus ex Prothonotariis partiepantibus, cui illa causa injuncta, seu distributa sit, siquidem isti Prothonotarii, circa initia primitivæ ecclesiæ, sub Clemente I. deputati fuerunt pro hoc munere scribendi acta Martyrum; Ac etiam adhibentur alii Theologi, qui Consultores, vel respectivè Qualificatores dicuntur, ut res tantæ importantiæ, tam super compilatione processuum, quam super discussione probationum, & aliis, quæ contingunt, cum nimia maturitate, atque cum consilio quamplurimum peritissimorum virorum, in omnibus licentiis, & facultatibus, examinentur.

¹⁵ Hinc proinde adhiberi quoque solent, pro consilio, probatissimi, ac periti medici, & philosophi, alique professores, ad effectum discutendi, an illæ operationes, quæ miraculis referuntur, dici mereantur supernaturales, vel

Card. de Luca. Relatio Curia Romana.

provanire possint à potentia naturali, quamvis difficili, & rata.

Postquam verò probationes, respectu sicuti-¹⁶ ficationis, vel respectivè canonizationis, bene, ac maturè discussæ sunt, adeò ut negotium in pluribus Congregationibus bene præparatum sit, tunc super eo, magis solemnis Congregatio habetur coram ipso Papa, qui audito voto Congregationis, decretum interponit super beatificatione, vel super concessione cultus, ac similibus functionibus, præter canonizationem, sive adscriptionem cathalogo Sanctorum, utpotè obligatoriam de fide; Ideoque postquam negotium examinatum est, etiam in ista magis solemni congregatione coram Papa, examinatur etiam in pleno Consistorio secreto, deindeque aliud habetur Consistorium magis solemne & publicum, in quo interveniunt omnes Archiepiscopi, & Episcopi, qui in Curia præsentibus reperiantur, qui omnes votum proferunt, per quamdam imaginem Concilii.

Quales verò sint formulæ, quæ in huiusmodi processibus adhibeantur, & quid præcedere debeat, priusquam huiusmodi probationes admittantur, meum non est peragere, cum ex quodam ¹⁷ antiquo Curia stylo, ita exigente quoque natura seu qualitate huiusmodi negotiorum, quæ viros minus occupatos, eique penè in totum addictos exigere videtur, classici, & occupati Advocati non de facili in eis se ingerere soleant, Ideoque dedecet, ut non bene versatus, in his se ingerat, potissime quia liberculi particulares super decretis Apostolicis, vel Sacra Congregationis, aliisque formulis habentur, ubi facile est videre.

In ista verò negotiorum specie, quidam habetur antiquus stylus singularis, qui in aliis Congregationibus non viget, quod scilicet Cardinalibus Congregationis, aliisque Officialibus, ac operariis ratione magni laboris, qui desuper adhibendus est, in studio, ac revolutione valde voluminosorum processuum super probationibus, solvuntur propinæ, seu sportulæ, aliæque emolumenta; Ideoque apud probos, ac zelantes viros, problematica est quæstio, an iste usus, quamvis antiquus, atque de stricta juris censura licitus, aboleri debeat, nec nè? Multis que placet opinio affirmativa, ad tollendas occasiones obloquutionum vulgi ignari, vel maligni, ac æmulorum Romanæ Curia, dum ex dicto Apostoli, *Sapientibus & insipientibus debitores sumus*; De hoc autem meum non est agere, ideoque totum reservatur iudicio eorum, ad quos pertinet.

In nuperrima verò quinque Sanctorum Canonizatione, per Clementem decimum facta, ¹⁹ etiam inter ipsos Sanctos, pro nostra capacitate, vel consolatione, præcedentiæ quæstio in ista Congregatione disputata fuit, de qua in *Ecclesiastico Miscellano* agitur.

Discurs. 40.

* * *

* *

DISC. XIX.

De Sacra Congregatione Indicis libro-
rum.

S V M M A R I V M

- 1 **Q**uod non sit vera propositio, quod moderno tem-
pore libido scribendi creverit.
- 2 Sed quare id certificetur de facto.
- 3 Græcia prius literata, & Italia barbara.
- 4 In quibus Italia partibus litera initium habuerint.
- 5 Roma habuit leges à Græcia.
- 6 Deinde Græciam opibus bonis, ac literis spoliavit.
- 7 De regressu literarum, & artium in Græciam, cum
privatione Italiae, aliarumque adjacentium regio-
num.
- 8 Et de alto regressu in Italiam, aliasque regiones, cum
privatione Græciae.
- 9 Quod semper mundus fuerit, ac futurus sit idem.
- 10 Antiquus est Sedis Apostolicæ usus prohibendi libros.
- 11 Qualis exat usus antiquus in hac materia.
- 12 De cura, & officio Magistri Sacri Palatii in Vrbe
circa libros.
- 13 Quando super hac materia Tribunal erectum sit.
- 14 Quales libri prohiberi soleant, ac debeant, etiam
illi circa mores, & alia extra fidem, & de ratione.
- 15 Quod parce, & circumspectè in hoc procedi debeat,
& quare.
- 16 De erectione Congregationis Indicis.
- 17 Remanet tamen eadem potestas penes Congregatio-
nem universalis Inquisitionis.
- 18 Quinam intervernant in ista Congregatione, &
quid in ea agatur.
- 19 Ordinarii locorum non concedunt licentiam legendi
libros prohibitos, & qui dent licentiam.
- 20 Omnia sunt gratis, & extrajudicialiter.
- 21 An ex bono sine liceat legere libros prohibitos sine li-
centia.
- 22 De aliis questionibus in hac materia cum Magistrat-
ibus secularibus, cur non agatur.

1 **Q**uamvis (pro meo sensu) vera non sit illa
propositio, quæ nedum per vulgarem, sed
etiam per plurium senatorum ora volitat,
ac circumfertur, quod scilicet scribendi libido, ac
successive librorum copia, nostris temporibus
nimium, ac in excessu creverit, cum omni tem-
pore, ex dicto Sapientis, eadem fuit humana
conditio, iidemque mores. *Salomon, lib. Ecclesiast.
cap. i.* Atque de hoc in specie Cicero, aliqui an-
tiqui Scriptores, etiam conqueruntur; Et in no-
stra legali facultate comprobatur adeo veneran-
dum, ac necessarium Justiniani testimonium,
quod leges, quæ ex ejus compilatione, detractis
glossis, vix unum conficiunt volumen, tunc ul-
tra duo millia volumina constituebant. *l. 1. & 2.
c. de veter. jur. enuclean.*

2 Attamen, regulando rerum cursum, tanquam
per speciem novi Orbis, ab illis quinque, vel sex
sæculis, à quibus, excusso barbarorum servitutis
jugo, Italia, & Hisp. aliæque nostræ Europæ com-
municabiles partes, antiquas literas, & artes re-
stituerent cæperunt, dicta propositio verificatur;
Non quod humana conditio diversa fuerit, cum
semper eadem existit, ac futura sit; Sed quia

literarum cultura, quæ per plura sæcula deserta
fuerat, atque in oblivionem penè abierat, paula-
tim reassumpta, quò magis crevit, eò majores
produxit fructus, atque indies producet; Juxta
naturale exemplum terræ, quæ antiquioribus
temporibus nimium felix & fecunda, si diu abs-
que cultura deserta remaneat, atque ita spinis ac
vepribus repletur, non nisi paulatim longo
temporis decursu, antiquæ amœnitati, ac fertili-
tati restituitur; Sed postquam restituta est, ma-
jores producit fructus, quàm prius faceret; Non
quòd terra non sit eadem, sive quòd priorem na-
turam immutaverit, sed quia pro qualitate cul-
turæ majores vel minores fructus producit.

Idque in hac ingenii materia, tam in literis,
quàm in artibus, neglectis antiquioribus exem-
plis Chaldæorum, Arabum, Ægyptiorum, ac Ju-
dæorum, ac aliarum nationum; Atque more Leg-
istarum, aliorumque humanarum literarum
Professorum, id exemplificando inter literas
græcas, & latinæ; Sive inter Græciam & Italiam;
Ex Historicorum, aliorumque Scriptorum
communi ac certo testimonio, Græcia literarum
& artium florida mater, & cultrix erat, omnium-
que nationum magistra; Italia verò barbara ac
omniò inculcæ; deò ut primævis temporibus,
ante Urbis Romæ adeò fortunatam, ac fatalem
ædificationem, aliqua literarum initia, in A puliæ
& Calabriae extremitatibus, tanquam in regio-
nibus, quæ Græciæ magis adjacent; In Syontina
scilicet, Tarentina, & Crotonensi Civitatibus, ab
Archytis, & Pythagoris, ac aliis habuerit.

Ipsaque Roma, post tertium suæ fundationis
sæculum, Regum dominatione expulsa, atque in
statu jam crescentis Republicæ constituta,
quamvis adhuc non adulta, ab ipsa Græciæ leges
recipere coacta fuit.

Eadem verò Republica adulta, atque robusta
effecta, Romanorum ac Itolorum potentia, ip-
sam Græciam prius opibus & artibus, aliisque
pretiosis & conspicuis rebus desertavit, eisque
Italiam ditavit; Deindeque literas quoque ad se
traduxit, juxta Rhodianæ Academiæ declama-
tionem, quæ auditu Cicerone in græcis literis
perorante, facta est; Ideoque Italia effecta fuit
literarum, ac artium fecunda mater, aliorumque
Nationum magistra; Græcia verò penè inculcæ,
ac barbara evasit.

Verùm (ita rerum vicissitudine exigente)
translata per Constantinum Imperali Sede ad
Bizantinam Civitatem (quæ ita mutato nomi-
ne, Constantinopolitana dicta est,) ad illam
Græciæ partem, Romanarum literarum, & ar-
tium denuò translatio seu restitutio sequuta est;
Ipsaque Roma & Italia, aliæque occidentales
provinciæ, ob tot Barbarorum incursiones, qui
literarum, ac bonarum artium acerrimam, & ca-
pitalem profitebantur inimicitiam, omnino
barbaræ & inculcæ per plura sæcula reman-
erunt.

Postea verò, per quamdam alternativam, ea-
dem Græcia per Barbaros, ac literarum infen-
sos Turcas, occupata; Ipsa Italia, aliæque adja-
centes provinciæ, priori literarum, bonarumque
artium culturæ, paulatim restituta fuerunt, at-
que indies magis restituntur, donec (quod
Deus semper avertat,) ejusdem alternativæ, seu
vicissitudinis casus fiat; Unde propterea (ut
quidam Sapiens benè dicere solebat,) Orbis ter-
rarum semper fuit, ac futurus est idem, ab ea
creatio-

creatione, quam sacrae literae veteris Testamenti nos docent, usque ad illam destructionem, quam ex aliis sacris literis novi Testamenti, ex Christianae Religionis professione constanter credimus, eademque humana conditio; Mores autem, de una in aliam partem, vel nationem, pro ejusdem Orbis connaturali vicissitudine, transeunt; juxta illud naturale exemplum, quod tradi solet de terrae motu, qui per partes probat, ut terra moveatur, & concutiatur, & tamen illa in univervum semper in eadem firmitate permanet.

Verificata igitur in hoc nostro mundo communicabili praefata communi opinione, seu traditione, quod scilicet modernis temporibus scribendi libido, atque librorum copia creverit, ob majorem praesertim facilitatem, quae post artis imprimendi novam inventionem, vel restitutionem sequuta est; Cum in illis primis hujus restitutionis temporibus, modicus esset Scriptorum numerus, atque major esset Episcoporum, aliorumque Praelatorum zelus & vigilantia; Hinc proinde quamvis ex antiquorum Sanctorum Patrum testimonio, praesertim Divi Hieronymi, antiquissimus esset Ecclesiae Catholicae, Sedisque Apostolicae usus, super prohibitione usus, ac lecturae illorum librorum, qui sanam doctrinam non continerent, dum omni tempore Catholica Fides, ejusque metropolitana Romana Ecclesia, haeresum turbationes passa est, illam praesertim omnium majorem, quam vix aucta, ab Arrianorum sequacibus, ac fautoribus sensit; Attamen cum Episcopi, alique locales Praelati recte suum munus in hoc explerent, nulla subesse videbatur necessitas, Tribunal peculiare desuper erigendi, dum ipsemet Pontifex, per literas, ab Episcopo consultus, sive eosdem desuper monendo, ita recte providebat; Atque pro ejus particulari Episcopatu Urbis, ac districtus, per sui Palatii Theologum, seu Magistrum, hoc munus particulare sufficienter explebat.

Supra disc. 8.

Episcoporum vero, aliorumque Praelatorum charitate frigente, praesertim autem ex abusu negligendi residentiam, atque obtinendi plures Cathedralis, & Metropolitanas Ecclesias in commendam, ad solam utilitatem, ad instar simplicem beneficiorum; exortaque Lutherana haeresi, & a qua iniqua matre, adeo iniquiores filiae prodierunt; erectaque superius insinuat Congregatione Inquisitionis universalis, ista invigilare cepit, super prohibitione, ac extirpatione librorum, qui sanam doctrinam non continerent, atque catholicae fidei dogmatibus, aut bonis moribus, naturalibus, vel ecclesiasticae potestati, aut christianae pietati adversarentur, seu praedjudiciales esse possent.

Quamvis etenim ignarum vel iniquum vulgus hanc prohibitionem ad solos libros, qui fidei dogmata contineant, restringere satagat, quasi quod ea, quae mores, vel pietatem, sive ecclesiasticam potestatem, seu libertatem concernunt, ad fidem non pertineant; Prorsus tamen erronea est haec opinio, quae ignorantiae vel malitiae filia dici meretur, quoniam ista sunt haeresum vel schysmatum semina, vel radices, aut preparationes; Ideoque prudentis medici partes sunt, praeservativae magis, ne moribus nascatur, vel crescat, incumbere, atque ita futuro malo occurrere, quam expectare morbi jam excreti; ac do-

minantis curationem, quae non semper, vel non adeo de facili sequi potest.

Id autem, apud omnes, commendabile reputatur, ut quod magis fieri potest, parce, ac circumspecte in hac prohibitione procedatur, ne facilitas, vel frequentia, vilipendiam causet, aliaque producat inconvenientia eo modo quo in ecclesiasticis Censuris, canones, atque Concilia docent, ac monent. *in annot. ad Concil. Trid. pluries.*

Cum autem, malo crescente, dictaque Congregatione in gravioribus actualibus negotiis Fidei magis occupata, ista materia revisionis, ac prohibitionis librorum, forsitan non adeo diligenter, & accurate ageretur; Hinc Sixtus V. in saepius enunciata multarum Congregationum erectione, istam quoque Indicis librorum, tanquam dictae alterius Congregationis S. Officii in hac parte, vicariam, seu adjutricem erexit *Const. 74. Sixti V.* Eadem primae va potestate, penes ipsam matrem adhuc remanente, dum ex eadem Dominicana Religione deputatus fuit Secretarius, qui in omnibus Cardinalitibus Congregationibus magnus est minister & operarius.

Constituitur, autem ista Congregatio, ex competenti Cardinalium numero vario, pro Papae placito, habens ut supra, Secretarium Religiosorum Ordinis Praedicatorum; Ac etiam in primarium, & fixum consultorem habet praefatum Apostolici Palatii Magistrum, cujus antiquitus in Curia singularis ista cura erat; Et ulterius magnum quoque habet numerum, Theologiae, aliarumque literarum professorum, qui frequentius, omnes vel pro majori parte, sunt religiosi diversarum religionum, sub nomine seu vocabulo Consultorum, quorum partes sunt, diligenter revidendi, ac examinandi libros, quorum suspicio habeatur juxta distributionem, quae per Secretarium eis fieri solet, ad effectum referendi, & examinandi in plena Congregatione, quae statutam diem non habet, sed pro negotiorum numero, vel urgentia, in aliquibus anni temporibus haberi solet, ita in ea determinando an liber debeat nec ne, prohiberi; Interdicta locorum Ordinariis, aliisque Praelatis facultate concedendi licentiam legendi libros, qui ab ipsa Congregatione, vel ab altera Inquisitionis prohibiti fuerint, ideoque ad eas privative ista facultas restricta est; Ac etiam ad dictum Magistrum S. Palatii, cum aliquorum librorum exceptionatione, quam ipsemet Congregationes patiuntur, dum aliquorum librorum respectu, ipsi Papae, singulariter, ac privative ista potestas reservata est; Praefato Apostolici Palatii Magistro, ejus primae va continuante auctoritate conjunctim cum Vicario seu ejus Vicegerente, revidendi per seipsum vel per alios a se deputatos, libros qui in Urbe, & districtu imprimendi sint, atque imprimendi facultatem, nec non jam impressorum publicatioem concedendi, ut superius in aliquorum Palatii Apostolici officialium rubrica advertitur. *dicto disc. 8.*

Idemque hujus Congregationis est commendabilis stylus, omnia gratis peragendi, rigorose prohibita Consultoribus ac Revisoribus cuiuscumque mercedis recognitione, etiam sub praetextu magni laboris, vel expensarum, quas facere oporteret, pro eadem revisione; Omnes etenim Sacrarum Congregationum operarii, praesertim istius, ac alterius supraenunciatae Sancti

Officii, necnon Rituum, merè gratuiti sunt, laborum mercedem à Sede Apostolica, cum Episcopopatibus, vel Religionis muneribus, pro eorum qualitate, ac temporum oportunitate, recipientes, omniaque explicantur in eadem forma extrajudiciali & summaria, nulla judicialis telæ mixtura accedente, eodem modo quo de aliis Congregationibus est dictum.

Super ista verò librorum prohibitorum lectura scribentes, potissimè verò morales, varias quaestiones disputare solent, & praesertim an, & quando, etiam absque superiorum licentia, ea licita sit spectato fine, vel causa, quia nempe ad bonum finem, atque pro ejusdem Catholicæ fidei, vel sedis Apostolicæ, aut ecclesiasticæ potestatis servitio, vel defensione fiat; Meum verò non est, juxta ea quæ in omni materia, omnibusque laboribus utriusque idiomatis protestata sunt, agere de iis, quæ concernunt forum internum, cujus Judex est Deus, qui videt in corde sed solum de iis, quæ in foro externo judicant homines, qui vident in facie, non autem in corde. Atque in hoc foro, receptum est, illicitum esse sibi ipsi jus dicere, atque sub hoc prætextu superiorum præcepta spernere, cum aliis nimium lata via fraudibus, ac legum, & prohibitionum, elusioni locus fieret; Excusatione à pœnis admittisoluta, ubi locorum, quæ prohibitioni causam dederunt, cancellatio accedat. *de his ait Vermigliol. conf. 186.*

Prout, eisdem prohibentibus regulis prudentialibus, quæ multa & praesertim in jurisdictionali materia, examinare, ac decidere, prohibent, studiosè negliguntur illæ quaestiones, quæ circa participationem, vel dependentiam laicalis potestatis, super hac prohibitione librorum disputari solent. De aliquibus discurret Scriptor modernus in responsione in materia inquisitionis.

DISC. XX.

De Sacra Congregatione Fabricæ, ejusque Tribunali.

SUMMARIUM.

- 1 De erectione Tribunalis Fabricæ, & deputatio-
ne Judicis.
- 2 Duae sententiæ conformes habent vim trium.
- 3 De antiquis facultatibus, praesertim circa invalidas
alienationes bonorum Ecclesie.
- 4 De hodierno statu hujus Congregationis.
- 5 De duplici Congregatione generali, vel particulari.
- 6 Ad quid hodie restrictæ sint fabricæ facultates.
- 7 Quod hæc erectio dicenda sit potius commendabilis, &
de ratione.
- 8 Episcopi sunt legales exequutores piarum dispositio-
num.
- 9 Expedit adesse plures exequutores & visitatores.
- 10 De facultatibus Fabricæ circa munus exequutoris
piarum dispositionum.
- 11 De applicatione incertorum.
- 12 De casu insufficientiæ bonorum ad operis implemen-
tum.
- 13 De casu incapacitatis legatarii.
- 14 Testamenta, & ultima voluntates proveniunt à ju-
re positivo, ideoque Princeps potest derogare, vel di-
spensare.

15 Quod Episcopus etiam de jure possit applicare aliis
piis operibus dispositiones in opus destinatum non ap-
plicabiles.

16 De ratione conclusionis.

17 De differentia inter derogationes, vel dispensatio-
nes Principum secularium vel Papæ.

18 In quo consistat exorbitantia, quæ praticari solet.

19 De absurdis, & inconvenientibus in observantia lo-
gum.

20 De aliquibus exemplis exorbitantiarum, & quomo-
do incertæ dispositiones intelligenda sunt, vel in casu
insufficiencia.

21 Quod etiam apud Gentiles commendabile esset su-
premas piæ dispositiones impleri.

22 Quomodo intelligi debeant dispositiones favore in-
capacium.

23 De exorbitantiis Commissariorum, & inferiorum
ministeriorum.

24 De negotiis, quæ in hac duplici Congregatione tra-
dentur.

25 De ordine, cum quo cognoscuntur causæ contentio-
se.

26 Legata regulariter sunt executiva.

27 Quod aliquando istæ causæ sint Rotales, & quomo-
do.

28 Fabrica habet privativam, ubi ad sit mixtura ejus
interesse.

29 Quando causæ disputentur in Congregatione gene-
rali.

30 Non tenet præceptum testatoris, quod fabrica non
possit se introumittere.

31 Quando etiam favore Religiosorum incapacium di-
spositiones sustineantur.

32 De decreto Alexandri VII. circa dispositiones incer-
tas favore pauperum.

33 De dispositionibus fiduciariis occultis, & ad aures
Confessariorum, vel alterius.

34 Ut intrent facultates ratione insufficientia, requiri-
tur moritio.

35 De compositionibus super occultis dispositionibus, id
est Fabricæ ignotis.

36 De hoc tribunali Fabricæ in Regno Neapolitano, &
quomodo regatur.

AD Principis Apostolorum Vaticanam Ba-
silicam, penè collabentem, restaurandam;
sive ad eam redigendam, in eam ad eò ma-
gnificam, & sumptuosam structuram, quam ho-
die cernimus, Julius secundus quamplura conce-
ssit de Ecclesiæ thesauro dona spiritualia iis,
qui pro dictæ Basilicæ fabricæ elemosynas, ac
oblationes facerent, & emitterent; Aliquos
Commissarios citrà, & ultra montes deputan-
do; Jul. II. Constit. 15. Atque Leo X. amplas con-
cessit facultates ejusdem fabricæ Administrato-
rum Collegio, exequendi pia legata, piæve di-
spositiones, atque ex eis aliquam partem ipsi
fabricæ applicandi (quod aliquam incovenientiam
Catholicæ Ecclesiæ præjudicium produ-
xisse, aliqui dicunt; Verum Clemens VII.
quamplures ex hujusmodi concessionibus mo-
derando, pro meliori ejusdem fabricæ cura &
administratione numerosum Collegium sexa-
ginta qualificatorum virosum deputavit, cum
pluribus facultatibus, illa praesertim deputandi
unum Judicem, ut fabricæ debitores cogere, at-
que causas ad eam pertinentes summarie deci-
dere valeat; Constit. 3. Clem. VII. Atque duas sen-
tentias ad favorem fabricæ emanatas, vim trium
habere postmodum indulsit Pius V. Constit. 95.
pi V.

p̄ii 7. Qui etiam duas alias fabricæ, ejusque Collegii prædicti favore Constitutiones edidit super piarum dispositionum executione, & aliqujus partis respectivè applicatione; *Const. 96. & 97.* Nec non per aliam Constitutionem, facultatem concessit, revidendi, ac rescindendi quascumque bonorum ecclesiasticorum alienationes malè factas, earumque retractatione sequuta, fructus decurios, & aliquam portionem fortis; fabricæ applicandi, cum ampla facultate hujusmodi causas cognoscendi, ac etiam desuper transfigendi vel componendi; *Const. 98.* Atque Sixtus V. occasione concedendi quamdam jurisdictionem, aliasque facultates dictæ Basilicæ Cardinalis Archiepiscopo, huic superioritatem in dictæ fabricæ Collegium concessit, cum potestate reformandi Officiales, & ministros, ac etiam cognoscendi causas, vel Judicem deputandi. *Const. 102. Sixti V.*

Sub Clemente verò VIII. novus ac diversus impressus est rei status, quoniam ad instar illius erectionis plurimum Cardinalitiarum Congregationum, quam idem Sixtus prædecessor fecerat, istam fabricæ, ex Cardinalium competenti numero, pro Papæ placito, Congregationem erexit, pluribus etiam, juxta hodiernam praxim, ad junctis Prælati; nempe, Auditore Cameræ, Thesaurario Generali; Uno ex Rotæ Auditoribus; Et uno ex Clericis Cameræ; ac aliquibus aliis Prælati, pro ejusdem Papæ arbitrio; Ultra ordinarios Officiales, qui Prælati vel respectivè togati esse solent, ut nempe sunt, Judex ordinarius, Oeconomus generalis, Secretarius Congregationis, & Advocatus; Istaque Congregatio certam non habet diem, sed pro negotiorum qualitate, ac urgentia haberi solet.

Hinc loquendo pro hodierna praxi, duæ dici solent in Curia Fabricæ Congregationes; Una scilicet major, & Cardinalitas cum Prælatorum mixtura, ut supra, cui Congregationis generalis nomen tribuitur, ad differentiam alterius minoris vel particularis, quæ frequentius haberi solita est, constituta ex dictis Officialibus, & ex antiquiore dictæ Congregationis majoris Cardinali, qui videtur ejus caput, seu Præfectus.

Reformata verò dicta facultate per Pium V. concessa circa revisiones, ac rescissiones alienationum bonorum ecclesiasticorum, omnique abolita applicatione emolumentorum, quæ ex indulgentiis, aliisque spiritualibus donis, juxta concessionem Julii II. & Leonis X. percipiebantur; Ad piorum legatorum, aliarumque piarum dispositionum executionem, ac respectivè applicationem, Fabricæ facultates restrictæ videntur.

Quidquid autem sit de hujus Tribunalis, vel introductionis commendatione, sive illa censura, quam inferiorum ministrorum, & Commissariorum asperitates, vel facultatum quandoque indiscretus usus producere videntur; Id abstractè considerando, commendabile potius opus videtur, ut scilicet ita ingrati hæredes, suorum auctorum, ac benefactorum obliti, eorum pia vota exequantur, ac impleant.

Quemadmodum etenim, ex juris communis dispositione, hoc munus demandatum est Episcopis, qui piarum dispositionum legales dicuntur exequutores, & curatores; *tit. de testam. disc. 24.* Ita nil prohibet, ut eorum facultate firma manente, hic alter, fortè majoris auctoritatis, & vi-

gilantiæ, detur exequutor, dum quò majores adsunt vigiles, & exequutores, eò magis pia vota & opera adimplentur, ut ita quod unus negligit, vel non videt, alter videat ac suppleat; Ad instar eorum, quæ circa visitationem Monasteriorum Monialium, vel circa animarum curam, & Sacramentorum administrationem, circa superiorum, ac visitatorum multipliciter, in suis sedibus advertuntur. *tit. de jurisd. disc. 26. & tit. de Regular. & Miscellan. Ecclesiast. & alibi sæpius.*

Circa plura itaque hujus Congregationis, ejusque officialium munus vertatur; Primò nempe circa dictum munus exequutoris, & curatoris dispositionum, quæ ad pias causas factæ sint, ut suum fortiantur effectum, fructus decurios sibi applicando, ut istud fabricæ opus, loco illorum operum vel suffragiorum, quæ fieri debebant, ex ecclesiastici thesauri plena potestate Apostolica, succedat.

Secundò, ut exigat, sibi que applicet pias dispositiones incertas, sive ad incerta pia opera factas.

Tertiò, ut pariter exigat, sibi que applicet illa legata, quæ facta sint pro certo opere individuo, pro quo bona relicta non sufficiant, ne aliàs cum indebito hæredis lucro, apud eum bona remaneant.

Et quartò, quod ubi Ecclesiæ, seu loca, aut personæ, quarum favore dispositio facta sit, ex instituto incapaces existant (ut ex. gr.) sunt Cappucini, & Minores observantes, ac etiam Jesuitæ quarti voti, eorumque Domus professæ, & similes, tunc Fabrica totam dispositionem sibi ipsi applicet, sive cum quibusdam compositionibus partem accipiat, & partim remittat. *de istis fabricæ facultatibus sub tit. de testam. disc. 23. sub tit. de fideicommiss. disc. 108. sub tit. de legat. disc. 27. & sub tit. de Regul. disc. 63. & alibi pluries.*

Quamvis autem (loquendo in abstracto, atque per trames juris,) istæ facultates non contineant illam exorbitantiam, quam communis hominum opinio credit, dum apud catholicæ fidei professores, de potestate Papæ nefas est dubitare; Tum ob usum amplum clavium à Christo Domino sibi concessum; Tum etiam quia (ut in hac materia ultimarum voluntatum pluries advertitur *sub tit. de testam. disc. 72. & sub tit. de fideicommiss. disc. 14.* illarum subsistentia, vel necessaria observantia, non provenit à jure divino, vel naturali, cui dispensari, vel derogari non valeat, sed provenit à jure merè positivo; Ad eò ut in temporalibus, vel prophanis dispositionibus Principi sæculari potestas detur, non solum illas commutandi, sed etiam derogandi, & abrogandi; Ergò multo magis, in dispositionibus piis vel ecclesiasticis id concedendum est Papæ, cujus absque dubio, longè major est potestas.

Tum clarius quoniam, si de jure, in casu incertitudinis, vel insufficientiæ, aut incapacitatis, seu alterius impedimenti, ob quod pium opus à disponente volitum, præcisè impleri non possit, etiam Episcopo, vel alteri Ordinario superiori ecclesiastico, datur ista facultas, applicandi illam dispositionem aliis operibus piis, vel ecclesiasticis usibus, pro ejus bene regulato arbitrio; Multò magis id est concedendum Papæ. *sub tit. de testam. disc. 23.*

Ex ea congrua ratione, pluries in eadem materia ultimarum voluntatum insinuata eod. *tit. de testam.*

16 *testament. disc. 58* quod scilicet substantia piarum dispositionum, consistit in genere piorum operum, sive in pietate erga Deum, pro animæ propriæ, vel suorum suffragio, & peccatorum remissione; Unius verò, vel alterius operis species, concernit potius modum, vel accidentia, quam substantiam; Ideoque magna differentia est, inter illas derogationes, vel dispensationes prophanarum dispositionum, quas concedunt Principes sæculares, & istas commutationes, vel applicationes, dum istæ non destruunt substantiam, ut illæ faciunt; Ad eò ut bene ad hæc reflectendo, apud viros literatos, ac alios, qui rem examinent, cum debito ratiocinio legali, id nullam redoleat exorbitantiam, vel asperitatem.

18 Adhuc tamen (cum paucis detur ita ratiocinari) major pars hominum forte scandalum aliquod concipit; Idque provenit potius, ex aspectu, & indiscreto usu, vel intelligentia hujusmodi facultatum, provenire videtur, quàm ex ipsis legibus, quæ illas concedunt; Ad instar eorum quæ in simili ponderantur circa bullam Baronum *lib. 1. de feudis*, quod scilicet, exorbitantia non sit in lege, quando ea practicetur discretè, atque ad limites rationis, quæ probabiliter legislatorem movere potuit, sed consistat in indiscreta, & aliquando irrationabili intelligentia vel praxi, ut in omnibus aliis legibus, & provisionibus contingit.

29 Omnes etenim leges, vel saltim pro majori frequentia, ex justo, ac rationabili motivo, seu fine, æditæ sunt; Irrationabilitas autem, vel exorbitantia, resultat à mala praxi, sive ab ejus intelligentia, vel interpretatione literali, ad forum verborum, pro damnabilissimo pragmatico abusu, ex quo omnia mundi mala proveniunt, non reflectendo ad rationem, seu finem, qui à legislatore habitus fuit, præsupponendo (ut decet) eumdem legislatorem, virum justum, & rationabilem, non autem injustum, ac bestialem.

20 Quando etenim opera pia, per disponentem volita, verè sunt omninò incerta, & impracticabilia, tunc nil refert, an uni vel alteri pio operi bona relicta applicentur, cum sufficiat ad implendum votum in genere erga Deum; Sed quando reverà sint certa, atque tanquam talia, disponens ea demandare justè crediderit; Incertitudo autem deducatur ex verborum rigorosa critica-tione; Puta (exemplificando in eo casu qui nostra ætate aliquam non modicam, nec improbabilem dedit scandali occasionem) quod demandante quodam Prælato qui erat etiam prius sacerdos, ut ejus divites, & æquè pii hæredes, menstrua scuta quinquaginta omni tempore in septem opera misericordiae erogare deberent, ista reputata fuerit dispositio incerta, ideoque fors principalis hujus annuæ perpetuæ præstationis, Fabricæ erogata sit.

Sive quod, testatore cupiente aliquid opus pium in ejus patria, pro illius subventione, vel honorificentia, quod frequentius, ex motivo naturali erga patriam potius, quàm ex illo solo pietatis sequi solet; Puta pro constructione monasterii Monialium, aut pro erectione Ecclesiæ collegiatæ, cum similibus; Quod si illud opus ex bonis relictis perfici non possit, sive quod ex alio impedimento opus non perficiatur, debeant bona ad hunc effectum relicta, applicari in fabricam Ecclesiæ in Urbe, quam nunquam testator cogitavit, vel contemplatus est; Si quidem

pietatis, humanique discursus ratio, exigit quidem, ut non caducetur dispositio, neque illa inutilis remaneat, pro hæredis locupletatione, quodque pia voluntas impleri debeat, circa erogationem bonorum, quæ disponens Deo, ejusque animæ applicavit; Id etenim etiam apud gentiles, pium & commendabile reputatum fuit, unde propterea in antiqua Romana Republica, Tribunal Epulonum erectum fuit; Verùm erogatio fieri debeat in opera approximantia, atque in eadem patria, adeò ut si non præcisè, saltem æquipollenter, impleatur finis, vel effectus à disponente consideratus.

Prout si testator idiota, hujusmodi legalium subtilitatum ignarus, relinquat (ex. gr.) aliquam annuam, vel menstruam præstationem ejus patriæ, vel alterius certi loci Capuccinis, vel Minoribus observantibus, ac similibus, qui ex elemosynis vivunt, & quas ipse vivens subministrare solitus erat, tamquam per quandam speciem continuationis per successores post ejus mortem, de eo, quod ipse faciebat in vita; Tunc, aspectum, ac exorbitans reputari solet, ut ob religiosorum incapacitatem, Fabrica debeat relicta sibi applicare, quoniam substantia voluntatis ea esse videtur, ut id praticari debeat, eo modo quo potest, & licet, ac etiam solet, ut scilicet, ita hæredes in hoc opere pietatis elemosynaliter continuent; Neganda quidem est ipsis religiosi actio in judicio experibilis; Atque ubi hæredes negligent, rectè apponuntur manus, atque applicantur Fabricæ decursæ annualitates, non autem applicanda est fors, ac destruendo radicem pii operis, ne in futurum sequatur, cum similibus exorbitantiis.

Es præsertim, de qua in rerum Regularium sede habetur, quod scilicet illa dispositio, quæ favore aliquorum Regularium, sine aliquo onere valida esset, inutilis reputata sit, atque Fabricæ applicata; ob desideratam à disponente celebrationem aliquarum missarum, & anniversariorum, cum aliis casibus, qui in diversis respectivè materiis insinuantur. *dicto disc. 63. de testam. & in aliis locis ibi insinuat.*

Hinc proinde, multi probi, ac zelantes dicunt, & bene quod leges, sunt quidem commendabiles, bonoque fine æditæ, ipsaque introductio in genere, indebitè censuras patitur, sed quod exorbitantia, & irrationabilitas quandoque consistit in usu, vel praxi.

23 Majores autem exorbitantiæ, vel scandala resultant ab illis inferioribus ministris, qui vulgò commissarii dicuntur, præsertim, ob facilem usum, vel abusum censurarum, adeò ut, ad instar eorum, quæ alibi de commissariis Nunciorum, & Collectorum Apostolicorum insinuantur in *Miscell. Ecclesiast. lib. 14. more pyratarum, vel grafatorum*, per dioceses, ac provincias cursitare profiteantur, ad proprium lucrum, & extorsiones, absque eo quod ipsa pia opera impleantur; Licet enim superiores, nimium justas, beneque regulatas instructiones præbeant, adeo ut theoricæ sit optima optimaque, & sancta superiorum intentio; Praxi tamen mala, & scandalosa est ob malitiam, & improbitatem inferiorum operariorum, ita humana conditione exigente; Quæ tamen omnia ita discursivè dicta sint ex bono animo, ac zelo erga Sedem Apostolicam, referendo id quod alii dicunt, ut inconvenientibus occurratur, nihil desuper firmando.

In utraque igitur dictarum Congregationum respective, ad instar Congregationis Rituum, de qua supra, de duobus negotiorum generibus agi solet; De contentiosis scilicet, cum defunctorum hæredibus, vel aliis, ad quos pertineat, pro piarum dispositionum executione; Aut cum legatariis, qui incapaces prætendantur, sive quod aliis in eorum exclusionem intrent fabricæ Facultates; & de æconomicis, pro fabricæ gubernio, & administratione, ac meliori directione, disjungendo etiam computa, & rationes ministrorum, & operariorum.

Quatenus itaque pertinet ad primum genus negotiorum seu controversiarum in forma contentiosa; Stylus est pro negotiis Urbis, & status ecclesiastici, quod causæ in prima instantia cognoscuntur in forma contentiosa, & iudicialia eo modo quo coram aliis iudicibus ordinariis, per dictum Iudicem, & quando hic esset suspectus, per unum ex præfatis Prælatis Congregationis, qui deputari solet à dicto Cardinali antiquiori, qui partes Præfati gerere videtur; Atque ubi agatur de causis, quæ de iure sunt appellabiles ad utrumque effectum, idem servatur in secunda, & respective in ulteriori instantia, quando intraret per deputationem unius ex dictis Prælatis, ac etiam quandoque unius ex Cardinalibus, servato in reliquis ordine juris seu processu iudiciali; Quando verò causa sit de iure executiva, non admittens appellationem, ad effectum suspensivum, ut præsertim regulariter sunt legata pia, dum etiam prophana, juxta veriorum opinionem Angeli, quæ in omnibus Curia Tribunalibus est recepta, *sub tit. de legat. disc. 6. ac etiam sub tit. de iudic. & alibi.* Quoties facti circumstantiæ limitationem non suadeant (excepta Rota, quæ in reverentiam antiquitatis, adhuc persistit in sensu insequendi opinionem Alexandri;) Multo verò magis ubi sint pia; Disputari solet, prius coram dicto Cardinali antiquiori, & in Congregatione particulari, & quando partes non acquiescant, in dicta Congregatione Cardinalitia (quæ ad differentiam, dicitur generalis) super modo committendi appellationem, etiam ad utrumque, vel potius ad unum tantum; Ad instar quotidianarum disputationum Signaturæ, ex motivo iniustitiæ, ob quam prætendi solent appellabiles, etiam illæ causæ, quæ de earum natura sint executivæ.

Et aliquando, ubi agatur de causis gravibus, committuntur illi Rotæ Auditori; qui est de Congregatione, & quandoque etiam alteri ejusdem Rotæ Auditori, etiam per plures instantias, unde propterea hæc dicitur causa Rotalis, quo admodum disputandi, quamvis reverà sit extra Rotam, stante stylo hujus Tribunalis, ut ipsi Auditores, etiam singulariter deputati, in causis non Rotalibus, nihil decident, absque disputatione dubii in Rota, præviisque decisionibus, more causarum Rotalium, *infra disc. 32. ubi de Rota Auditorio.*

Iste autem ordo merè contentiosus, pro frequentiori contingentiâ, haberi solet in illis causis, quæ principaliter agantur inter partes inter-
 28 essatas potius, quàm cum sola Fabrica, quæ causam ad suum Tribunal traxerit, ex dictis ejus facultatibus, & privilegiis, ob mixturam sui juris vel interesse, ad instar fisci, cujus privilegia fortitur; Undè propterea habet privativam, cum facultate advocandi causas à quibuscumque Judici-

bus, & Tribunalibus, nisi Papæ aliter videatur in Signatura Gratiæ, in qua frequenter istæ quaestiones remissionis causarum, disputari solent.

Quando etenim, non admixtura alterius Partis interessatæ, adeò ut causa sit inter Fabricam, & hæredem, vel alium, qui teneatur adimplere piam dispositionem, sive inter Fabricam, & eum, cujus favore dispositio facta sit, adeò ut principalis quaestio sit, an intrent, necne ejus facultates pro applicatione, tunc pro frequentiori contingentiâ, altera Pars exquirere solet votum Congregationis generalis, in qua, Juxta primæ, vel ulterioris instantiæ, causam proponit, ut; Vel reportet resolutionem pro absolutoria, cum declaratione quod facultates non intrent; Vel quod emanet rescriptum admissionis ad aliquam honestam concordiam, quæ solet esse finis frequentior hujusmodi controversiarum, quando sint cum sola Fabrica sine mixtura alterius interessati, ob stylum in hoc nimium benignè agendi, ut etiam superius enunciata Apostolicæ Constitutiones, innuunt; Isteque ordo, etiam quandoque sequi solet in dicta Congregatione parva, seu particulari pro casuum qualitate, ac Partium sensu, vel acquiescentia.

Facultates autem, in suis casibus intrant, neglecto quocumque disponentis præcepto, ut Fabrica in ejus dispositionibus se ingerere non valeat; Quamvis etenim Rotæ, circa hujus sæculi initia deciderit, quod hoc præceptum esset validum & operativum, atque cum hoc sensu aliqui DD. procedant; Contrarium tamen, per istam Congregationem determinatum fuit, atque resolutio, Pontificio oraculo comprobata fuit, ideoque ista est praxis, *sub tit. de testam. disc. 45.*

Ex dictis autem Capitulis supra recensitis; Incapacitatis scilicet legatariorum, Incertitudinis, & insufficientiæ; Primum habet solum disputationes juris, an incapacitas addit, necne, cum etiam in illis casibus, in quibus regula sit pro incapacitate, plures cadere soleant limitationes, ut in rerum regularium sede advertitur & alibi *sub tit. de Regular. disc. 63. & in annot. ad Conc. Trid. d. 35.*

Alterum caput incertitudinis, ab Alexandro VII. sui Pontificatus initio, magnam recepit restrictionem, respectu legatorum, quæ fierent pauperibus in genere, dum isti sunt semper certi, juxta dictum Evangelii, *quod pauperes semper vobiscum habetis;* Verum Fabricæ officialibus valde conquirentibus, quod exindè magnum resuleret præjudicium, ac facultatum restrictio; Fortaque magis efflagitante nimium sumptuoso opere Theatri columnarum quod in ejusdem Basilicæ atrio seu platea ipse Pontifex assumpsit, penèque perfecit, quædam ejusdem Pontificis prodiit moderatio, seu declaratio, quæ primam provisionem, penè ad nihilum redegit.

Atque circa istud caput incertitudinis; Quando agatur de illis dispositionibus fiduciariis, quarum executio, ore tenus committatur, confessorio, vel alteri fiduciario, sub præcepto, quod non teneatur alicui ejus voluntatem patefacere; Quamvis super hujusmodi dispositionibus, utpotè aliquando captiosis, & fraudulentis disputationes cadant, in sua sede examinata; At tamen illas (commendabiliter quidem, ad tollendam omnem scandali occasionem, Fabrica assumere non solet; Benè tamen exigit ab eo fiduciario, juratam declarationem, an sibi commissa opera, sint certa, vel incerta; Eoque decla-

rante quod sint certa abstinet, atque aliud non agit. *sub tit. de testam. disc. 56. & sub tit. de Regular. disc. 63.*

Et quoad tertium caput insufficientiæ; Ad hoc ut facultates intrent, præcedere debet monitio hæredis, vel alterius, ad quem pertineat; Ex ea congrua ratione, quod potest ille dicere se velle supplere; Atque ubi altera pars interessata sit in causa, quæ dispositionis implementum ejus favore petat, negando verificationem insufficientiæ, a qua pendet, an facultates intrent, nec ne, tunc assumi solent disputationes quæstionis adeo inter DD. controversæ, an scilicet certa designatio sit taxativè, vel demonstrativè, in suis sedibus non semel peracta *tit. de legat. disc. 14. & in dissellan. ecclesiast. disc. 30. & 33.* Aliæque plura occurrunt, quorum reassumptio nimiam evagationem redoleret: ideoque præmissa, pro aliqua hujus Congregationis notitia adnotasse, videtur satis.

Sub altero item genere non contentioso negotiorum, quæ in utraque Congregatione tractantur, circa æconomicam administrationem ut supra; Cadunt quoque inspectiones super compositionibus, quæ offerantur super piis dispositionibus occultis, quarum scilicet notitia per Fabricam non habeatur, suppressis nominibus, juxta eandem praxim negotiorum fiscalium, seu cameralium an & quomodo admitti debeant.

Omnia hæc procedunt in Urbe, & in Statu Ecclesiastico; In Regno verò Neapolitano, in quo hoc Fabricæ Tribunal quoque receptum est, ac viget Congregatio ista, directe se non ingerit in cognitione causarum contentiosarum, sed solum ibi deputat Judices, aliosque officiales inferiores; Verum Judices ita deputati, in causarum cognitione, ac decisione, (juxta concordata in ejusdem Tribunalis receptione seu admissione) non cognoscunt causas, nisi de voto aliquorum assessorum sæcularium, qui deputantur per Regem, vel per ejus Vicarium, in omnibus tribus instantiis; Atque pro frequentiori praxi esse solent regii Consiliarii, illius Consilii quod S. Clara, seu Capuana dicitur; Sive alterius Consilii quod dicitur Collaterale; Aut Præsidentes Regiæ Camerae, de quorum numero fuit *Rovitus*, qui in ejus decisionibus, de aliquibus hujus Tribunalis causis agit; Locales verò seu diocesani commissarii, pariter habere debent Assessorem sæcularem per loci Communitatem nominandum; Ideoque respectu dicti Regni, in his Congregationibus respectivè, agitur solum de dicto genere negotiorum non contentiosorum; Nempe de compositionibus, ad quas partes absque contradictore admitti cupiant, quando agatur de negotiis gravibus, ad quæ non se extendant facultates illius æconomi seu Commissarii Generalis, (qui quandoque Prælati, & quandoque togatus esse solet,) dum habet in plerisque potestatem limitatam, inconsulta Congregatione.

Quandoque tamen praxis in hoc docuit, quod per viam relationis, vel extrajudicialis informationis, de causis ibi per omnes tres instantias jam tractatis, in ista Congregatione disputatum fuit. *in casu de quo tit. de Regular. disc. 25.*

In origine item differunt istæ Congregationes ut supra, quoniam particularis, seu minor, est antiqua, tanquam residuum illius magni & numerosi Collegii quod Clemens VII. instituit;

Generalis autem, Cardinalitia, & Prælatitia, ad instar ejus quod Sixtus V. prædecessor de tot aliis Congregationibus fecit, recentius instituta fuit per Clementem VIII. ut supra initio advertitur.

DISC. XXI.

De Sacra Congregatione Examinis Episcoporum.

S V M M A R I V M

- 1 **D** Constitutione Gregorii XIV. super examine Episcoporum.
- 2 De Congregatione examinis, ejusque introductione, & a quibus constituatur.
- 3 In qua professione fiat examen.
- 4 De modo examinandi.
- 5 De ratione hujus introductionis, & quod sit commendabilis.
- 6 In contrarium quod non sit commendabilis.
- 7 Quod per hoc examen non obtineatur finis.
- 8 De secunda opinione, de qua num. 6. & quomodo illa procedat.
- 9 Quod in provisione Episcopatum adhiberi debeant eadem diligentia, quæ in Cardinalium creatione, & de ratione.
- 10 Quod etiam in provisione parochialium sola literatura non attendatur.
- 11 Datur exemplum electionis militum, & electionis Ducis militie.
- 12 De judicio Auctoris, & quomodo hoc examen debeat praticari.
- 13 De eodem & super quibus quæstia fieri deberent.
- 14 De praxi, quando aliquis reprobetur, quia nisi sit respondere.
- 15 Quinam eximi soleant ab hoc examine.
- 16 Qualis debeat esse numerus examinandorum.
- 17 De stylo cum personis ordinis primarii quæ ad Episcopatus promoveantur.

Cum Gregorius XIV. (qui tanquam Episcopus Cremonensis, ante purpuræ assumptionem, in Concilio Tridentino interfuerat,) præfati Concilii sensuum conscius esset, circa diligentem inquisitionem eorum, qui ad Ecclesias Cathedrales, vel Metropolitanas essent promovendi; Hinc ad Summi Pontificatus apicem erectus, Constitutionem de super edidit præscribendo formam in hac inquisitione ac examine; tam de doctrina, quàm de vita, & moribus, habendo in Curia, vel respectivè extra *Cons. 6. Gregor. XIV.* Atque huic sensui in hærendo Clem. VIII. immediatus successsor, publicum, ac solemne examen, coram se ipso, & Cardinalium Congregatione habendum introduxit, ut ita secuta assumendi appobatione, alia fierent acta Consistorialia, superius in Consistorii rubrica insinuata. *supra disc. 5.*

Ita ergo introducta est ista Congregatio, quæ constat ex competenti Cardinalium numero vario pro Papæ arbitrio, ac etiam, ex aliquibus Prælati, & Religiosis, qui sint Canonum, & Theologiæ professores, istique examinatores dicuntur, quorum aliqui sunt fixi, nempe, Rotæ Decanus, vel Vicedecanus, Vicesgerens, Et Magister S. Palatii; Alii verò Prælati, vel religiosi assumuntur pro Papæ libito, distributis inter istos muneribus pro qualitate seu professione exami-

examinandorum in propria professione, canonum, seu decretorum, & Theologiæ scholasticæ, vel respectivè moralis; Ad istam verò ultimam facultatem, pro frequentiori praxi, examen hodiè restrictum videtur, cum ipsorum examinandorum optioni remissum sit, unam vel alteram ex his facultatibus eligere.

4. Istud verò examen, fieri solet ad interrogationem trium examinatorum, duorum scilicet inferioris ordinis, ut suprà, & unius Cardinalis, pro eo tempore, quod Papæ placeat; Quod scilicet, introductus per Vicegerentem ille, qui est examinandus, ante conspectum Papæ, dictorumque Cardinalium, & aliorum examinatorum, genitexus interrogatur super aliquibus dubiis, vel quæsitis, eam facultatem concernentibus; Atque peracto examine, exquiritur per Papam votum Congregationis, an ille approbari, vel reprobari mereatur, per quamdam speciem, seu imaginem illius examinis, quod, juxta formam præscriptam à Concilio Tridentino, haberi debet in provisione Parochialium, *sub titulo de parochialibus discursu 37. & in annotatione ad Concil. Trid. disc. 3. 2.*

5. Problematica verò, atque adhuc sub Judice indecisa est quæstio inter viros sapientes, ac zelantes, an ista introductio, commendatione digna, sit necnè; Aliqui enim affirmativam tenent, ex rationibus in præfata Gregoriana Constitutione assignatis, atque, ut ita eorum, qui ad tantum munus assumendi sunt, experimentum fiat; Ducto etiam argumento à dicta forma introducta per Sacrum Concilium Tridentinum in provisione parochialium; Fortius verò, eoque magis in tam gravi provisione ejus, qui deputandus est parochus parochorum,

6. Alii verò inclinare videntur in negativam, quasi quod duplex ita inferri dicatur injuria, tam ipsi Pontifici eligenti, quam Curie Romanæ, imò toti Italiæ, literarum floridissimæ, quod scilicet Itali, qui ad Episcopatus, & Archiepiscopatus assumendi sunt, atque per ipsum Papam eliguntur, (paucis exceptis Ecclesiis, quæ sint ad Principum nominationem) exponi debeant huic examini, quodque ab eo exempti sint illi altorum Nationum ultra montes, qui ut plurimum per Principes sæculares, vel per Capitula eligantur, seu nominantur; Fortius verò quia, non exindè obtinetur finis, vel intentum, ut scilicet idonei, ac habiles ad tantum munus assumantur, ideoque adesse videtur malum, absque compensatione boni, dum istud examen practicari solum videtur more scholarium, super aliquibus paucis interrogatoriis, ad breve tempus, & præsertim in theologia morali, ad quam illud pro frequentiori praxi, ut suprà, restrictum videtur, eo modo quo, me per plures annos id practicante, etiam in parvis Civitatibus, & locis; interrogari solent adolescententes, qui promovendi sint ad ordines minores vel sacros respectivè; Aut illi qui approbandi sint ad sacramentum penitentiae ministrandum.

Id autem non præbet sufficiens experimentum
Card. de Luca. Relatio Curie Romanæ.

7. tum, quoniam non videtur quid commune habeat, aliquam ostendere notitiam hujusmodi hodiè, quæ etiam adolescentes in scholis addiscunt, re-ctèque callent, cum regimine Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum, dum istud non consistit principaliter in actuali exercitio curæ sacramentalis, vel administrationis sacramentorum, cum hæc peragantur à parochis, aliisque clericis, & operariis, qui per examen super hac idoneitate, approbari solent; Sed consistit principaliter in exercitio curæ jurisdictionalis, pro qua idoneitas literaturæ, in diæcesibus præsertim ab hæretica lue immunibus, versatur circa notitiam Canonum, & Conciliorum; Imò neque ista theoreticè, vel scholasticè, sufficit, sine forensi praxi ecclesiastica, in Sacris Congregationibus; aliisque Curie Romanæ Tribunalibus.

Et ulterius, ista videtur minor pars idoneitatis, quæ pro isto gravissimo munere est necessaria, dum ea commode suppleri potest per vicarium Generalem peritum, vel per assessores, aliosque adjutores officiales; Sed punctus principalis consistit, in probitate morum, & in exemplaritate vitæ, ac etiam in prudentia, eaque politica ecclesiastica, & pia, quæ viro ecclesiastico & prælato conveniat, tam circa ministrorum, & operariorum electionem, quam circa morum correctionem, in subditis, ac restitutionem, vel conservationem christianæ disciplinæ, & pietatis in clero & populo; Principaliter autem in dexteritate, ac prudentia cum Principibus, & Magistratibus sæcularibus, circa concernentia ecclesiasticam jurisdictionem, & immunitatem, ut eas quidem (ut decet) custodiat, & conservet quo magis pacificè fieri potest, non autem, ut, vel ex indiscreto zelo, vel turpis lucri grati, aut ex imprudentia, ita in his se agat, ut exindè eidem jurisdictioni, vel immunitati magna potius præjudicia resultent, ut frequens praxis docet, cum similibus politicis, ac prudentialibus partibus, quæ in ista specie principatus, atque in jurisdictione potius habituali, & universalis, quam actuali per inferiores officiales & ministros exercenda, requiruntur, ideoque non videtur quale experimentum desumi valeat, ex eo quod in examine quis respondere sciat ad duo vel tria interrogatoria, quæ frequentius, res faciles, & notas, consistere solent; Et quandoque praxis docet, ut bonæ responsiones potius casui, vel cuidam præcedenti structioni, quæ per peritos fieri solet, referri mereantur, tanquam per speciem illius sapientissimi responsi, quod dedit fatuus Parisiensis.

8. Hinc proindè illi, qui hanc posteriorem sequuntur opinionem, laudant quidem, imò necessarium putant examen, ad præfata Gregorianæ Constitutionis præscriptum; Verum eis non satisfacit istud solum materiale, ac momentaneum examen pro quadam formalitate circa literaturam, sed circa omnia alia præmissa.

Et licet ad ejusdem Constitutionis præscriptum fiat alterum examen consistoriale, attamen, ut in dicta Consistorii rubrica advertitur, istud videtur potius ceremoniale ad quandam formalitatem, ideoque desideraretur illud facti, id est,

H h

est,

est longa negotiorum ac mundiorum experientia, occasione aliorum munerum inferiorum; Putà in Vicariatibus generalibus apud qualificatos & probatos Prælatos, quorum attestationibus probabiliter deferendum sit; Aut in munere Auditoris, vel adjutoris studiorum per tempus notabile, alicujus docti, probatæque fidei Cardinalis; Vel in munere bene notæ curialitatis tam circa doctrinam, quam circa vitam & mores, ac prudentiam, Et respectu Regularium, inquirere à superioribus Religionis eorum prudentiam, ac habilitatem, in provincialibus vel in prælatis localibus, aliisque muneribus.

Istud verò dicunt, seu cupiunt opportunum
9 examen, quod in provisione Episcopatum adhibendum est; illam habendo applicationem quæ regulariter, (paucis exceptis limitationibus) haberi solet in promotione Cardinalium, quæ fieri non solet nisi de personis, quæ per gradus, ac munera publica idoneitatem, ac notoriam fidem habeant; Quinimo quod major diligentia in provisione Episcopatum, & Archiepiscopatum adhibenda videatur, quoniam licet non in ratione ordinis, sed in ratione officii, ac administrationis, pro hodierna praxi, longè majus reputetur munus cardinalitium, quam Episcopale vel Archiepiscopale, ob superius in sua sede insinuatam participationem in administratione Ecclesiæ universalis; Attamen ob magnum Cardinalium numerum, & copiam virorum literatorum, sive bene expertorum in rebus politicis ac publicis, qui sunt in Sacro Collegio, non adeo præjudicialis videtur aliquorum ex eis modica sufficientia, dum alii supplere possunt; Neque Cardinales singularia munia habent, sed ut plurimum, plures eorum collegialiter Papæ consultationes, aliaque negotia explicant; Secus verò est in Episcopis, & Archiepiscopis, quoniam eis singulariter dioceses, & provinciæ committuntur; Ideoque ab eorum prudentia, ac vita & moribus totum regimen pendet; Ad istum autem effectum non videtur quid referat scire, vel non scire promptè respondere in eo temporis momento, aliquibus memoriæ, vel ingenii quæsitis, super iis, quorum viri impudentissimi, maleque morigerati, peritissimi esse possunt, dum pro frequentiori praxi, illi qui valde ingeniosi, ac studiosi sunt, præfatis defectibus, cumulatè, vel alternativè laborare solent.

Hinc habemus, quod etiam in longè minori
10 cura & administratione parochiarum; circa dictam formam concursus, quæ ad præscriptum Concilii Tridentini servanda est, soli majori literaturæ, quamvis in gradu eminentiæ, deferri non debeat, quodque mediocris, dummodo sufficiens literaturæ, juncta cum prudentia, & cum vitæ exemplaritate, aliisque partibus moralibus, prævalere debet magnæ literaturæ, quæ aliis partibus destituta sit, dicto disc. 37. de paroch. & in aliis ibi enunciatis, & in annot. ad Concil. Tridentin. disc. 2. Multò igitur magis in Ecclesiis Cathedralibus, & Metropolitanis.

11 Magna etenim differentia dignoscitur inter belli duces, & singulos milites eligendos; Ubi enim privatus miles adscribendus est militiæ sit ejus examen, vel experimentum materiale, an sci-

licet sciat emittere scloppum, & evaginare, ac exercere gladium, aliasque gerere partes, quæ in privato milite pugnatura requiruntur, cum non oporteat assumere adolescentes, seu viros novos, adhuc in eo munere non expertos; Profusus autem vanum esset, & contemptibile, ut ex hoc eodem experimento, emissionis sclopi, vel evaginationis gladii, regulari deberet electio Ducis exercitus, vel militiæ, cum non in ea parte, sed in prudentia, magna que peritia rei militaris, istud munus versetur; Aded ut frequens praxis doceat, quod insignes ac primarii belli Duces ex infirma valetudine, vel ex aliis accidentibus, ad pugnam personalem omninò sint inhabiles. In militibus etenim privatis desideratur robur in brachiis, & pedibus, aliisque partibus corporis; Robur autem Ducis consistat in capite seu ingenio; Istaque est differentia inter Episcopos, & Archiepiscopos, & clericos inferiores, quibus solum exercitium divinum, & Sacramentorum committendum est; Ideoque laudatur hoc examen circa literaturam, sed quod junctum sit cum dicto alio examine potius facti, quam solemnitatis.

Isti sunt discursus, qui in hac problematica
12 questione à sapientibus ac zelantibus viris fieri, solent, quorum sola relatione contentus, meum desuper non profero judicium, cum ad sæcularem virum, in vitæ forensis strepitu versantem, atque contentiosa negotia peragentem, de his judicare non pertineat; Eodem tamen discursivo, non autem determinativo themate retentò, hæc posterior opinio, cum insinuata moderatione, seu conciliativa distinctione, probabilior videtur, Ut scilicet fiat quidem istud solemne, ac ceremoniale examen, super idoneitate literaturæ, vel super partibus intellectus, ita hunc jam inductum stylum conservando; Sed quod prius, ac principaliter præcedat jam dictum alterum examen rigorosum, & accuratum, super alia insinuata idoneitate, dum processus confistorialis, juxta notoriam præxim ad nihilum deservit, sed est mera formalitas; *Suprà discursu quinto.* Quo verò ad istud examen, circa literaturam, cuperem, quod Religiosi, non ingeniosè, ut se ipsos potius coram Pontifice examinent, atque ad propriam doctrinæ ostentationem, super quæsitis scholasticis, vel super
13 simplicibus casibus conscientiæ, qui ut supra congruunt promovendis ad ordines, aut deputandis ad Sacramentorum administrationem, insisterent; Minusque Prælati Canonistæ, super Juris canonici scholasticis quæstionibus, aut super iis, quæ ad Judices pro causis contentiosis decidendis deserviunt; Sed quod illi Cardinales, qui fuerunt Episcopi, aut quod bene versati sint in Sacris Congregationibus Episcoporum, & Concilii, ac etiam Immunitatis, non per viam quæstionum in abstracto, & more scholastico, sed per viam practicæ & familiaris alloquutionis, ab eis exquirerent, quomodo se gerent in aliquibus casibus figurandis; Putà (exempli gratia) circa ecclesiasticam jurisdictionem, vel immunitatem; Vel circa diocesis visitationem, aut ecclesiarum parochialium provisionem; Sive circa beneficiorum collationes, aut circa regimen

gimen monasteriorum Monialium; Vel super gravibus inimiciis, aut motibus popularibus componendis vel sedandis; aut super tollendis abusibus circa matrimonium, vel super iis, quæ concernunt superstitiones; & fortilegia, cum similibus, quæ concernant munus Episcopale; Et præsertim super iis, quæ constet quod à Concilio Tridentino in Episcopis magis desiderentur, non autem super iis, quæ simplicibus clericis, vel scholaribus congruunt, ut supra.

Et quamvis ubi dignoscatur; quod hic teneatur sylus, tunc in isto genere versarentur Instructores; Adhuc tamen notabilis profectus exinde resultaret, dum ita illi, qui examinandi sunt, bene instruerentur de decretis Concilii Tridentini, ac de aliis, quæ peculiariter pertinent ad munus Episcopale.

Docet autem praxis (quamvis nimium rara) quod aliqui reprobantur; Verum quia aliquando contingit, quod viri peritissimi, ac notoria idoneitatis, ab illius magni Concessus majestate terri, intellectus offuscationem in eo actu patiantur; Ad eum frequentius major sit timor literatorum, quam imperitorum, (cum petulantia ut plurimum sit ignorantia comes;) Hinc licet tunc ille, tanquam idoneus non approbetur, attamen admitti solet ad novum privatum examen coram aliquibus Cardinalibus, vel eorum aliquo, pro arbitrio Papæ.

Item aliquando idem Papa (& quidem commendabiliter) aliquos qualificados, notoriaque idoneitatis Prælatos, qui ad Ecclesias promoventur, quia nempe in Nuntiaturis, aliisque gravibus muneribus, vel in Judicaturis in Curia versati sint, in eius conspectu pro examine præsentatos (ut ita cum omnibus pariformiter id sequatur) eos dimittit, atque non patitur, ut Examinatorum questis subjaceant.

Examinandorum numerus, juxta currentem praxim, esse non solet minor, quam trium, neque major quam quatuor; ideoque ubi num ad sint, saltem tres examinandi, non solet ista Congregatio convocari; nisi aliter Papæ videatur, quia nempe agatur de aliqua conspicua persona promovenda, quam congruat singulariter absque aliorum mixtura admitti; Et cum qua solet nimium benigne & circumspèctè procedi, eo modo, quo in prædictis qualificatis, ac etiam probata idoneitatis Prælati, prædicatur; Ut præsertim nostra ætate, sub Urbano VIII. praxis docuit, in germano fratre Ducis Mutinæ, promoti ad Ecclesiam Regiensem, quam eo defuncto postea aliquo tempore administravit, etiam adeo qualificatus Cardinalis Estensis alter eius frater, siquidem sufficiens reputari solet examen, quod hujusmodi personæ illi conspectui se præsentent, atque se examinandos exponant; Super hoc tamen certa regula non habetur, cuicumque casui applicabilis, cum totum resideat in

Papæ arbitrio ex singulorum casuum circumstantiis regulando.



Card. de Luca. Relatio Curie Romanæ.

DISCURSVS XXII.

De Congregatione Reformationis Regularium.

S V M M A R I V M.

- 1 DE occasione erectionis huius Congregationis.
- 2 De suppressione parvorum Conventuum.
- 3 De applicatione novorum Conventuum suppressorum.
- 4 Quare ista Congregatio adhuc continuet, & quæ negotia tractet.
- 5 Quid expediat adesse Regulares in oppidis, & locis.
- 6 De quibus in ista Congregatione disputari consueverit.

Moderna & extraordinaria potius ista Congregatio est, cum ea, quæ cleri regularis regimen ac directionem concernunt, commissa sint Congregationi Regularium, quæ unita est cum altera Episcoporum, ut superius in eius particulari Rubrica advertitur. *Suprà discursu 16.*

Cum autem praxis doceret, quod in parvis Conventibus, vel Monasteriis, disciplina regularis non bene servaretur, unde propterea quamplura resultarent inconvenientia, ipsis Religionibus vel universo Ordini regulari præjudicialia; Atque dicta Congregatio ob negotiorum multiplicatam, adeo vacare non posset, huic parvorum Monasteriorum vel Conventuum, ac etiam aliquarum parvarum Religionum, vel Congregationum reformationi, dum eadem ratio relaxationis discipline regularis, quæ inter Religiosos eiusdem religionis viget in parvis Conventibus vel Monasteriis, proportionabiliter & comparativè militat quoque in Religionibus in universum; Hinc proinde sub Innocentio X. erecta fuit ista Congregatio, ad instar aliarum, ex aliquo Cardinalium competenti numero constituta, cum mixtura aliquorum Prælatorum, quorum unus est Secretarius; Atque per istam Congregationem, habita diligenti informatione status, ac reddituum omnium Monasteriorum, & Conventuum aliarumque domorum regularium, nec non aliquarum parvarum Religionum seu Congregationum, ad eiusdem Congregationis consultatorem, prodiit ejusdem Innocentii Constitutio. *Const. 50. Innocent. X. super suppressione omnium Monasteriorum, Conventuum & Domorum, in quibus ad minus sex Religiosi condecenter sustentari non possent, subjiciendo Ordinariam superioritati, & jurisdictioni illos Conventus, ac Monasteria, vel Domos, in quibus non adessent saltem 12. Religiosi, ad præscriptum Constitutionis Urbani VIII. De his agitur sub tit. de regular. disc. 32.* Applicando hujusmodi Conventuum vel Monasteriorum suppressorum redditus & bona Ecclesiis parochialibus, vel seminariis, aliisque piis usibus, vel operibus, Ordinarium arbitrio, vel ad eorum relationem; per ipsam Congregationem.

Quamvis autem, edita dicta Constitutione, videretur, quod finis, ob quem ista Congregatio erecta

- erecta fuit, adimpletus esset, ideoque eam resolvi, vel cessare debere, aliquorum opinio esset; Attamen continuavit, & continuat (quamvis tamen raro habeatur, Job contingentias circa idem); Vel scilicet, quod supplicantiibus, praesertim populis & communitatibus, atque aliquam supplicationem officientibus, seu ex alio iusto motivo, ex pontificio oraculo, aliqui Conventus suppressi reintegrari solent, in illis praesertim exiguis oppidis, vel castris, in quibus ille Conventus Regularium esset unicus cum expediat, quod ultra parochum & clericos seculares, aliqui ad sint Regulares, qui ministrent quoque divina & Sacramenta, illud praesertim penitentia, ex rationibus, quae alias occasione novae fundatoris Conventus in Regularium sede insinuatur *id est tit. de Regular. disc. 31.* Sive est converso, quod expediat aliquem Conventum tunc non suppressum suppressum, ob inconvenienti, quae praxis doceat, ab eius existentia resultare, cum similibus contingentis, quae examinare expedit; Puta instantibus locorum Ordinariis, vel aliis, ad quos pertinet, circa variationem applicationis bonorum, ac reddituum huiusmodi Conventuum suppressorum, quia nempe tempus doceat magis expedire, ut uni potius quam alteri operi applicatio congruat.
- 6 Speciem Tribunalis contentiosi circa illa prima tempora suppressionis, ista Congregatio habuit (pro stylo tamen extrajudiciali & summario pluries insinuato aliarum Congregationum,) quod scilicet Communitates vel locorum Domini, qui pro Conventuum, vel Domorum regularium fundatione, bona elargiti fuerunt praetensionem excitarunt, ut tanquam ex cessante causa, concessio evanescere debuisset, ac propterea bona donata ad eos reverti; Verum ex auditu non fuerunt, praeterquam in Casibus, in quibus expressum pactum resolutivum assisteret. *tit. de donation. disc. 12. & seqq.*

DISCURSUS XXIII.

De Congregatione propagandae Fidei, pluribusque aliis ecclesiasticis, vel spiritualibus Congregationibus; puta, Ceremonialis, Indulgentiarum, Reliquiarum, & similibus; Et de Congregatione Consistoriali, remissive.

SUMMARIUM.

- 1 **Q**uomodo antiquitus haec memoriae propaganda vel conservanda fidei ageretur.
- 2 De eodem.
- 3 De introductione, & propagatione fidei in novo Orbe.
- 4 De erectione huius Congregationis propagandae fidei.
- 5 De erectione Collegii eiusdem propagandae fidei, eiusque instituto.
- 6 In quo consistat munus huius Congregationis.

- 7 An, & quas controversias contentiosas tractet, & decidat inter Missionarios, & alios.
- 8 De aliis causis prophanis, quas cognoscit.
- 9 In qua die, & quando teneatur.
- 10 Quando aliquando fiat coram Papa, & quare.
- 11 Remet typum pro impressione librorum in omnibus linguis.
- 12 De aliis Congregationibus, puta Indulgentiarum, & Reliquiarum, & similibus.
- 13 De Congregationibus, quae cessare solent, cessante causa.
- 14 De Congregatione Hierosolymitana Religionis.
- 15 De Congregatione Consistoriali remissive.

Quemadmodum ab initio nascentis Ecclesiae, Summus Pontifex Romanus eiusque Curia, semper studuit, ac invigilavit, super Catholicae fidei conservatione, eam praeservando, seu respectivè restituendo, adversus haeticam, vel schismaticam labem, & paganam superstitionem; Non tamen, quindecim saeculorum spatio, usque ad Pontificatum Pauli III. formale Tribunal collegiatum, seu Cardinalitia Congregatio desuper erecta fuit. Sed ipse Pontifex, cum opera & adiutorio Episcoporum, aliorumque localium Inquisitorum, ac zelantium, & piorum operariorum, eas partes explevit, iuxta seriem in universalis Inquisitionis, vel Sancti Officii Congregationis relatione recensitam. *supra disc. 14.*

Ita pariter ab ipso initio, sub magis diris, & crudelibus persecutionibus tyrannorum, & infidelium, idem Pontifex, eiusque Curia, dictae fidei propagationi semper studuit, mediante pariter opera Episcoporum, & praedicatorum aliorumque operantium in vinea Domini, cumque praesertim in XIV. saeculo, seu nostrae memoriae ignota, per navigationem maris Oceani detecta essent partes, vel regiones, quae sub vocabulo Indiarum, vel novi Orbis, sive sub quarta partis orbis Americae, nomine nuncupantur; Idem Pontifex sollicitus fuit eò transmittere plures missionarios, ex diversis Religionibus, unde propterea ad instar ipsius primitivae Ecclesiae post Christi Ascensionem, in hac nova Mundi parte, cum tot martyrum sanguine, Ecclesia plantata, & irrigata est, jam incipiens producere Paradyfi Rosas, aliosque flores, quamvis Ecclesiae iudicio adhuc non detectos, sicuti prima Rosa jam detecta est.

Nostra verò aetate, sub Gregorio XV. cuiusdam pii, ac religiosi viri generosa dispositione, occasionem ad id praesentem; Ad instar dictae alterius Congregationis, quae super jam exorta fidei conservatione, & expurgatione, antecedenti saeculo erecta fuerat ista Congregatio, ex Cardinalium competentium numero vario, aliarumque Praelatorum, ac inferioris ordinis officialium mixtura, erecta fuit; Ex Secretario scilicet Praelato, Ex Assessore Sancti Officii; Ex uno Prothonotario Apostolico; Et aliquibus aliis Praelatis, eique propagandae Fidei nomen attributum; Deindeque sub Urbano VIII. (Dei gratia) hoc pio, & commendabili opere nimium crescente, ad instar Collegiorum, quae pro Graecis, ac Germanis, & Anglis, aliisque nationibus, quae haetica, vel schismatica labe infectae sint, & quae sub Gregorio XIII. aliisque Pontificibus erecta fuere, cum magno, & conspicuo officio, ad

ad formam Infule: ad radices Pincii montis, erectum fuit Collegium, cui pariter idem genericum nomen, propagandæ fidei attributum est: ut ibi educari, sacrisque literis, ac sana doctrina catholica, imbui valeant adolescenterum illarum partium, qui ad catholicam fidem conversi fuerint, ad hoc ut in eisdem partibus idonei operarii & propagatores esse valeant. Ac etiam, ut missionarii, qui ab eisdem partibus regredientes, Romanam Curiam adeunt, ut summum Pontificem, ipsamque Congregationem melius informare valeant, oportunaque suggerere media eiusdem propagationis, in præfato collegio habitationem, ac victum, pro Congregationis arbitrio recipiant.

6 Huius itaque Congregationis munus est, propagationis fidei operarios, quibus Missionariorum nomen tribuitur, dirigere, ac transmittere, & distribuere per regiones, ut ex personarum vel Religionum qualitate opportunum reputetur, eisdemque necessarios sumptus, ex ipsius operis peculio, à priorum oblationibus conflato, aliisque piis elemosynis, & subventionibus, suppeditare; Consulendo etiam Summo Pontifici seu proponendo, ut ex dictis Missionariis huic operi addictis, aliquos præficiat, Episcopos, vel Archiepiscopos, ac respectivè provinciarum, vel regionum Vicarios Apostolicos; Unde propterea utramque æconomiam spirituales & temporales potius quam forenses seu jurisdictionales partes, ista Congregatio administrare videtur.

7 Adhuc tamen, ad instar præsertim Congregationis Regularium, ab aliquo tempore, aliqua forensia, vel contentiosa negotia peragere, ac decidere, cum eodem Congregationum summario, & extrajudiciali stylo, consuevit; Vel scilicet, quia pro consuetis humana conditione seu fragilitate, etiam inter ipsosmet Missionarios, & Operarios diversarum Religionum, vel Institutuum, æmulationes, & quæstiones oriri soleant, quod ex epistolis Pauli, & ex Actibus Apostolorum, aliisque sacris literis, edocemur in ipsa quoque primitiva, & nascenti Ecclesia contigisse; Sive quod eadem contentiones, vel æmulationes orientur inter Missionarios, & Parochos, aliosque clericos nationales, qui pro fidei jam propagatæ cultura, & animarum cura, aliorumque divinarum ministrante deputati sint. Aut cum earundem Religionum superioribus, circa jurisdictionem ac directionem illorum cuiuslibet Religionis respectivè alumnorum, qui huic operi destinati, sive addicti sint; Ideoque Congregationis potius subditi censendi veniunt.

8 Ac etiam (ad instar præfate Congregationis Sancti Officii) forenses prophanam cognitionem habet, civilium, criminalium, & mixtarum causarum eiusdem Congregationis, vel Collegii ministrorum & operariorum, seu quæ respiciant bona temporalia eiusdem operis vel collegii, ex quorum fructibus missionum sumptus, ut supra erogantur.

9 Determinatum autem diem non habet ista Congregatio, ut habent aliæ superius recensitæ, quæ pro currentium negotiorum discussione, ac determinatione erectæ sunt, sed pro negotiorum urgentia, & qualitate, in die præsertim Lunæ, quando Consistorium non impediatur, vel in altera sequenti Martis, singulis mensibus, & quandoque brevius, ea haberi solet, in eisdem collegii supra recensitis ædibus; Atque, vel Secretario, qui est Prælatus, & in eisdem ædibus cum aliis inferioribus officiali-

Card. de Luca. Relatio Curia Romana.

cus & ministris, tanquam fixus & continuus director habitationem habet; Vel ipsis Cardinalibus, juxta distributionem inter eos fieri solitam, referentibus negotia, tam contentiosa ut supra, super quibus pluries ego de jure respondendi occasionem habui, quam etiam æconomica & prudentialia, pro operis profectu, ac bona administratione, oriuntur resolutiones, atque dantur oportuni ordines, & instructiones; in aliquibus verò anni temporibus, ista Congregatio, coram ipsomet Papa haberi solet, tam ut ipse certioratus remaneat de rerum statu, quam ut juxta oportunitatem, cum eius oraculo illas communicet facultates, atque impartiat gratias, ad quas ipsius Congregationis potestas non extendatur; Quod etiam extra hujusmodi Congregationes, ad relationem Secretarii, vel alicujus ex Cardinalibus eiusdem Congregationis, pro negotiorum urgentia & qualitate, sequi solet.

10 Istud itaque est institutum hujus Congregationis, quæ in eadem domo collegii typum diligenter suo sumptu tenet pro impressione librorum & scripturarum, quæ idem institutum propagationis, vel conservationis fidei concernant pro omnibus linguis, pro omnium nationum usu, & commoditate.

11 Quam plures aliæ habentur in Curia Cardinalitia Congregationes, cum Prælatorum, aliorumque operariorum mixtura, ad præmissarum instar, puta, super Indulgentiis, & Reliquiis, quæ moderno tempore erecta est; Aut super ceremoniali, vel super Hispaniarum laminis, aliisque similibus negotiis, Ecclesiam Catholicam in universum, sive pontificium regimen concernentibus, super quibus facile non est certam statuere regulam sive relationem dari, cum in dies pro negotiorum qualitate, ac rerum contingentia, novæ Congregationes erigi, sive jam erectæ, expletis negotiis, earumque causa cessata, supprimi, vel terminari soleant, potissimè quia ista videntur extra propositum relationis Curia forensis.

12 Quando enim urgebant in Germania quædam graves scissuræ, super eis erecta fuit particularis Congregationis, quæ dicebatur Colonia, & altera quæ dicebatur Palatinatus, quæ postmodum fortè cessarunt, ob cessationem eius causæ, cum similibus.

13 Præsertim verò adest quoad negotia particularia Congregatio competentis numeri Cardinalium pro negotiis Hierosolymitanæ Religionis, in universum, quod scilicet concernant regimen, & conservationem ipsius Religionis, non autem super causis privatis in concursu Commendarum, & Dignitatum, vel super admissione ad habitum, cum de his agatur in Rota, & in Signatura Gratiæ, habetur infra disc. 30.

14 Adest quoque Congregatio Consistorialis, cui particularis Sedes, vel Rubrica non tribuitur, dum occasione agendi de ipso Consistorio,

de ista quoque ibi actum est, *supra*

præ disc. 5.

—S(O)—

Hh 3

DISC,

DISCURSUS XXIV.

De Congregatione visitationis Apostolicae.

SUMMARIVM.

- 1 Circa qua versentur partes Congregationis.
- 2 De obligatione Episcopi visitandi diocesim.
- 3 De erectione hujus Congregationis, & ex quibus constituatur.
- 4 V. Gerens est iudex & exequutor decretorum huius Congregationis.
- 5 Quomodo per istam Congregationem fiat visitatio Ecclesiarum Urbis, & districtus.

Quamvis ista Congregatio ad instar praecedentium, ecclesiasticum, seu spirituale regimen quoque concernat, Non tamen, circa munus pontificium, pro Ecclesia universali versatur, sed explicat illas partes, quae Papae, tanquam Episcopo particulari Urbis, eiusque districtus, incumbant eodem modo, quo de Cardinali Vicario superius dictum est *Supra disc. 13.*

Cum etenim, ad sacrorum Canonum, strictius vero Sacri Concilii Tridentini praescriptum, Episcopi debeant singulis annis, vel aliquibus statutis temporibus, sibi commissam diocesim personaliter, ubi commodè fieri potest, visitare, sin minus per Vicarium, vel alios idoneos viros ad id deputatos;

- 3 In annot. ad S. C. T. disc. 5. lib. 14. Papae verò, jam enarratae magnae occupationes non permittant in hoc eius particulari Episcopatu, istas adimplere partes, quae sub ordinariis facultatibus Vicarii non videntur comprehensae; Hinc, praesertim nostra aetate, sub Urbano VIII. pro hoc munere explicando aliquorum praedecessorum vestigiis quoque inharendo, erecta fuit Congregatio, ex aliquorum Cardinalium, aliorumque Praelatorum & operatorum competenti numero constituta, cui propterea Visitationis nomen datum fuit, cum circa id eius munus versetur, visitandi scilicet Urbem, omnesque eius Ecclesias, & Monasteria, praeque loco modo quo Episcopi in singulis respective diocesisibus agunt; Fixum locum in eadem Congregatione habentibus Vicario, eiusque Vicegerente, qui est ordinarius Iudex, vel exequutor decretorum, aliarumque determinationum eiusdem Congregationis, quae more aliarum, de quibus supra, pariter in forma extra iudiciali, & summaria, ac etiam gratis, pleraque contentiosa negotia tractat, ac decidit, ad ipsam visitationem pertinentia, sive percipientia observantiam eius decretorum;
- 4 Quandoque vero committitur V. Gerenti tanquam Iudici ordinario, & executori decretorum eiusdem Congregationis, ut in forma iudiciali, Partibus auditis, procedat; Sive ipsemet, una Partium instante tanquam Iudex & exequutor, ut supra, id peragit.

Visitatio autem personalis, seu materialis Ecclesiarum, seu locorum ecclesiasticorum, aut piorum, explicabilis non est per ipsam Congregationem, cum ea more aliarum, juxta negotiorum qualitatem, vel casuum contingentiam, aliquibus

anni temporibus habeatur, recipiendo relationes Visitatorum particularium, qui ab eadem deputati sint, sive eosdem deputando, aliaque decreta, vel provisiones faciendo; Visitatio itaque localis fit in Urbe per unum ex Cardinalibus eiusdem Congregationis, cui adjungitur unus ex Praelatis juxta distributionem factam ab eadem Congregatione; Ille verò Ecclesiarum districtus fieri solet per plures Praelatos ab eadem Congregatione distributos, atque ad id peragendum assumi solent illi Praelati, qui fuerunt Episcopi; deindeque dimisso Episcopatu morantur in Curia; sive etiam Episcopi actuales, qui occasione visitationis liminum, seu alias in Curia ad aliquod tempus morentur, tanquam in hoc munere versati; Ac etiam eidem Congregationi Pontifex remittere solet aliqua graviora negotia spectantia ad idem munus Episcopale; puta circa Monasteria Monialium, & similia, quando videatur quod non sint negotia, quae expediat tractari in Tribunali Vicarii in forma iudiciali, sed quod potius cum regulis praedictis terminari debeant ab ista Congregatione in forma extrajudiciali, super quo certa regula generalis dari non potest, cum totum pendeat ab arbitrio Papae.

DISCURSUS XXV.

De Congregatione super consultatione negotiorum status ecclesiastici, quae consulta dicitur.

SUMMARIVM.

- 1 Qua sint Congregationes concernentes regimen Principatus temporalis.
- 2 De erectione hujus Congregationis Consultae, & ex quibus constituatur.
- 3 De munere Praelatorum, qui in ea intervenerunt.
- 4 In quibus diebus habeatur.
- 5 Etiam tempore Sedis Papalis vacationis, & à quibus habeatur.
- 6 Circa qua versetur hujus Congregationis munus.
- 7 Quomodo ipsa consuli soleat ac debeat per Gubernatores ac Praesides.
- 8 De aliquibus ejus constitutionibus, vel decretis.
- 9 Quare Rector non tractet materias criminales.
- 10 De causis civilibus quas cognoscit, & decidit.
- 11 De eodem, & circa negotia politica.
- 12 Cognoscit etiam de questionibus confinium.
- 13 Audit recursus vasallorum adversus Barones.
- 14 Quare in statu Ecclesiastico non decet in Baronibus mala praesumptio concessionis.
- 15 Est tribunal saeculare, & quomodo aliquando se ingerit cum ecclesiasticis.
- 16 Ad qua loca se extendant facultates, huius Congregationis.
- 17 De hujus Congregationis Praefecto.
- 18 Quod omnia explicentur gratis.

Illa Congregationes, de quibus actum est supra, concernunt regimen spirituale, seu pontificium; Ecclesie universalis, vel respectivè particularis Urbis; Ista verò, & alie sequentes antequam ad forensia Tribunalia deveniant, respiciunt regimen temporale Status Ecclesiastici, ideoque dicuntur Tribunalia secularia, quamvis eorum aliquibus, specialiter per Papam, jure cuiusdam delegationis, communicata esset aliqua potestas, etiam cum ecclesiasticis.

Erecta igitur fuit in pluribus enunciata Constitutio Sixti V. *Const. 74. Sixti V.* ista Congregatio, quae tamen diversam habet formam ab ea, quae in dicta Constitutione legitur; Constituta siquidem est ex copioso numero Cardinalium, ad hoc, ut aliis impeditis, nunquam desit aliquis eorum numerus competens, cum Secretario, qui est ut plurimum qualificatus Praelatus, istudque reputatur munus, ex magis considerabilibus, adeo ut nostra aetate, sub Innocentio X. & Alexandro VII. duos ab eo munere ad purpuram evedtos viderimus; Ac etiam, ultra dictum Secretarium & Advocatum fisci, nec non Procuratorem generalem in criminalibus, qui Fiscalis Urbis per antonomasiam dicitur, ad differentiam aliorum Procuratorum fiscalium inferiorum; Plures inveniunt Praelati, qui pariformiter cum Cardinalibus votum habent decisivum; Istique frequentius esse solent isti, qui plura gubernia exercuerint, tanquam in eo munere versati; Atque illorum munus est idem quod insinuatum est supra agendo de Congregatione Immunitatis ecclesiasticae, quod scilicet, cum ad istam Congregationem, per Gubernatores, ac Praesides transmitti soleant voluminosi processus criminales, qui attentè videntur, atque in plena Congregatione referendi sunt, neque id Cardinalibus congruat; Tum ob alias occupationes, Tum etiam ob majestatem dignitatis, ut in insinuatō loco quoque advertitur; Hinc proinde, id commissum est Praelatis, inter quos distributa sunt Provinciae, seu gubernia respectivè, adeo ut quilibet se ingerat in negotiis pertinentibus ad sibi commissam provinciam, quae vulgo *Poenitentia* dicitur.

Congregatur in Palatio Apostolico indeficienter bis quilibet hebdomada, in fixis diebus martis, & veneris de mane, quocumque impedimento non obstante, & quamvis in ea die magnam solemnitatem celebrare oporteat; Duabus tantum totius anni diebus exceptis, nempe feria sexta pasceve, seu passionis Domini & in ultima die carnis privilegii.

Quinimò, singulariter ad omnes alias Congregationes Cardinalitias, neque intermittitur de tempore Sedis Papalis vacantis, quando Cardinales reclusi sunt in conclavi, quoniam tenetur per solos Praelatos & alios Officiales ut supra, resolutiones verò in gravioribus negotiis, per Secretarium participari solent) juxta stylum aliorum graviorum negotiorum) illis tribus Cardinalibus, qui ea die, vices totius Collegii explent, & qui Capita ordinum dicuntur, ut supra agendo de Conclavi advertitur, *supra disc. 4.*

Præcipua igitur partes huius Congregationis sunt, non solum recipiendi recursus, & quarelas subditorum adversus Gubernatores, & Praesides, eorumque Locumtenentes, ac Notarios, & Paricellos, aliosque officiales; Tam durante officio, ne subditi graventur, vel opprimantur, sive adstringantur ad illa emolumenta, quae de jure indebita sunt; Quam etiam finito officio, super eorum sindi-

cibus, quando una Partium, à sindicatoribus se gravatam credat, sive super modo dandi sindicatum.

Verum etiam, ac potissimum in eo, quod Gubernatores, ac Praesides, tenentur eam certiorare, & consulere de omnibus causis criminalibus gravibus, in quibus intret poena ordinaria, vel etiam extraordinaria gravis, corporis afflictiva, tam vera contra praesentes, qui in fortis habeantur, quam ficta contra absentes in contumaciam; Quinimò aliquando, & frequenter, ea consulitur (Partibus recurrentibus) super ordine processus & examinis, super modo scilicet transmittendi monitorium inquisitis absentibus, & an poena, quae in eo cominatur, proportionatae sint delicto; Et respectu praesentium, super modo examinis rigorosi, cum tormentis, & quae species adhibenda sit, potissimè verò disputari solet de illa, quae omnium major *Vigilia* dicitur, non nisi in atrocibus cadens.

Prout etiam circa viatica commissariorum, & officialium, an ab accusatis, vel ab accusatoribus, sed adhaerentibus solvi debeant; Et in summa super iis omnibus, quae bonum gubernium, rectamque justitiae administrationem concernunt, ut subditorum oppressionibus, ac molestiis indebitis, tam in arc, quam in corpore occurratur.

Modus autem consulendi est, quod Gubernatores, vel eorum Locumtenentes criminales, compilato processu, servatisque iis, quae de jure, vel de stylo servanda sunt, transmittunt summarium processus; Secretario, seu Praelato Provinciali, qui dicitur Ponens ut supra, cum eorum voto; Atque ubi Partium recursus adsit, in causis praetertim gravibus, demandari quandoque solet transmissio totius processus; Relatoque voto in Congregatione, rescribitur, illud approbando, sive poenam minuendo, & quandoque etiam augendo, pro criminum qualitate.

Idemque faciendum est, quando contingat, ut deveniat ad manus Curiae ille, qui jam condemnatus est in contumaciam, adeo, ut aliae non sint partes Judicis nisi in exequendo, facta recognitione personae, quoniam licet bannum prodierit ex eiusdem Congregationis oraculo, & approbatione, adhuc tamen, illa consulenda est in exequutione; Istaque solent esse frequentiores disputationes, ob nullitates processus contumacialis, cum quibus executio condemnationum evitari solet.

Hinc proinde, ad occurrendum his subterfugiis, atque ad instruendum Locumtenentes criminales, qui ex imperitia, huiusmodi nullitates committere solent, ipsa Consulta edidit quaedam decreta, sive instructiones, quae circumferuntur impressae, super modo citandi, atque acta oportuna gerendi, Super his autem, ac etiam super eiusdem Congregationis plerisque stylis particularibus, tam circa ordinatio, quam etiam circa decisoria, (cum ista materia criminalis penè ubique ad leges, ac stylos particulares locorum redacta videatur) meum non est agere, dum ex jam insinuatō in proemio, judiciorum civilium, & ecclesiasticarum causarum occupationes, ac etiam genium, & quidam Curiae stylus, prohibuerunt criminales causas agere.

Bene tamen in ista Congregatione frequenter disputari graves causas civiles, percutientes Civitatum, ac oppidorum, & locorum, bonum regimen politicum (dum de economico agat altera Congregatio Boni Regiminis, de qua *disc. seq.*) Ubi scilicet agatur de consiliis, vel parlamentis pro confectioe bussoli, ex quo extrahendi sunt magistratus;

H h 4 tus;

tus; Aut ubi agatur de controversiis præeminentialibus, circa præcedentiam, aliosque actus honorificos. Et in summa ista Congregatio invigilat super iis omnibus, ex quibus, tumultus, vel inimicitia, aut alia inconvenientia resultare valeant, tanquam Tribunal politicum, quod invigilat non solum super punitione criminum jam patrorum, sed etiam super præservativa ne committantur, sive ne sequantur occasiones, & concussioniones tam ab adofficialibus, quam etiam à potentibus, ne minus potentes opprimant, vel concutiant, *de his questionibus sub tit. de præeminent. disc. 30. & 31. & in supplemento eod. tit.*

Est quidem Tribunal vigilantissimum, nimiumque proficuum pro bono subditorum regimine, ac iustitia administratione in præmissis negotiis, quæ publicam quietem, illudque civile regimen, quod de politico participat, concernant, cum in causis civilibus merè privatis, non se ingerat, sed intrent Judices appellationis; Nisi agatur de talibus causis, ex quibus scandala, & inconvenientia resultare possint, cum præiudicio publicæ quietis; Ut puta (ex. gr.) ubi agatur de questione confinium, inter duo loca, aut inter duos Barones, cum similibus; Quamvis etenim adist Congregatio particularis confinium, ut infra; Quia tamen ea rarò adhiberi solet, adeo ut pene ignota sit in Curia, idcirco ista Congregatio, ex dicto motivo occurrendi inconvenientibus, quandoque manus apponit, *in questione, que habetur apud Paccibell. in tractat. de distantia cap. 11. & decis. 34. post eundem.*

Audit etiam libenter, atque cum summa vigilantia, recursus & querelas vassallorum adversus Barones & Domicellos, eorumque officiales; Quinimò quandoque praxis me docuit, juxta Pontificis, seu Cardinalis superintendentis generalis, genium, ac majorem, vel minorem zelum, quod etiam ex officio inquirere solet super concussionibus vassallorum, qui recurrere vel reclamare non audeant; Ideoque ob hanc vigilantiam, pluries Rota respondere consuevit, quod in Statu ecclesiastico, non intrat illa usurpationis, vel concussionis præsumptio, que in aliquorum principatum Baronibus cadere solet, ut alibi in suis sedibus advertitur, *tit. de feud. disc. 65. & alibi pluries.*

Dicitur illud Tribunal merè seculare, quod gerit vices Principis temporalis, ideoque se non ingerit in causis, & personis ecclesiasticis; Bene verum, quod ubi in aliqua causa gravi laicorum, unius, vel plurium clericorum, vel aliarum ecclesiasticarum personarum, ad sit mixtura, unde propterea; Vel ratione connexionis, juxta regulas juris, tota causa remitti debeat digniori foro ecclesiastico; Vel quod quolibet cognoscente suum subditum, ob causæ divinitatem, adhuc tamen unus processus possit alteri præiudicare; Hinc per organum Secretarii vel Cardinalis superintendentis generalis, fieri solet verbum cum Sanctissimo, atque ab eo obtineri potestas committendi Gubernatori cognitionem causæ, etiam cum personis ecclesiasticis; Potissimè quia licet huiusmodi Gubernatores, & Præsides, spectato munere sint Magistratus seculares; At tamen attenta qualitate personæ sunt clerici, & Prælati, quibus propterea ista commissio non omnino, incongruit, *tit. benef. disc. 72. & alibi.*

Huius Congregationis facultates se protendunt ad universum Statum ecclesiasticum immediatum, inclusa etiam Civitate Beneventana; Excepta Urbe, in cuius causis se non ingerit, dum habet suum Gubernatorem, qui occurrentia negotia commu-

necat cum Papa; Eo modo, quò de aliis Congregationibus ecclesiasticis insinuatum est supra, agendo de Cardinali Vicario; Ac etiam se non ingerit in illis provinciis, vel civitatibus, quæ habeant Cardinales Legatos; In legationibus scilicet, Avenionensi, Bononensi, Ferrarienti, Urbinatensi, & Emilia, seu Romandiola.

Huius autem Congregationis Præfectus est Cardinalis superindens generalis, de quo supra est actum *supra disc. 6.* ipseque subscribit literas, & ordines, qui dantur Gubernatoribus, & Præsibus, aliisque officialibus.

Omnia, pariter in ista Congregatione, gratis omnino explicantur, adeo ut magni, penèque incredibiles sint labores, quos isti Prælati in dictorum processuum studio, & relatione, aliisque negotiis peragens supportant, abique aliquo stipendio vel emolumento, quod neque indirectè per viam munerum obtineatur, sed pro frequentiori Regula candidissimè, insinuat *infra disc. 31.*

DISCURSVS XXVI.

De Sacra Congregatione boni Regiminis.

S V M M A R I V M.

- 1 De bonis directionibus Sixti V. & Clem. VIII. in Statu Ecclesiastico.
- 2 De erectione huius Congregationis, & ex quibus conflet.
- 3 Quod ista sit filia alterius Congregationis consulta.
- 4 De mala consuetudine nobilitum, & licentiarum vivendi super communitate.
- 5 Non possunt imponi gabella vel collecta sine licentia huius Congregationis.
- 6 De solemnitatibus de jure requisitis in alienatione bonorum Communitatis.
- 7 De quibus causis ista Congregatio cognoscat.
- 8 Est tribunal laicale inspecta eius originali natura, sed quod habeat, etiam jurisdictionem cum Ecclesiasticis, & quomodo.
- 9 De ratione ob quam ecclesiastici in Statu Ecclesie subjacent oneribus laicalibus.
- 10 Cum quibus communitatibus, vel locis se non ingerat.
- 11 De Agentibus communitatum.
- 12 De alia Congregatione Levaminum.
- 13 De commentariis super negotiis ad communitates pertinentibus.

Pro bono regimine economico Communicatum, quarum regimen civile politicum, commissum est Congregationi Consultæ, ut *disc. præcedenti*, Clemens VIII. Sixti V. pene immediatus successor (ob nimium breves tres Pontifices intermedios) eius vestigiis in plerisque inharendo, atque bonas arbores politicas ab eo plantatas, accuratè irrigando, & colendo; Unde propterea solidas fecerunt radices, multosque produxerunt bonos fructus pro publica quiete, rectaque iustitiæ administratione, eiusdemque iustitiæ debito timore, qui revera magis, quam benignitas pro hodiernis moribus, & fortè semper, est melior Reipublicæ gubernator, ac regulator; Istam instituit Congregationem,

2 gationem, quæ juxta præsentem flatum, adinstar dictæ alterius Congregationis Consulta, constituitur ex competenti Cardinalium numero vario, cum Secretario Pralato, qui Communitatum major director, ac regulator videtur, utpotè huic curæ penè totus additus, cum aliquibus competentibus emolumentis pro suæ sustentationis subsidio; Ac etiam ex pluribus utriusque Signaturæ Prælati, qui causas, vel negotia Communitatum, vel regionum inter eos distributarum proponunt in Congregatione, quæ pariter sub præfectura, seu præsentia est Cardinalis superintendentis generalis, qui subscribit literas, & decreta, aliasque provisiones ab isto Secretario scriptas, eodem modo quo de Consulta dictum est, adeo ut ista dici valeat illius filia seu adjutrix, ex eo quod, cum illa, omnia communitatum negotia à Sixto V. in eius erectione sibi commissa, explicare non possit, idcirco sibi retentis iis, quæ publicam quietem, ac regimen politicum, seu ethicum concernunt, huic alteri Congregationi, & economi- cum dimiserit.

3 Huius itaque Congregationis partes sunt, recognoscendi singularum Communitatum statum, eiusque præscribendi modum, seu formam æconomice administrationis, ut publica onera oportune supportentur, atque non fiant sumptus inutiles, minusque privati potentes suffocent imponentes, istos, juxta frequentem usum fere totius Orbis, gravando ad privatam utilitatem, cum collectis; Dum contributionibus ultra indigentiam, dum pene generalis consuetudo videtur virorum nobilium, & literatorum, se nutriendi cum pauperum, ac miserabilium sanguine, occasione administrationis Communitatis.

4 Quare non solum Magistratui ordinario, penes quem residet actualis administratio, sed etiam Magistratui magis generali representanti universum populum, cui Consilii generalis vocabulum tribui solet, cum administratione habituali, prohibitum est, gabelas, & collectas, seu contributiones indicare, absque huius Congregationis participatione, ac licentia, quæ non nisi causa bene cognita, præviaque diligenti cognitione status Communitatis, concedi solet, certam formam præscribendo.

5 Prout etiam alienationes bonorum stabiliū, vel æquipollentium, sive censuum impositiones vel aris alieni contractio, aliivè contractus, ex quibus perpetuum, ac notabile resultat præjudicium, fieri non possunt, absque eiusdem Congregationis licentia, quæ non nisi causa cognita, concedi solet, ita innovando juris communis dispositionem, circa Principis placitum, quod recensetur inter plures alias solemnitates, quæ in alienationibus bonorum Civitatis requiruntur, illud præstando per organum huius Congregationis, *tit. de alien. & contract. prohib. disc. 23.*

6 Occasione hujus solutionis collectarum, & contributionum, aliorumque onerum, stante istorum distinctione, seu diversa qualitate, inter ea, scilicet magis publica, quæ cum Principe supportantur, ideoque cameralia dicuntur, & alia, quæ magis de privato participant, & quæ dicuntur cõmunitativa, pro illius populi particularibus usibus communitatis, ob notabilem eorum differentiam, quod scilicet quam plures cives, & incolæ, vel exteri, bona possidentes, præsertim verò ecclesiastici, ab una onerum specie sunt exempti, non autem ab altera; Hinc frequentes resultant quæstiones & controversiæ disputari solitæ in ista Congregatione, cum consueto tamen aliarum Congregationum pluries

enunciato stylo summario, & extrajudiciali, acout formalis, & contentiosi Tribunalis speciem ita redoleat. *tit. de Regal. disc. 48. 57. & 92. & tit. de Regular. disc. 26. & in supplemento ad tit. de Regal.*

8 Eademque occasio produxit, quod quamvis, ad instar dictæ alterius Congregationis Consulta, ista percutiat regimen temporale, unde propterea, spectata eius origine, ac natura, sæcularis potius, quam ecclesiastici Tribunalis vel Magistratus speciem redoleat; Attamen cum in hoc principatu (cuius supremus regulator utrumque gladium in manibus habet) ecclesiastici; pluribus subjaceant laicalibus oneribus, à quibus in aliis principatibus, & ditionibus exempti sunt, ex illis congruis rationibus peculiaribus, quæ in Regalium sede insinuantur, occasione agendi de gabelis aliisque vectigalibus *tit. de Regal. disc. 55. & 56. & 57.* Hinc proinde Pontifex, aliquas facultates cum ecclesiasticis circa huiusmodi collectas, & contributiones ei communicare cepit, adeo ut paulatim, ac insensibiliter, ita quoddam Tribunal mixtum, in hoc genere causarum effectum videatur.

9 Eodem tamen modo, quo de dicta alia Congregatione Consulta dictum est, non se ingerit in communitate Urbis, quæ sub nomine Cameræ populi Romani explicatur, dum eius Administratores, qui Conservatores dicuntur, alique officiales, quando opus est, immediatum habent Papæ oraculum; Minusque se ingerit in Civitatibus vel provinciis, quæ per Cardinales Legatos reguntur, ut pariter de dicta alia Congregatione insinuat; Quinimò per aliquos Barones, & domicellos prætenditur, quod in eorum locis, & castris, ista Clementina Constitutio usu recepta non sit, ideoque Communitates, ipsorum Baronum, non autem huius Congregationis regimini ac directioni subjaceant; Verùm id certam non recipit regulam, cum totum pendeat à locorum particulari, & individua observantia.

10 Ut autem Communitatum negotia in Curia, tam apud istam Congregationem, quam apud alios Magistratus non negligantur, introductus fuit usus certi numeri Agentium Communitatum, cum distributione provinciarum, ut ita quilibet sciat quales sint sibi commissæ Communitates, quæ è converso pariter sciant quis nam sit suorum negotiorum gestor, quem certiorare debeant, Certo statuto stipendio, ex earumdem Communitatum, pro earum qualitate, proportionata contributione suppeditando; Optima quidem est, & commendabilis introductio; Sed quia nullum in hoc mundo datur bonum, quod alicui non subjaceat corruptioni; Idcirco quandoque praxis docet, quod istud munus, aliquibus minus idoneis, ad complacentiam collatam, potius ut provideatur persona, quam officium, ab eis retineatur in forma beneficii simplicis, unde propterea singulæ Communitates coguntur, alios habere particulares Agentes, seu negotiorum gestores; Pro frequentiori autem contingentia solent esse valde idonei ac diligentes, unde propterea referri solet fato habere magis vel minus idonei, quod in omnibus mundi rebus contingit.

11 Pro earum Communitatum, (sæltim pro majori parte,) nimis oppressarum, pro consueto effectu temporum quæ passa sunt tot calamitates utriusque belli divini & humani, ut nostra ætate universa Italia, immò universa Europa experta est; (& utinam magis infuturum non experiatur,] Clemens IX. cum magna applicatione, particularem Cardinalium,

RELATIO ROM. CURIÆ FORENSIS

lum, & Prælatorum, aliorumque peritorum viro-
rum, Congregationem instituit, quæ Levaminum,
appellata est; Verum siue ob pontificatus brevitatem;
Sive quia naturaliter est impossibile validum
ac robustum reddere illud corpus quod jam exanguis,
& amaciatum sit cum eisdem antiquis viribus
propriis, absque nova illarum refectione, quinimo
cum novis evacuationibus, vel emissionibus;
Idcirco nullus hucusque effectus visus est, cum impossibile
sit curare morbum contractum, nisi cesset
causa productiva eiusdem; Idque pendet à Dei
misericordia, restituendo scilicet pacem & tranquillitatem,
à qua pendet Communitatum restau-
ratio.

Super huius autem Clementinæ Constitutionis,
ac huius Congregationis praxi, commentaria ad id
proficua, aliasque instructiones edidit quidam
modernus Urbevetanus, qui dictum munus unius ex
Agentibus generalibus Communitatum aliquo
notabili tempore exercuit. *Cobell. ad Bull. boni
regimin.*

DISCURSVS XXVII.

De Congregationibus Aquarum,
Fontium, & Viarum; Et de plerisque
que aliis, quæ regimen temporale
Status Ecclesiastici concernunt,
nempe Confinium, & Annonæ, &c.
& similibus.

S V M M A R I V M.

- 1 De pluribus Congregationibus, quarum aliqua non sunt in usu.
- 2 De illis Annonæ, & grasciæ.
- 3 De impressione cameræli.
- 4 De Congregatione Viarum, & Pontium.
- 5 De Congregatione aquarum, earumque materia.
- 6 De quibus non referat inspicere in ista relatione, & de illius sine.
- 7 De Congregatione Confinium.
- 8 De altera reformationis Tribunalium.

1 **Q**UAM plures alias Congregationes, pro regimine principatus temporalis, in eadem Constitutione, eius *Const. 74.* Sixtus V. creavit, quarum aliqua non sunt in usu, & aliqua si sunt, attamen adeo raro fiunt, ut penè pro non extantibus videantur; Nempe classis maritimæ, seu triremium, dum istarum curam habent in Curia Thesaurarius generalis, & quidam alii ministri Cameræli; prout pariter non extat Congregatio studiorum vel sapientiæ, cuius administrationem, & curam habet Collegium Advocatorum consistorialis, de quo agitur infra, agendo de Advocatis, & Procuratoribus, aliisque Curialibus; Congregatio verò Annonæ, quamvis extet, adhuc tamen quodammodo, pro non extanti, in Curia haberi videtur, præsertim quoad forensiam, dum ea est sub regimine Præsæti, ut infra in eius particulari Rubrica adverteitur, *infra in eo discursu, in quo agitur de variis Præsædibus;* ubi insinuantur forenses quæstiones,

quæstiones, quæ coram eo super annonaria materia contingere solent; Idemque respectu Grasciæ Urbis, quæ regitur etiam per Præsædem, de quo pariter habetur in dicta Rubrica; *ibidem.* Unde propterea non nisi penuria temporibus audiri solet huius Congregationis nomen vel convocatio pro æconomicis potius, quam pro forensibus.

Prout etiam in usu non est Congregatio typi, seu impressionis cameræli, dum ad unum ex appellatibus camerælibus, ea redacta est, pro lucro, quod resultat à jure privativo imprimendi Constitutiones Apostolicas ac bannimenta, aliasque publicas provisiones, nec non Rotæ decisiones, & informationes, quæ pro causarum defensione dandæ sunt in Tribunalibus; unde propterea, cum res redacta sit ad mercimonium, seu appaltum, penè corrupta est antiqua Vaticana, adeo ut celebris impressio.

Item aliqua major eorum, ad quos pertinet, applicatio ex zelo desideranda videtur circa impressionem Bullarum, ut scilicet bene distinguerentur illæ Constitutiones, quæ respiciunt Principatum ecclesiasticum, seu regimen Ecclesiæ universalis, ab illis, quæ respiciunt Principatum temporalem, segregando eas, quæ non sint in usu, vel moderatæ; Ac etiam nõ permittendo impressionem aliquorum privilegiorum particularium, vel confirmationum aliquarum Constitutionum Religionum, cum similibus rebus, quæ isti operi nimium incongrue sunt.

Congregatio verò viarum, & pontium, quamvis vigeat, nimium tamen raro sit, adeo ut penè nota in Curia videatur, cum se non ingerat in Urbe, & districtu, sed pro reliquo statu; Unde propterea forenses controversiæ audiri solent in Tribunali Edilium seu Magistrorum viarum, & coram earumdem viarum Præsæde, qui jurisdictionem habet, & cognitionem huiusmodi causarum per universum statum extra districtum in prima instantia; In Urbe verò, & districtu in secunda & in gradu appellationis à præfatis Edilibus; alia verò instantia pertinet ad Tribunal Cameræ, ut in dictorum Edilium, & Præsædis particulari rubrica inferius habetur, ibique enunciatur forenses controversiæ, quæ in ista materia cadere solent. *Infra in d. disc. in quo agitur de Præsædibus.*

Aquarum verò Congregatio, ex aliquibus Cardinalibus, & Prælatis, cum mixtura aliquorum peritorum, constituta est; illaque vigeat quidem, sed raro habetur, eamque adesse in Curia causant solum continuæ controversiæ inter Bononicenses, & Ferrarienses, super diversione aquarum cuiusdam parvi fluvii seu torrentis, qui Rhenus dicitur, & qui ratione situs uni vel alteri territorio hyemali tempore, cum eius inundationibus præjudicia causare solet; Idque præsertim magis forte confoveret videtur illam amulationem inter has duas Civitates, quæ penè generalis, & connaturalis est ubique, & præsertim in Italia, inter respectivè magnas vel medias, aut parvas civitates adiacentes; Seclusa enim ista controversiarum occasione, quamvis in aliis partibus status ecclesiastici, & præsertim in ea, quæ Clanarum dicitur, à quibus inundationes Tyberis Urbis, & agro Romano, adeo præjudicialiter resultare solent, eadem controversiæ oriuntur; Attamen istud politicum seu prudentiale potius, quam forense negotium videtur; Forenses autem controversiæ, quæ inter privatos contingunt, super usu, vel diversione aquarum, tractantur coram Judicibus vel

in Tribunalibus ordinariis more aliarum privatarum forensium quaestionum, ut in materia servitutum advertitur, ubi de quampluribus causis concernentibus hanc materiam aquarum, *tit. de servitut. disc. § 2. cum seqq.*

Idemque dici potest de aliquibus aliis Congregationibus extraordinariis, vel ordinariis ignotis, quae habeantur pro eodem regimine temporalis; unde propterea parum imò nihil refert, eas diligenter inquirere vel referre; praesertim quia huius relationis finis vel effectus est, instruere forenses, quibus in Romana Curia contingat, causas peragere, ut sciat earum proprias ac meliores vias, & ne à malis iudicibus, vel negotiorum gestatoribus decipiantur; Ideoque dictas Congregationes, illaque Tribunalia refert examinare, in quibus negotia forensia, vel respectivè gratiosa agantur.

Adest quoque quaedam alia Congregatio, quae Confinium dicitur, constituta ex uno Cardinali, & ex Thesaurario generali, & Advocato, & Commissario Camerae, cum mixtura aliquorum Praetorum, pro Papae arbitrio, pro decidendis illis controversiis, quae inter Communitates, vel Barones oriri solent super confinibus territoriorum; Nimirum autem rarò teneri solet, adeo ut penè ignota pariter videatur; Ea tamen speciem judicialis, & contentiosi Tribunalis habere videtur, disputando formiter cum Advocatis, & Procuratoribus in contradictorio, & cum compilatione processus, super probationibus hinc inde in illis controversiis, (licet rarò) super ista confinium materia cadunt, ut quandoque practiciavi.

Adest etiam quaedam Congregatio super reformatione Tribunalium, & omni aeo Pontifices facere consueverunt; Ac praesertim, ultra antiquiores Constitutiones Alexandri VI. & aliorum habemus recentiores Pii IV. & Pauli V. cum quibus Tribunalia reguntur; Sed quamvis plurium annorum spatio de hac reformatione actum sit, & agatur, nihil tamen huc usque conclusum est.

DISCURSVS XXVIII.

De Congregationibus Baronum, & Montium, ac etiam Computorum.

SUMMARIUM.

- 1 Congregationes Montium, & Baronum sunt diversa, sed tractantur unita.
- 2 Ex quibus constituuntur.
- 3 An Auditor Thesaurarii habeat votum.
- 4 De Congregatione Baronum, & quale sit eius munus, & de quibus cognoscatur, & ubi tractetur de eius materia.
- 5 De Congregatione Montium, & de quibus cognoscatur, & ubi tractetur de eius materia.
- 6 De eisdem disputationibus Congregationis Baronum.
- 7 Qua die teneantur.
- 8 De Congregatione computorum.
- 9 Ad quem ab istis Congregationibus appellatur.

Congregatio Baronum, & Montium; Quamvis omninò diversa sint, diverso tempore instituta, diversaque agant negotia; Attamen adinstar cardinalitiarum Congregationum, Episcoporum, & Regularium, pro unica vulgò haberi videntur, eo quia ex eisdem personis constitutae sunt, eademque die, ac in eodem loco habentur, atque utriusque materiae negotia audiuntur, & decidentur.

Constituuntur etenim ex Thesaurario generali, qui est utriusque caput, seu Praefectus, & in cuius domo fiunt, nec non ex aliquo numero vario (pro Papae arbitrio) Clericorum Camerae, & ex Audite Thesaurarii, de quo sub Iudice lis est, an habeat votum decisivum vel consultivum tantum; Curialibus peritis in diversas abeuntibus sententias, super retracti temporis praxi, Recens autem & actualis praesente potius videtur, ut habeat quoque votum decisivum, quod cum aliis numerandum sit, pro resolutione capienda.

Cum autem de Congregatione Baronum, erecta pro exequutione, & observantia Constitutionis Clementis VIII. contra Barones, ut ad propria, vel eorum majorum debita dissolvenda cogantur, fideicommissis, & investituris, aliisque iuribus propriis non obstantibus, & quae Constitutio, vulgò Bulla Baronum appellatur, particulariter ac plenè actum sit sub materia feudali; Idcirco ibi de eius Instituto, & praxi, ac de quaestionibus cadentibus super eiusdem Bullae interpretatione, facile est videre, ne adeo longa superflua repetitio fiat eorum, quae jam dicta sunt, ac promptè in dicta sede habentur. *sub tit. de feud. disc. 73. & seqq.*

Quo verò ad alteram Congregationem Montium, pro ipsorum reductione, ac natura, & privilegiis pro libertate, seu commercio, pariter actum habetur in sede Regalium, quoniam cum sint iura cum Principe, inter Regalia merito recensentur; *tit. de Regal. disc. 23. & seqq.* Verum quia eorum rector seu curator est Thesaurarius generalis, sine cuius licentia, in judiciali vel conventionali commercio, ac distractione vel translatione de persona ad personam, non sunt; Idcirco super eorum translatione vel pertinentia, aut super creditorum concursu, & pralatione, sive super vinculorum deletionem, vel respectivè appositionem, frequentes in Curia audiuntur forenses controversiae, quae in forma judiciali, per ipsum Thesaurarium, vel eius Auditorem, examinantur, ac decidentur; Verùm aliquando, ubi agatur de casibus valde dubiis seu exemplaribus, ipse Thesaurarius exquirere solet votum Congregationis, in qua proinde, cum Advocatis & Procuratoribus, puncti in quaestione cadentes, disputantur in forma contentiosi Tribunalis; Atque in istis Congregationibus habetur idem usus contradictoriorum, qui habetur in Tribunali Auditoris Camerae, & in quibusdam aliis inferioribus Tribunalibus, vel coram Iudicibus particularibus, seu Commissariis, non autem in Sacris Congregationibus, vel in primariis collegiatis Tribunalibus, utriusque Signaturae ac Rotae & Camerae.

Frequentiores autem disputationes cadunt super negotiis pertinentibus ad dictam Bullam Baronum; Tam occasione plurium quaestionum, quae contingunt super eius interpretatione, ut supra; Quam etiam super avocationibus pecuniarum, quae creditoribus primò venientibus, ex pretio castrorum, & bonorum Baronum ab eadem Congregatio.

gatione solute sunt, cum solita cautione de restituendo prioribus, & potioribus; Ideoque ista Congregatio, quamvis more aliarum cardinalitarum, summarie, simpliciter, & de facto, more Principis potius quam Judicis procedat, absque necessitate servandi telam seu ordinem judicarium, cui iudices subjacent eodem in de feud. disc. 95. Attamen speciem Tribunalis contentiosi, & judicialis præ se ferre videtur cum proprio, ac particularem habet Notarium, ac sententias proferat, seu causas in forma judicialia disputet, ut latius in dicta sua peculiari sede.

Non habet autem diem certam ac determinatam, sed arbitrio Thesaurarii pro negotiorum urgentia convocari solet; Pro ordinaria verò seu frequentiori praxi habetur in die Martis.

Coram eodem Thesaurario, & in eius domo alia, pro negotiorum contingentia, haberi solet similitudinaria Congregatio, pariter constituta ex aliquibus Camera Clericis, & ex præfatis Advocato & Commissario Camera, nec non ex duobus eiusdem Camera ratiocinatoribus, qui vulgò Computista nuncupantur; Non tamen in ea intervenit præfatus Thesaurarii Auditor; Atque ad instar præfatarum aliarum Congregationum Montium, & Baronum in forma contentiosa, & contradictoria cum Advocatis, & Procuratoribus disputantur puncti, seu quæstiones cadentes in revisione ac solidatione computorum inter ministros camerales, & appaltatores sive administratores dohanarum, & gabellarum, aliorumque jurium, & appaltuum cameralium, super aliquibus partitis dari vel accepti; Frequentius verò super defalchis vel remissionibus, aut refectionibus, quæ pro appaltatorum stylo protendi solent; Sive super rationibus, quas reddunt Nuntii, & Collectores Apostolici, ac etiam ipsemet Thesaurarius generalis, sive Depositarius generalis Camera, juxta plures quæstiones, quæ habentur in regalium vel jurisdictionalium sedibus, *sub tit. de Regal. & tit. de jurisd. pluries.*

Ab huius verò Congregationis computorum resolutionibus appellationes interponuntur ad Cameram, tanquam à sententis vel decretis Thesaurarii iudicis primæ instantiæ, adeo ut ad instar enunciata Congregationis Montium Congregatio personam Assessoris vel Consultoris Thesaurarii illa gerere videatur; Hæc autem appellatio non datur à resolutionibus Congregationis Baronum, adversus quas alter non superest recursus, nisi ad Signaturam Papæ, seu Gratiæ.

DISCURSVS XXIX.

De Congregatione Visitationis Carceratorum.

SUMMARIVM.

- 1 DE visitatione generali, quæ gratiosa dicitur carcerum, quando fiat.
- 2 Quinam interveniant in visitatione carcerum Gubernatoris.
- 3 Et qui in illa carcerum Capitolii.
- 4 Quod agatur in hac visitatione quoad carceratos criminales.

5 De charitate erga debitores carceratos, & de eiusdem charitatis abusu.

6 De visitatione ordinaria, & continua in qualibet hebdomada.

7 De inconvenientibus, quæ resultant in popularibus ob securitatem, quæ illis datur à privata punitione.

8 Quod expediret punire in corpore aliquos debitores decoctos, & aliquando etiam aliquos creditores fraudulentos.

9 De alimentis quæ per creditorem præstanda sunt debitori carcerato.

10 Quid in Hebræis.

11 De aliis ad materiam pertinentibus remissivè.

BIs in anno, imminenti bus solemnitatibus, Nativitatis, & Resurrectionis Domini Nostri JESU Christi, habetur visitatio generalis, quæ Gratiola dicitur, illorum carcerum magis generalium, quæ esse solent communes omnibus Tribunalibus, sed pro majori contingentia dicuntur Gubernatoris; ac priusquam fieret transportatio ad locum, in quo nunc extant in via Julia, conspicio ad edificio constructo de mandato Innocentii X. dicebantur Turris novæ, sub cuius vocabulo apud antiquiores Criminalistas, vel Practicos eorum mentio habetur; Ac etiam aliorum carcerum existentium in Capitolio; Atque in istis Congregationibus generalibus gratiosis; quatenus pertinet ad dictos carceres magis communes & generales Gubernatoris, in quibus detineri solent illi, qui pro causis criminalibus, vel civilibus carcerantur de mandato Auditoris Camera, aliorumque Judicum, & Tribunalium, interveniunt, istam Congregationem constituentes; Gubernator Urbis; Auditor Camera; Præses carcerum, qui est unus ex Clericis Camera, juxta distinctionem officiorum, quæ præfato Tribunali Camera incumbunt, ut inferius de ipso agendo advertitur; *infra disc. 33.* Nec non Advocatus fisci, & procurator generalis fisci; Duo ex Locum tenentibus criminalibus Gubernatoris, Locum tenens Criminalis Auditoris Camera; Advocatus Pauperum; & duo Procuratores pauperum, unus scilicet deputatus à Papa, & alter à Congregatione Charitatis; Visitator carcerum secretorum; Commissarius remigum; Locum tenens criminalis Vicarii; Ac etiam interveniunt duo Prælati, qui sunt Præfati duarum piarum Congregationum, quæ vacanti huic pio operi protectionis, ac subventionis, & liberationis carceratorum, Congregationis scilicet, quæ dicitur charitatis; & alterius, quæ dicitur Pietatis carceratorum; Cumque munus Procuratoris pauperum ex nimia charitate plurium annorum spatio exercuisset Scannarola; Auctor operis, cuius titulus est de visitatione carceratorum, isque ad Episcopatum Sydoniensem in partibus, atque majora curiæ munia promotus fuisset; Adhuc tamen, ex nimia charitate eo id efflagitante, donec vixit; ex Pontificis mandato, in his Congregationibus, quinimò in visitatione currenti, seu ordinaria cuilibet hebdomadæ interveniebat, atque in dicto munere Procuratoris pauperum deputari curavit eius alumnus Zuffum auctorem operis de legitimat. process. qui sui magistris in charitate, & diligentia imitator fuit.

In visitatione autem carcerum Capitolii, interveniunt plures ex prædictis personis, quæ sedentes ab uno latere, unum corpus seu unam classem constituunt, nempe; Præses carcerum; Ducti duo Prælati Charitatis, & Pietatis; Advocatus pauperum; Advocatus fisci; Procurator fiscalis generalis; Et ducti duo Procuratores pauperum; Non intervenit autem *C. infra disc. 33.* ob quaestionem præcedentem cum Senatore, sive ex alia causa, bene tamen intervenit eius Auditor; Ab altero vero latere sedent personæ constituentes ipsorum Capitolinum, seu representantes Populum, nempe; Senator Urbis; Tres Conservatores; Duo Collaterales; Judex criminalis; Procurator fiscalis Capitolii; Et præfati Commissarii carcerum, & remigum; Omnibus vero in capite præest Gubernator Urbis in figura potius Vicecamerarii, hunc ordinem visitationis utriusque generis carcerum describit *Scannarola de visit. carcer. pag. 78.*

In his visitationibus generalibus gratiosis, aliqui carcerati criminales, quibus non obstat Pars offensæ, pro delictis non gravibus & exceptis, solent relaxari seu liberari Civilibus autem aliquæ majores sunt habilitates, quæ ut infra, in visitatione ordinaria, & currenti fieri solent; Notabilis vero liberatio sequitur, ob eximiam charitatem, quam respectivè adhibent dictæ piæ Confraternitates, concordando creditores, eisque de proprio solvendo debitum usque ad limites certæ summæ; Istaque charitas ex alias insinuata propositione, quod in hoc Mundo, non datur bonum sine corruptione, aniam præbet fraudibus, & occultis furtis, quæ pro meo seufu severe puniri deberent, quod scilicet aliqui perditii homines, collusive se fingunt debitores, & creditores respectivè, atque circa tempora huic visitationi proxima, affectatur carceratio, ut ita ea pecunia extorqueatur; Et quamvis plures adhibita sint, prudentes ac salutare provisiones, exactæque fiant diligentia per pios sodales, ut huiusmodi fraudibus occurratur, non tamen omnibus, ac omninò occurrì potest pro humana conditionis qualitate; Atque respectu carceratorum criminalium; Si sunt jam condemnati ad triremes, fit transmissio, & consignantur præfato Commissario remigum; Et quoad alios, demandatur iudicibus expeditio; Sive in eadem Congregatione deciduntur illa incidentia, quæ eandem expeditionem impediabant, aliæque oportuna sunt provisiones, cum nimia vigilantia, ut carceratorum oppressionibus ac injuriis vel fraudibus occurratur.

Ultra istas visitationes generales; Adest alia visitatio continua in qualibet hebdomada, quæ in die Jovis de mane, vel in casu impedimenti, post prandium fit per Gubernatorem, & per Præsidentem carcerum, & alios ex præmissis defensoribus; Istaque visitatio ordinaria, magis privata, prodest quidem respectu carceratorum criminalium, qui ob causas non adeo graves, vel quia processus sint jam compilati, detineantur publicè cum aliis, ut vulgo dicitur *alla larga*, pro eorum expeditione; Atque plures tunc summarie expediuntur cum exilio ab Urbe, vel respectivè à statu ecclesiastico intra certum horarum, vel dierum terminum, aliave impedimenta tolluntur, quæ expeditionem impediunt; Quo vero ad illos carceratos pro causis gravioribus, qui adhuc detineantur in secreta, eorum visitatio fit semel in mense.

Card. de Luca, Relatio Curie Romane.

Major verò occupatio, seu visitationis effectus consistit in carceratis pro debitis, quoniam, cum (ut præmissum est) non detur bonum sine aliqua parte mali, ob vigilantiam Papæ, eiusque officialium, super exacta administratione justitiæ, à maximo ad minimum, adeo ut non detur facultas potentibus, sibi ipsis jus dicendi cum privata auctoritate, cum minus potentibus; unde propterea in eodem catino comedunt, vel bibunt; Iagnus & lupus, producit malum petulantia, & fraudum, quæ committuntur per plebeos, aliosque perfidos homines, qui habentes genium ad furta & ad rapinas, ut cum eis vitiosam ac turpem vitam ducere valeant, territi tamen à rigorosa justitia, ita student truffis, contrahendo debita, ad quorum solutionem se agnoscunt non idoneos; Ideoque ut aliàs advertitur, pro meo seufu, seu verius juxta illud juris, & præsertim Constitutionis B. Pii V. contra decoctores, pro bono Republicæ gubernio, oportuum esset quandoque, ad aliorum terrorem, aliquos ex his debitoribus pro malitiæ qualitate præsertim recidivos, furcis vel triremibus tradere; Et quandoque etiam idem praticari cum illis creditoribus, qui cum stochis, & civantiis à filiis-familias, & in expertis, vel prodigæ naturæ adolescentibus magnas extorquent obligationes; Eis etiam conjungendo aliquos ex illis Notariis, & proxenetis, qui sunt huiusmodi implicitorum furtorum mediatores & operarii.

Confovet quoque huiusmodi truffas & fraudes, nimium benigna Romana Curie praxis, pietati quidem, ac etiam juris intentioni innixa, non tamen adeo de facili, ac generaliter praticanda, utpote aliquorum malorum productiva, super suppeditatione scilicet alimentorum facienda per creditores carceratis debitoribus, qui propterea libenter eam hilarem vitam cum aliis eiusdem generis sociis, ibi creditorum expensis ducunt, atque semel liberati, student alia debita contrahere, ut idem sequatur; unde propterea creditores duplex sentiunt damnum, duplicemque jacturam; Et per consequens quando agatur de debitis, in quibus creditor in bona fide sit, & excusabilis cum huiusmodi debitoribus, quos aliqua insperata infortunia non exculant, sanctius esset praticare aliquarum nationum antiquos rigores, qui apud Historicos leguntur, sive juris communis axioma, quod qui non habet in are, luat in corpore.

Cumque eadem Curie benignitas, ex eo proveniens, quod à Prælati & viris ecclesiasticis constituta sit, determinaverit, ut eadem alimentorum obligatio Christianis creditoribus incumberet erga debitores Hebræos, quasi quod isti dicantur cives, & de populo, atque potiri debeant privilegiis, ac favoribus per leges vel stylos inductis, quamvis æquitatis motivum habeant; *in de servit. disc. 70.* Atque Urbanus VIII. incongruum reputaret; ideoque ipsorum Hebræorum Universitatem ad hoc onus obligaverit; *in de usur. disc. 6.* Hinc proinde sunt frequentes fraudes, & collusiones, ob quas Christiani creditores potius severe puniri deberent, quoniam præsertim fundarii mercatores, illis Hebræis, quos sciunt pauperes ac minus idoneos, pro alterato pretio, credunt mercem à veritate vel à tincis attritas, sub hac specie, buod Universitas, ne alimentorum sumptum patiat, quandoque magis expedire

Expedire putant debitum solvere, vel aliàs cum creditore se concordare.

¶ I Frequentes autem oriri solent controversiæ jurisdictionales; Vel principaliter pro majori competentia fori, Vel incidenter pro validitate actorum & præsertim executionum, & subhaftationum, inter dictum Præsidentem carcerum, & Judices ordinarios, à quibus relaxata fuerint mandata, quorum vigore carceratio sequuta sit, aliaque incidentia resultant super quibus, magis verò, ac potissimum pro causis criminalibus, de quibus meum non est agere, utpotè extra propriam spheram, amplum edidit volumen supra enunciatus Scannarola, cui titulus est de visitatione carceratorum, ubi de plerisque videri poterit, ad hanc materiam visitationis carcerum spectantibus, & de quibus raro qualificatis Advocatis in Curia agere occasio suppedit, cum sint negotia Curialium spheræ minoris ac diversæ.

DISCURSVS XXX.

De Tribunali Signaturæ Papæ, quæ Gratiæ dicitur.

S V M M A R I V M.

- 1 DE antiquo statu Signaturæ.
- 2 Quot & quales erant Referendarii.
- 3 De antiquis eorum prærogativis.
- 4 Quod esset munus lucrosum.
- 5 Quid contineat Signaturæ gratiæ.
- 6 Quando fiat, & cum quorum Cardinalium interventu, & quomodo.
- 7 Quinam Prælati, & Officiales interveniunt.
- 8 Quomodo commissiones proponantur.
- 9 Quomodo votentur, & quando.
- 10 An, & qui loquantur ultra votantes.
- 11 Quot commissiones in totum proponantur.
- 12 De commissione appellatione remota.
- 13 Ex qua causa id concedatur.
- 14 Clausula appellatione remota intelligitur de frivola.
- 15 De cumulatione petitori cum possessorio.
- 16 De commissione pro rejectione attentatorum.
- 17 De aperitione oris.
- 18 De eodem, & de duplici specie.
- 19 De sanatione censuum.
- 20 De sanatione aliquorum defectuum, & quando intret.
- 21 De sanatione defectuum judicialium, & præsertim citationis.
- 22 De restitutione in integrum adversus rem judicatam.
- 23 De questionibus competentie fori, & de aliis ad hanc Signaturam.

- 24 Papæ declarationi in signatura defertur.
- 25 De causis appellationum à Consilio Religionis Hierosolymitana.
- 26 Quare istæ commissiones non signentur nisi per signaturam gratiæ.
- 27 Declaratur, in quibus causis id procedat.
- 28 De recurso ad signaturam, & concessione super sefforæ.
- 29 De modo informandi signaturam gratiæ & Papam.
- 30 Adversus resolutiones non solet dari nova audientia.
- 31 De commissionibus gratiosis.
- 32 De commissionibus, quæ signantur in Camera.
- 33 De modo rescribendi Iudici cum clausula arbitrio.
- 34 Quid id operetur.
- 35 De differentia inter rescripta Signaturæ gratiæ, & justitiæ.
- 36 Quod sit opportunum habere frequenter signaturam, & de ratione.
- 37 De Præfeto huius Signaturæ.
- 38 In quibus signatura Gratiæ se non ingerat.

Nimium longa, & inutilis digressio esset, recensere Tribunalium utriusque Signaturæ introductionem, ac distinctionem, earumque antiquum stylum, seu praxim valde diversam, dum ex supra insinuat, præsertim agendo de Datario, & Dataria, quam plura negotia gratiosa, vel quæ alias per organum Datarie, cum supplicationibus Papæ manu signatis nunc expediuntur; Immo & quam plura alia ad regimen temporale pertinentia, quæ per organum Thesaurarii generalis, vel aliorum officialium explicantur, cum chirographis Papæ manu signatis, cadebant sub hoc genere Signaturæ præsertim Gratiæ; Etiam ea, quæ explicantur in Consistorio per organum, seu ministerium Vicecancellarii.

Minusque habebatur usus simplicium Referendariorum in tam copioso & effernato numero Prælatorum cuiuscumque generis personarum, ut de præfenti, fortè sub alicuius reformationis necessitate habetur, adeo ut status prælatitius quodammodo vilescere incipiat, & cum ea contradictione inter Prælatos votantes, & alios, qui ad differentiam dicuntur simplices Referendarii, quoniam aderant solum illi, qui gerebant eas partes, quas hodie gerunt votantes in quodam præfinito, nimiumque moderato numero, qui neque ad hodiernum solum votantium ascendebat; Atque hinc sequebatur, quod in magna erat existimatione, magnisque potiebantur præ eminentiis, & prærogativis, etiam supra Prothonotarios, ac Rotæ Auditores, & Camera Clericos; Et merito quidem, cum essent Papæ collaterales, ac immediati Consiliarii.

Item antiqui Scriptores præsupponunt, quod hoc munus notabilia præ se ferret emolumenta, licita & publica, ultra alia considerabilia, quæ producebant munera, quæ utpotè in esculentis & poculentis consistencia licita reputabantur; *Gomes in compend. utriusque Signaturæ post quæst. 16. in regul. de non judican.*

judican. juxta form. supplicationis. Et tamen hodie istud munus Votantis utriusque Signaturæ nullum penitus producit emolumentum, minusque fortè ex-istimationem considerabilem, nisi circa aliquod, tale quale litigantium, vel Curialium inferioris classis obsequium, pro aliqua benevolentia captanda, adeo ut reputetur in Prælatis infortunium, ad istud munus pervenire; Talis est rerum mundi vicissitudo, ac temporum immutatio.

Attento igitur hodierno statu (cum de antiquo, curiosus ab illorum temporum Scriptores de facili inspicere valeat;) Utriusque signaturæ Tribunalia inter se distincta sunt, quorum unum dicitur Signaturæ Sanctissimi, seu Gratiæ, quod sonat in idem; Et alterum dicitur Signaturæ Justitiæ.

De primo autem in præsentia agitur, de altero autem *disc. sequenti*; Atque quatenus ad illud pertinet, continet quandam publicam seu solemnem functionem, seu Congregationem, quam ipsemet Papa per quandam speciem parvi Consistorii in eius palatio tenet, pro discussione aliquarum precum vel supplicationum, quæ sibi porriguntur, an scilicet, & quomodo eas signare, vel potius recipere debeat; Siquidem, juxta consuetum Curie ordinem, qui ad Papæ placitum est variabilis, eodè modo, quo de Consistorio dictum est, bis in mense, & sic alternatis hebdomadis, inter Consistorium, & hanc Signaturam, feria tertia, quæ Martis vulgò dicitur, de mane, in una ex aulis inferioribus palatii. Papa sedet, quadam parva tabula ante ipsum posita, cum atramentario, aliisque instrumentis oportunitis ad scribendum, & subscribendum, eique à duobus lateribus, assistunt aliqui Cardinales in numero competenti pro eius arbitrio huic Congregationi adscripti, sedentes in scabellis capite cooperto ad formam Consistorii; cum ea tamen differentia, quod in Consistorio assistunt cum habitu magis solempni, nempe cum cappa supra rochetum; In ista verò Congregatione, prout in aliis omnibus supra enunciatis, quæ fiunt coram Papa, assistunt cum consueto habitu, quo utuntur incedendo per Urbem, nempe cum rochetto, mantelleta, & mozzetta, sine tamen pallio, quod in actis privatis deferunt; Cardinales verò nullum proferunt votum, nisi quatenus eorum aliqui per ipsum Papam interrogentur, quod nunquam, vel nihiùm rarò contingere solet, respectu illorum Cardinalium, qui non ratione officii interveniunt, sed solum ut præstent assistentiam Papæ pro eius majestate; Loqui autem solent ex officio, vel interrogati, illi Cardinales, qui in Signatura interveniant ratione officii; unde propterea eis incumbat certiorare Papam de aliqua circumstantia in causa, quæ pertineat ad eius officium, vel Tribunal-ut (ex. gr.) sunt Cardinales Vicarius, & Camerarius, Præfectus Signaturæ justitiæ; Ac etiam Præfecti Congregationum Cardinalitiarum, de quibus supra, eodem modo quo habetur infra de illis Prælatis, qui ratione officiorum, vel Tribunalium assistunt; Et est quoque Datarus, quando sit Cardinalis.

Post Cardinales stant, capite discooperto, cum rochetto, mantelleta, & bireto in manibus, illi duodecim Prælati seniores, qui votantes dicuntur, tanquam Papæ assessores, vel consilarii, eorum votum prolaturi, quatenus Papæ placeat ac videatur illud exquirere; Ac etiam assistunt, pariter stantes, & capite discooperto, eodem prælatitio habitu in-

Card. de Luca. Relatio Curie Romanæ.

duti, quam plures Officiales; nempe, Auditor Cameræ & Thesaurarius, qui stant proximiores Papæ, post eius sedem, unus à dextris, & alter à sinistris; Item Datarus, si est Prælatus; Decanus Rotæ, vel eo impedito, Prodecanus; Decanus Cameræ, vel eius loco Prodecanus; Vicesgerens Vicarii; Unus Protonotarius; Duo locum tenentes Auditoris Cameræ; Regens Cancellariæ; Unus ex Abbreviatoribus de parco majori; Et Auditor Camerarii; Et in summa illi Prælati, qui sint in Curia, iudices ordinarii, sive de aliquo Tribunali, ad effectum, ut quando tractetur de causis, ad illud Tribunal pertinentibus, certiorare valeant Papam, eiusque Assessores de causa statu, vel de motivis, ex quibus facta vel non facta sit aliqua provisio, adversus quam una Partium ad Papam recurrat.

Ultra istos Prælatos, assistunt plerique alii, nempe Auditor domesticus Papæ, tanquam eius adjutor in causarum studio jam factò, beneque informatus, ut contingente in relatione, vel discussione cause, aliqua facti dubitatione, possit ipsum Papam certiorare; Ac etiam interveniunt illi tres Prælati, qui ad differentiam seniorum habentium, votum qui propterea, ut supra, appellantur Votantes, dicuntur simplices Referendarii, qui causas vel commissiones proponere debent; Prout etiam introducuntur illi tres Prælati, qui juxta ordinem turni, proponere debent causas in proxima sequenti Signatura, nullam peragentes functionem, sed ad solum effectum, ut instruantur ad illam functionem bene peragendam.

Singuli itaque dicti tres Prælati, juxta eorum ordinem, approximantes tabulæ, quæ est ante sedem Papæ, eidem (ea qua decet reverentia, & humilitate,) ordinatim singulas sibi distributas, vel incumbentes commissiones proponunt, referendo quo brevius fieri potest, latino eligenti, sed laconico sermone, facti seriem, ac oratoris petitionem & oppositoris exceptiones, absque tamen proprii voti prolazione; Hisque peractis, in qualibet commissione; Vel Papa, nullum exquirendo votum referibit de refectione cum consueto verbo *nihil*; Vel de signatura cū clausulis sibi benevisis, unde propterea proceditur ad propositionem alterius commissionis; Aut quando ipsi placeat, desuper à dictis duodecim Prælatis exquirat, votum, quod prius proferatur à dicto Prælato, qui commissionem proposuit [& qui propterea Ponens appellatur] deinde quæ præfatus duodecim Votantibus, inter quos, more Tribunalium collegiatorum, votorum discordia, vel disputationes, pro cause discussione haberi solent, proferendo pariter votum quò brevius fieri potest, cum eodem eleganti, & laconico latino sermone; Et postquam numeratis votis prodierit resolutio à majori parte, tunc in arbitrio Papæ est, illud votum sequi, vel non sequi, aut diverso modo rescribere; Sive tunc non rescribendo, sibi reservare resolutionem dandam in Camera, per organum Auditoris, dum istud est votum merè consultivum.

Et quando in singularum commissionum propositione, vel discussione, contingat, ut aliquis ex dictis Cardinalibus, qui interveniunt, nomine sui Tribunalis, vel ad Papæ interrogationem, vel ex officio ad sui Tribunalis defensionem, sit alloquutus, id agit, petita prius venia, ac stando, & capite discooperto, eodem modo, quo iidem Cardinales, singulariter alloquuntur Papam in Consistorio

istorio; Si verò fant praelati, petita etiam venia, cum majori reverentia, & obsequio, alloquuntur genuflexi.

In isto autem congressu, proponuntur in totum triginta commissiones; Decem scilicet per quemlibet Praelatam, ex quibus distributivè, quinque sunt super causis contentiosis, altera Parte audita, & contradicente; Et quinque sunt super negotiis merè gratiosis absque contradicente.

Ex genere contentiosarum sunt illa petitiones, super quibus, ob juris dispositionem in contrarium, sive ob defectum potestatis Magistratum, & Tribunalium, non nisi Papa tanquam supremus Princeps referre potest, ideoque ista proprie dicitur audientia Principis; Puta committendo causam aliàs de sui natura appellabilem, cum clausula *appellatione remota*, dum non nisi ad Principem, eiusque supremam potestatem pertinet, appellationem tollere, ac dispensare legibus, quae illam concedunt, ideoque proponuntur, ac discutuntur causae, ex quibus id concedendum sit, nec ne; Quamvis etenim in omnibus iis, quae à jure positivo pendent, atque directe non ferunt, jus divinum, vel naturale, ex magis recepto professorum fori externi sensu, suprema & absoluta sit Papae potestas dispensandi, vel derogandi etiam sine causa *supra discurs. 2. & tit. de Regal. disc. 148.* Nihilominus id fieri non debet, nec solet, quando iusta causa non accedat; ideoque examinantur causae, & quae iustae reputentur, nempe; Arcta sanguinis conjunctio; Petentis paupertas; Magna causa pietas; Motivum sedandi inimicitias, vel occurrendi scandalis; Vel petentis gravis aetas, quando de iuribus merè personalibus, ac vitalitiis agatur, ut in causis beneficialibus frequens praxis docet; Ideoque ipsi defensores decantare solent propositionem, quod appellatio est species defensionis, quae tollenda non est; Id autem certam non habet regulam, cum totum pendeat à Papae libero arbitrio, quod à singulorum casuum circumstantiis regulari solet.

Sunt item commissiones appellationis quae porriguntur à Judicibus, vel tribunalibus, quibus causa ab eodem Papa comissa fuerit (ut supra) appellatione remota, quoniam cum ista clausula intelligenda veniat de appellatione frivola, & quae probabile iniustitiae, vel gravaminis motivum non habeat, *tit. de iudiciis in disc. in quo agitur de appellatione.* idcirco discutitur, an denuò de appellatione referri debeat, & an ad utrumque effectum, devolutivum, & suspensivum, vel potius ad solum devolutivum, non impedita interim executione, pro causarum qualitate, earumque circumstantiis, adeo ut pariter non detur certa regula.

Recurrit etiam solet ad hoc Tribunal pro obtinendo cumulationem possessorii cum petitorio super quo pariter discuti solet, an accedat iusta causa, sine qua regula est, ut id concedi non debeat; Iustaque causa reputari solet; Vel ipsius possessionis turbiditas; Vel bonum jus nimium clarum petitoris; Vel diu intermissa, seu neglecta possessio; Aut ratio scandalorum, vel inconvenientium, cum similibus. *tit. de iudiciis agendo de ista cumulatione, & de iudiciis possessorii.* Prout etiam peti solet rescriptum pro rejectione, vel suspensione purgationis attentatorum, vel spoli in sine litis, ex aliqua iusta causa, sine qua id est denegandum; Puta ratione paupertatis; Aut clari boni juris, adeo ut intrinseca aequitas prohibitoria inanis circuitus; Sive turbiditas attentatorum, quae dolosa dici non valeant, atque à bono

11

12

13

14

15

16

jure pendeant, cum similibus. *eodem tit. de indic. agendo de attentatis, disc. 18.*

Pro frequentiori contingentia, ad hoc Tribunal recurri solet, pro removendis obstaculis, quae praebantur per clausulas praediciales in literis Apostolicis apponi solitas, ut sunt, clausula *sublata* & decretum irritans; Sive quod de subreptione vel defectu intentionis, dari non valeat, dum per istas clausulas (ut Practici dicunt) clauditur os, atque ligantur manus, tam Judici, quam Parti, ideoque recurritur pro obtinendo oris aperiitionem.

Quamvis etenim de stricta juris censura, plerique dentur casus, in quibus ex huiusmodi clausulis, dictus effectus non resultet; Vel scilicet ex capite non comprehensionis; Aut ob defectum intentionis, (quando etiam de hoc cognosci prohibitum non sit.) Adhuc tamen, pro frequentiori Rota, aliorumque Tribunalium stylo, dum Papa est praesens, atque facilis est recursus ad eum, ob quamdam reverentiam, Tribunalia abstinent atque remittunt Partes ad Sanctissimum, *eod. tit. de iudic. disc. 20.*

Duplicis autem generis sunt huiusmodi petitiones; Aliae quidem sunt, quae fiunt pro sola aperiitione oris adversus clausulas praedictas, ad effectum obtinendi habilitationem impugnandi, prout de iure ea, quae continentur in literis habentibus istas clausulas, ipsius gratiae, vel provisionis substantia intacta remanente, quatenus aliàs de jure valida sit; Atque huic petitioni nimium de facili annui solet, cum ita non tollatur jus alteri Parti quaesitum.

Aliae verò sunt petitiones reductionis ipsius gratiae, vel provisionis, ad terminos juris, eam de medio tollendo, ac si non emanasset, adeo ut tangatur gratia principalis substantia, atque ita tollatur jus per eam quaesitum alteri Parti; Et tunc magis circumspicere, ac mature proceditur, atque non nisi ex magna, nimiumque iusta causa id concedi solet, ideoque magna dignoscitur differentia inter unam petitionem, & alteram. *ibidem.*

De pluribus etiam in hoc Tribunal agitur, super quibus non nisi supremi Principis potestas est referendi; Puta circa sanationes aliquorum defectuum vel nullitatum, quas patiantur contractus; Ut praesertim, pro frequentiori praxi, contingit in censibus, qui contracti sunt, non servata forma praescripta per Constitutionem Pii V. unde propterea recurri solet pro sanatione, quae pro frequentiori stylo conceditur, cum clausula *constitudo de vero creditur*; Quoties tamen defectus proveniat ab omissione huius formae de novo introductae; Secus autem ubi ex infectione usurarum, vel ex alio substantiali defectu proveniente ex intrinseca natura contractus, ut latius in eius particulari sede, ubi de pluribus ad materiam huius sanationis, eiusque effectibus, illo praesertim retrotraCTIONIS pro fructibus medi temporis; Et ubi res non sit integra, quia nempe per sententiam census declaratus fuerit invalidus, an haec sanatio concedi debeat, nec ne. *tit. de censib. disc. 3.*

Item pleraque aliae sanationes defectuum accidentalium concedi solent; Puta, in actibus extrajudicialibus; Illae archivationes instrumentorum vel apocarum, quae ad formam alicuius Constitutionis, vel Statuti facta non sit, cum similibus; Sed quoniam, ut plurimum, Causidici merè practici, omnia

omnia scientes per traditionem non de facili investigant; Hinc propterea sequitur, quod capiendū generaliter istum terminum sanationis in omni materia, petere quoque solent sanationem illorum contractuum, qui per minores, vel per mulieres aut filios familias, & similes inter sint. non servata forma legum municipalium seu Statutorum, adeo frequentium in Italia, unde propterea declarantur nulli ipso jure, nullamque actionem vel obligationem patiunt ex deductis in sua peculiari materia *tit. de alienat. & contract. prohib. pluries*. Verum in facti contingentia, pluries hanc petitionem rejici obtinui, quoniam ista nullitas provenire potius dicitur à naturali, vel substantiali defectu consensus, quem lex ita presumit, ideoque esset dispensare super defectu naturali, & circa substantialia consensus faciendū debitorem cum, qui non sit; Et consequenter termini sunt valde diversi.

De sanationibus quoque aliquarum nullitatum in processibus, & actibus judicialibus agi solet; Et præsertim nullitatis, quæ proveniat ex defectu citationis, circa quam procedi solet cum eadem distinctione, quod scilicet; Aut defectus est naturalis, & de facto, quia nempe nullatenus Pars citata sit; Et tunc sanatio non concedatur, cum sit defectus juris naturalis; Aut verò defectus est in accidentalibus tantum, quia nempe citatio verè ac naturaliter adsit, sed non servata quadam forma vel solemnitas à lege communi, vel municipali, sive à stylo inducitur; Aut quod agatur de incidentibus, & tunc id concedatur, ita temperando potius quemdam in discretum legis positivæ rigorem, qui litigantium calumnias frequenter confovere solet; Ideoque non est materia, quæ certam recipiat regulam, cum totum pendeat ab arbitrio ex facti circumstantiis regulando. *tit. de iudic. disc. 9.*

Illā restitutio in integrum adversus rem iudicatam, vel tres conformes, sive adversus aliud obstatulum, quæ de jure vel stylo per iudices & Tribunalia concedi non potest, vel non solet, in hac Signatura quoque peti solet, atque variè rescribitur, modo concedendo modo denegando pro facti qualitate, & circumstantiis.

Quare ad istum præsertim effectum, ac ad alios supra enunciatos, & præcipuè ad illum aperiitionis oris, vel alterius habilitationis, instituti, vel instaurandi litem, quæ aliàs absque Principis rescripto silere deberet, inglevit commendabilis stylus disputandi formiter de meritis negotii principalis, ut dici solet, pro gustu, ad effectum scilicet dignoscendi, an orator bonum jus foveat, vel saltem eius vehementem fumum præbeat, Ex ea congrua ratione, quod partes Principis sunt reserare lites, aut illis occurrere, ne oriantur, quando ratio oppressæ iustitiæ aliter non suadeat; Ideoque de ista gustare debet.

Super competentia fori, de qua pro Tribunalium, & Judicum qualitate Signatura Iustitiæ cognoscere non potest, in hac Signatura Gratiæ agit, præsertim circa avocationes causarum à Sacris Congregationibus, ut remittantur ad Iudices ordinarios, vel è contra, ut causæ alicui Congregationi remitti debeant; Sive ubi agatur de illis iudicibus vel Tribunalibus, quæ non subjaceant dictæ Signaturæ Iustitiæ; Ut (Cex. gr.) sunt Tribunalia Cameræ, & Camerarii, ac Theaurarii, aliorumque Præsidentum, & officialium Cameralium, ac etiam Tribunal Fabricæ; Atque sunt Archipræsbyteri Basilicarum, & quam plures Protectores, vel Judi-

Card. de Luca. Relatio Curie Romanæ.

ces particulares privilegiati; Ac etiam Cardinales quibus porriguntur solum commissiones signatæ manu Papæ; Et generaliter omnes illi Iudices, qui jurisdictionem metiantur ex eadem specie, seu qualitate commissionis Signatæ manu Papæ.

Prout etiam circa facultates, ut procedi valeat ad subhasationem illorum bonorum, ad quæ creditor in remedio salviani immisus fuerit, quando bona sint talia quod infra decennium satisfieri non valeat de eius credito; Aut ubi agatur de unione plurium causarum coram uno, illas ab aliis Iudicibus avocando; Et in summa super iis omnibus, in quibus Iudices ordinarii, & Tribunalia providere non possunt, adeo de jure, vel de stylo necessaria sit potestas Principis.

Super declaratione quoque aliquarum Apostolicarum Constitutionum, vel aliarum provisionum, vel decretorum Apostolicorum, recurri solet ad hanc Signaturam, atque super hoc formiter rescribi non solet super commissionibus, sed oretenus Papa respondet, unde propterea recepta conclusio est, quod declarationibus, quæ per Papam oretenus fiant in plena Signatura Gratiæ, deferendum venit, eam sine aliqua scriptura, cum sit species notorii. *tit. de fidei commiss. disc. 155. & tit. de Regular. disc. 37. & alib; sepius.*

Generaliter quoque in hoc Tribunali signantur, ex quodam recepto stylo omnes commissiones, quæ concernant causas Hierosolymitanæ Religionis; Vel scilicet inter ipsam Religionem, & illos qui per eam rejehti, prætendendo se gravatos, appellant ad Papam eiusque Curiam Romanam, atque petant committi causam appellationis, vel restitutionis in integrum in Rota, vel in alio Tribunali *tit. de præminent. disc. 32. & seqq.* Sive ubi aliquis professus, post quinquennium reclamare velit adversus professionem, unde propterea ad præscriptum Concilii Tridentini indigeat restitutione in integrum, quoniam in aliis Religionibus (ut superius agendo de Congregatione Concilii advertitur) huiusmodi commissiones dirigi solent dictæ Congregationi Concilii, eiusque consultationi absque alia discussione coram Papa, eiusque Signatura; secus autem in ista Religione, *tit. de Regular. disc. 45.*

Aut ubi agatur etiam de causis, & controversiis particularibus inter ipsos milites, vel cappellanos, sive servientes, contententes de illis commendis, & dignitatibus, ratione antianitatis, vel benemerentiæ, juxta ea, quæ in rerum beneficiorum sede insinuantur, cum similibus. *tit. de benef. disc. 68. & 69. & in supplementis.*

Istius styli introductio sequuta fuit ex eo, quod per privilegia huic Religioni concessa præscriptus est appellationum ordo, quod scilicet à Consilio Ordinario tanquam Iudice primæ instantiæ, appellandum est ad Consilium Completum, & ab isto ad Capitulum generale, neque ulterior detur appellatio, unde propterea antiquioribus temporibus ista Religio prætendebat, quod ita, neque appellari posset ad Papam, eiusque Curiam, sed causæ egridi non possent religionem; Verum hodie firmiter receptum est, ut ista prohibitio intelligenda veniat de aliis superioribus, & Iudicibus appellationum non autem de ipso Papa, cum hac appellatio nunquā sublata censenda sit dicto *tit. de præminent. d. 32. & seqq. & t. de iudic. in rubrica appellationū disc. 37.* Adhuc tamen quæstiones super sunt super ista, gradualitate, vel ordine, & an hæc appellatio inter-

interponi possit omissio medio; Atque praxis rationabiliter recepit, ut negligatur ultimum medium Capituli generalis, ob eius incertitudinem, ac notabilem distantiam, cum huiusmodi causæ pro majori parte sint personales, & super iuribus vitalitiis; Non solet autem negligi primum medium Consilii Completi quamvis aliquando ex causa etiam omissio isto medio concedi soleat commissio in Rota, ut alibi advertitur, *disc. 34. de præminent.*

27 Id autem procedit in causis, quæ concernunt ipsam Religionem eiusque professores, adeo ut Magni Magister, eiusque Consilium respectivè processerit tanquam eiusdem Religionis Generalis, & Prælati, atque in illis, non solum in Signatura disputari solet de omissione mediæ ut supra; Verum etiam de modo rescribendi, & an ad utrumque effectum suspensivum, & devolutivum, vel ad devolutivum tantum rescribendum sit, stantibus eiusdem Religionis Statutis suspensivam appellationem denegantibus, ubi præsertim agatur de dignitatibus, quæ aliquam annexam habeant administrationem; Secus autem ubi procedat Magni Magister tanquam Princeps secularis, cum huiusmodi causæ ad Curiam devolvantur. *tit. de benef. in supplemento, & tit. de iudic. in Rubrica appellationum disc. 37. & tit. de iurisd. disc. 69. & in supplemento.*

Quatenus verò pertinet ad huius Tribunalis preparatoria, seu ordinatoria; Illi qui ad Papam in Signatura recurrere intendunt, in huiusmodi causis contentiosis, & præsertim ad effectum impediendi executionem, vel ulteriorem causæ progressum, recurrunt ad præfatum Papæ Auditorem domesticum, à quo petunt sibi decerni locum inter dictas quindecim commissiones, atque interim mandari superfederi; Idque concedi, vel denegari solet, pro qualitate causarum, ac pro Pontificum, eorumque Auditorum vario stylo ideoque certa & uniformis regula de super statuta non est; Pendente autem hoc recursum est suprascedendum, seu abstinendum in reverentiam, atque alias gesta reputantur attentata usque ad primam Signaturam. *dicto tit. de iudicis disc. 18. ad materiam attentatarum.*

29 Cumque ista Congregatio teneri soleat die martis, ideo Papa, die dominico de mane, & quandoque antea, pro vario Pontificum stylo, dicere solet se velle eam tenere, unde propterea eadem die dominica informantur Prælati votantes, ad effectum ut intermedio die Lunæ, causarum studio vacare valeant; Die verò Lunæ, pro antiquo & consueto stylo, informari solet ipse Papa, quamvis aliquando, pro eodem vario Pontificum stylo, informetur etiam die dominico; Unde propterea in aula consueta audientia, sedendo, audit Advocatos, & Procuratores, qui informant genuflexi; Secluso autem isto reverentia obsequio fit informatio cum omni libertate, eo more quo informantur omnes alii iudices, ipsique Papæ benignissimè, & familiariter motivanti replicatur, atque generaliter discurretur, prout cum aliis iudicibus fit; Singulariter autem quilibet defensores pro sua causa id agunt sine forma contradictorii, iuxta stylum informandi Rotam, & Cameram, vel Congregationes Cardinalium, aliaque Tribunalia.

30 Illius Signaturæ stylus, quod adversus resolutionem jam factam non conceditur nova audientia, ut faciat Signaturæ iustitiæ, atque de stylo testantur etiam antiqui scriptores *Gomes. in compend. Signaturæ ad regul. de non iudicando post quest. 16.* Licet ali-

quando pro Papæ arbitrio, à quo totum pendet, soleat hæc audientia concedi; Et hæc quoque commiffiones vel causas contentiosas.

31 Aliæ verò quindecim commissiones, hoc est quinque, quæ per quemlibet Prælatum proponuntur, sunt gratiosas id est, quod nullum habent contradictorem; Ut (exempli gratia) sunt, Commutationes ultimarum voluntatum; Relaxationes aliquorum onerum; Applicationes subsidiorum dotialium, quæ præstari debent pauperibus puellis, ad favorem conjunctarum testatoris, in aliqua majori summa, cum similibus, in quibus non cadit regula, cum totum pendeat à Papæ arbitrio, neque de super pro frequentiori stylo votum Prælatorum exquiri solet.

32 Super præmissis negotiis, tam contentiosis, quam gratiosis, per Papam, extra hanc solemnem Congregationem, signantur commissiones, vel supplicationes in Camera eodem modo quo signantur, quotidie tot supplicationes negotiorum Datarie; Verum ad plenam Signaturam remitti solent illæ commissiones, quæ probabilem habeant dubietatem, an signari debeant, nec ne, super modo signandi, vel rescribendi, adeo ut congrua reputetur earum formalis discussio in publica, & plena Signatura, cum voto dictorum Prælatorum.

33 Quinimò frequenter, neque ista discussio sufficiens reputari solet, unde propterea, non concedendo, neque negando id quod petitur, id remitti solet Tribunali, vel Judici appellationis, cum illis clausulis, de quibus agitur magis distinctè, *disc. seq. agendo de Signatura Iustitiæ ad evitandam eorundem superfluum repetitionem.*

Pro qualitate vero negotiorum spectantium ad istam Signaturam Gratia, circa concessionem aperiendi oris, vel restitutionis in integrum, sive cumulationis possessorii cum petitorio, aut refectionis vel suspensionis attentatarum, vel super sanationibus, rescribi solet, cum clausula *arbitrio*, id est, quod Tribunal, cui causa principalis committitur, vel in quo jam introducta sit, ac pendeat, videat an id, quod petitur sit concedendum, nec ne, unde propterea, ut tot Rotæ decisiones comprobant, adeo frequenter in eo Tribunali disputari solet, an intrer arbitrium, nec ne.

34 Quamvis autem istum rescribendi modum habeat quoque Signaturæ iustitiæ, atque generalis sit propositio quod arbitrium reguletur à jure, ideoque illud interponendum sit, quatenus ita ex juris dispositione, vel intentione iustitiæ exigat; Atque generice etiam sit altera propositio circa istius clausula operationem, quod scilicet aliquid relaxet de rigore juris, atque aliquam aperiatur viam non scriptæ æquitati, quæ alias non intraret, ut Principis rescriptum aliquam faciat operationem, & non remaneat omnino inane.

35 Adhuc tamen notabilis dignoscitur differentia, inter unius, ac alterius Signaturæ rescripta, quoniam illa Iustitiæ, magis strictè, & rigorose intelligenda veniunt prout de jure; Ista verò Signaturæ Gratia magis largè, & cum aliqua majori relaxatione rigoris, vel obstaculi legalis.

36 Credunt aliqui & præsertim Aula sequaces, vel professores illius literaturæ, vel facultatis, quæ politica dici solet, quod ista functio, seu Congregatio sit inanis, & superflua, quæ inutiliter occupet Pontificem per triduum; In audientia scilicet, in studio, & in explicatione functionis, ut supra, cum sit

fit Summo Pontifici tempus adeo pretiosum pro aliis gravioribus negotiis, quæ urgent; Quem admodum enim tot aliarum supplicationes vel negotia per organum Datarii, & Secretarii Brevium, seu etiam Auditoris domestici signantur, in Camera, ita idem de istis fieri posset; Unde propterea (ut quædam moderna recens praxis docet) ista Signatura non adeo frequenter haberi consuevit.

Verum ista forte videtur erronea opinio eorum, qui discurreunt rerum superficiem, reflectendo ad solam signaturam hujusmodi commissionum vel supplicationum, non autem ad magnas nimiumque proficuas consequentias exinde resultantes; Tum ob consolationem, ac satisfactionem litigantium, qui se gravatos, vel oppressos credunt, habendi hunc recursum ad supremum Principem qui ita publicè ac solemniter, eorum jura audiat, & examinet; Tum etiam (& fortius) quoniam istud est omnium Judicum, & Officialium magnum frænum, ad justitiam bene administrandam, aliaque bene gerendum, quæ proprio muneri incumbunt, dum ita sciunt se frequenter expositos esse ad eodè publico sindacato, in quo de eorum gestis rationem reddere debent coram Principe in ad eodè solemnè actu Cardinalium ac Prælatorum aliorumque officialium ut supra; Ac etiam ob multas informationes, quas prudens, & oculatus Princeps reportare potest, ac solet à Curialibus & ab ipsismet Partibus interessatis occasione recipiendi singulares, & quodammodo auriculares informationes, absque alicujus assistentia; ad eodè ut liberè dici valeat quid sibi videatur, Potissimè quia cum uno & quandoque etiam cum duobus Curialibus defensoribus, admitti solet ad audiendam ipsa Pars interessata, quæ magis liberè, seu minus circumspèctè exponat gravamina, quæ sibi, & aliis ab eo Tribunali vel officiali inferri credat; Ideoque est optima & opportuna janua, per quam licitus reddatur ingressus veritati, quæ nimium rarò illum habet in aulis Principum, optimumque ac nimium commendabile dicendum est institutum, quod magis frequentari deberet, non in sola ratione explicandi illa negotia, quæ omnia, vel pro majori parte commodè explicari possent in camera, sed pro dicto alio etiam politico sine regiminis publici utriusque principatus.

Habet ista Congregatio, vel Signatura Cardinalem Præfectum ad effectum; Verum retineatur stylus temporis antiqui; Sed videtur Præfectura potius ceremonialis, cum nunquam, vel nimium rarò, Cardinalis Præfectus se ingerat in hujusmodi negotiis, quæ, ut supra, explicantur, vel in plena Signatura coram Papa, vel per organum eius domestici Auditoris, cujus munus majores vel minores habet occupationes, pro genio, vel stylo personæ, quæ officium occupat.

De regulari verò natura hujus Tribunalis est senon ingerere in causis indifferentibus, in quibus manus apposuit, vel apponere potest Signatura Justitiæ; Minusque in iis, quæ de jure competant, sive per ordinarios Judices concedi, vel explicari possunt; sed solum in iis, quæ indigent summa, & extraordinaria Principis potestate; Unde propterea quando contingat, ut hujusmodi petitiones fiant, tunc prudenter, ac fundatè emanare solet rescriptum, quod orator utatur suo jure,

sive quod suos Judices, & Magistratus adeat competentes; Et meritò quidem, ex juris propositione, quod ubi suppetunt remedia ordinaria, & juridica, concedi non debent extraordinaria, quæ à Principis suprema pendeant potestate, cum hæc merè subsidiaria censenda veniat.

DISCURSUS XXXI.

De Signatura Justitiæ, ejusque stylis; Et de Prælati, ex quibus hoc Tribunal constituitur.

S V M M A R I V M.

- 1 Ad quid erectum sit hoc Tribunal.
- 2 Qua die teneatur.
- 3 De Vocantibus & de differentia voti unius, & alterius Signaturæ.
- 4 De voto, & potestate Præfecti.
- 5 De nova audientia, & de deposito faciendò.
- 6 De eadem potestate Præfecti circa qua teneatur.
- 7 De revisore commissionum ejusque officiali, & de commissionibus sub banca in causis appellabilibus.
- 8 De Auditore Præfecti Signaturæ, ejusque munere.
- 9 Quid facere debeat appellans pro causa propositione in Signatura.
- 10 Quomodo informetur Signatura.
- 11 Qualis sit numerus causarum seu commissionum.
- 12 Qui interveniant in Signatura ultra vocantes, & Referendarios.
- 13 Ad quid sit intervenus Regentis Cancellariam.
- 14 De modo proponendi, & votandi, & quando resolutio conclusa dicatur.
- 15 De magno labore istorum Prælatorum.
- 16 Quod judicia plura simul juncta sint meliora, quàm singularia, licet virorum magis doctorum.
- 17 De eodem magno labore Prælatorum sine stipendio.
- 18 De stipendio Præfecti, ejusque expensis.
- 19 Datur parabola, seu simile Curie, circa ordines Prælatorum.
- 20 Qui Prælati interveniant in Signatura.
- 21 De diversis modis obtinendi Prælaturam.
- 22 De loco Referendariorum in Cappella.
- 23 De aliis curialibus.
- 24 De differentia Vocantium Signaturæ Justitiæ, & Signaturæ gratiæ.
- 25 Quando appellatio admittatur etiam in causis executivis.
- 26 Signatura committente causam appellati-

- tionis simpliciter fit retrotractio, & intrant attentata.
- 27 De rejectione omnimoda commissionis etiam ad effectum de voluntarium, & quando.
- 28 Et quando de laceratione commissionis.
- 29 De duobus modis rescribendi cum preservatione executionis, & de differentia inter eos, seu inter clausulas.
- 30 De clausula translativa siquid exequendum, eiusque operatione.
- 31 De clausula cum facultate manutendi vel de clausula constituto.
- 32 De clausula arbitrio.
- 33 An istae clausulae suspensivae, vel translativae habeant oculos retro atque insciant executionem jam factam.
- 34 De clausula ad legitimam, vel ad ulterio-riorem.
- 35 De commissionibus reformativis, vel de praesertis.
- 36 De modo rescribendi Iudicibus oretenus ut moderentur inhibitionem seu alias provideant.
- 37 De rescripto mixto commendo scilicet causam appellationis in parte, & in parte cum clausula preservativa, dantur exempla.
- 38 De circumspectione, vel alia provisione ut sententia absolutoria non causet vulnerationem.
- 39 De communicatione facultatum A.C. quid operetur.
- 40 Quod de facili tolli debet sententia absolutoria operatio vulnerationis.
- 41 Laudatur stylus evitandi has formalitates.
- 42 De abbreviacione termini ad proseguendam appellationem.
- 43 Commendatur stylus rejiciendi nullitates.
- 44 De rescriptis, vel mandatis, quae dantur oretenus Iudicibus.
- 45 De provisionibus cum sequestro, vel simili.
- 46 Quando causa dicatur turbida, ut rescribatur de clausula translativa, & de stylo Tribunalis.
- 47 In dubio, an sit rescribendum de clausula preservativa, vel potius de translativa executionis.
- 48 De fori, vel Iudicis competentia.
- 49 De recusacione Iudicum ex causa suspicionis, & quare in Curia ista quaestiones sint rarae.
- 50 De causis criminalibus, coram quo cognoscatur.
- 51 Temporis antiquitas considerari solet pro commissione etiam ad suspensivum.

52 Et ubi concurrat factum plurium Iudicum hinc inde.

53 Quod ista Praelatura Signaturae non praebeat emolumentum, neque frequenter praemia.

54 De Iudicibus, & Tribunalibus, quae non subjaceant Signaturae Iustitiae.

55 De praecedentia inter hos Praelatos, & Generales Religionum.

Generatiter, pro omnibus utriusque Pontificii, & temporalis Principatus, ac etiam particularis Episcopatus Urbis, causis, & negotiis, tam spiritualibus, quam prophanis, pro quibus Principem adire oporteat, ad effectum committendi causas appellationis, vel restitutionis in integrum, sive decidendi controversias, super fori competentia, illis causis, & negotiis exceptis, quae praecedenti discursu innuatum est pertinere ad Signaturam Gratiae, ut etiam infra advertitur, agendo de illis Tribunalibus vel Magistratibus, quibus specialiter haec exemptio competat; Erectum est hoc Tribunal, quod vice ac nomine Papae regitur per Cardinalem ejus Praefectum, in cuius domo qualibet feria quinta, seu die Jovis, non legitime impedita, & quando haec dies impedita sit, in alia, excepto tempore aestivo, in quo minus frequenter, ac alternatis hebdomadis, vel rarius, pro negotiorum contingentia habetur, cum interventu omnium Praelatorum, qui utriusque Signaturae dicuntur, pro signandis commissionibus, pravia discussione, an, & quomodo signaridebeant.

Idem tamen est stylus, qui disc. praecedenti insinatus habetur occasione alterius Signaturae Gratiae, quod scilicet ex Praelatis referendariis, duodecim seniores, juxta praelaturae antianitatem, suum praebent votum; Cum hac differentia inter istam Signaturam Iustitiae, & alteram Gratiae, quod in ista votum dictorum Praelatorum non est solum consultivum, ut in illa, sed auctoritativum, ut Praefectus teneatur illud sequi, adeo ut pro frequentiori contingentia, ipse non soleat eius votum preferre, nisi quando, ob votorum scissuram, & inaequalitatem, nulla capi valeat resolutio, quam suum votum cum aliqua praeponderantia concludat; Ideoque ubi resolutio jam pro majori parte conclusa sit, nil refert, an ipse diversum habeat sensum, quem proinde prudenter explicare non solet; Bene tamen eius auctoritas operativa est, quando videat causam non esse bene discussam, seu quod aliqua vota debitam non habeant maturitatem demandandi dilationem resolutionis ad alteram Congregationem pro maturiori examine; & resolutione sive adversus jam captam resolutionem concedere novam audientiam, quae pro frequentiori stylo, pro prima vice negari non solet, & quandoque etiam pluries concedi pro causarum qualitate, seu pro diversis circumstantiis; ideoque de super regula certa, & generalis statuti non potest.

Bene verum, quod cum nova audientia frequenter peti soleat, ad impediendam seu protrahendam

exequutionem seu causæ cursum, cum alterius partis prejudicio, pro expensis, quas pati oportet in causæ repositione pro honorario Causidici, & pro mercede Copista, quæ expensæ ex quodam antiquo Curia stylo, a estimationem habent in scutis quatuor monetæ, quamvis revera soleant esse longè majores, ubi præsertim agatur de causis gravibus, in quibus ultra causæ Patronum, adhibentur etiam opera Advocatorum; Idcirco illa pars, quæ iterum audiri cupit, tenetur facere depositum hujus summæ, ad effectum, ut in casu succumbentis, quodque persistatur in jam cecis, illud liberetur alteri parti pro refectione dictarum expensarum; Verum de facto iste effectus non sequitur, quoniam ex frequentiori, voluntario tamen non autem necessario stylo id cedit in emolumentum causæ Patroni; tanquam præmiæ confirmatæ victoriæ, isto stylo, aliquam forte habente probabilitatem, in recompensam plurium laborum, quos causarum Patroni sine mercede, vel honorario facere solent.

Ad Præfectum itaque pertinet, novam audientiam ut supra concedere, ac etiam decernere, quænam causæ vel commissiones dignæ sint iudicio plenæ Signaturæ, cui remittantur, concedendo interim usque ad primam, vel respectivè secundam Congregationem, supersefforiam recurrentibus; Non omnes enim commissiones in plena Signatura proponuntur, sed solum illæ, super quibus dubium cadat, an admitti, vel rejici mereantur; potissimè verò in causis de sui natura summariis, vel exequutivis, quæ non admittant appellationem suspensivam, cui tamen locum esse debere per appellantes, prætendatur, ratione nullitatis, vel injustitiæ, ob quarum unam vel alteram recepta propositio est, quod intrat appellatio suspensiva, etiam in causis de sui natura exequutivis, seu alias dictam appellationem suspensivam non admittentibus; Ubi etenim agatur de causis, quæ sint de sui natura appellabiles, ad utrumque effectum, adeo ut desit præfata disputationis occasio, tunc signantur commissiones nomine Papæ ab ipso Præfecto in Camera; Atque ad hunc effectum, habet quemdam sibi assistentem Officialem in his materiis valde peritum, qui commissionum Revisor appellatur: Ipse enim diligenter revidet commissiones, quæ signandæ Præfecto porrigantur, & quando agnoscat eas esse in causis abique dubio appellabilibus ad utrumque, illas Præfecto proponit, ut cum consueto rescripto signentur, committendo causam in Rota, vel Prælato, aut alteri in partibus pro negotiorum qualitate; ubi verò agnoscat petitionem non esse congruam, eam rejicit; Sive ubi agatur de causis de sui natura exequutivis, ordinat rescriptum cum clausula præservativa exequutionis, quæ propterea non impediatur; Ideoque peti solet per appellantes iudicium plenæ Signaturæ, quod frequentius immediate ab initio peti solet, ad illum circuitum evitandum.

Ob negotiorum verò multipliciter Præfectus dictas eius partes, & præsertim circa concessionem recursum, vel regressus ad plenam Signaturam, cum concessione vel respectivè denegatione supersefforiam, ac etiam super revocatione attentatorum, quæ committerentur in speciem supersefforiam concessæ per Signaturam, vel in spretum recursum ad eam, explicat per eius Auditorum, qui multa

expedit negotia, præsertim circa remissionem causarum ad partes in prima instantia, sive circa Judicis competentiam, & an uni vel alteri Judici, causa committi vel remitti debeat, vel ad unum, seu ad alterum Notarium pertineat, cum similibus incidentibus, quæ ad istius Tribunalis determinationem pertinet; Quando verò Partes iudicio Auditoris non acquiescunt, recurrunt ad eundem Præfectum, quo decernente idem, quod decrevit Auditor, tunc petitur iudicium plenæ Signaturæ, quod negari non solet; Negando tamen pro causarum qualitate supersefforiam, cuius concessio vel denegatio à Præfecti arbitrio pendet; Et ne quando appellantes non indigeant supersefforiam, etiam directè sine hac licentia commissiones parti appellatæ transmittunt in plena Signatura proponendas.

Priusquam verò dicta Congregatio, in consuetata, vel in alia statuta die sequatur pro huiusmodi commissionum discussione, stylus est, à quibusdam decretis, vel provisionibus comprobatus, atque effectus necessarius, quod appellans tenetur, saltem per octo dies antea, transmittere appellato copiam commissionis, eum citando ad dicendum causam, quare in prima proxima Signatura proponi non debeat per Prælato ibi descriptum, illaque commissio signari, juxta petita; Nec non cumulativè tenetur, saltem duobus diebus sequentibus, nempe in sabbatho ei facere intimationem qualiter causa omnino proponetur à Prælato, qui in prima citatione enunciatus est, vel ab alio, quem mutare potest, dummodo in hac intimatione eum indicet; Et quatenus his non præcedentibus causa proponatur, absque eo quod altera Pars informet, neque se defendat, tunc habetur pro non proposita, neque resolutio aliquod causare potest præjudicium; Si verò, tam citatio, quam intimatio sequantur, appellans autem non curet causam proponi, tunc tenetur ad expensas factas per appellatum, in informando, inscriptis, & ore tenus. Nisi re integra, nempe die dominico vel saltem die lunæ diluculo aliam fecerit intimationem, qualiter causa non proponetur, istaque disintimatio appellatur.

Etiam in nostra ætate, usque ad tempora Alexandri VII, informatio Prælatorum, & Præfecti fiebat die martis, eademque die serò distribuuntur informationes in scriptis, ad eum (juxta stylum Rotæ, & Cameræ,) una tantum superesset dies intermedia pro studio, eademque dies juxta eundem stylum, superesset causarum defensoribus respondendi hinc inde; Per dicta verò decreta seu ordinationes, sub præfato Alexandro, cum ob causarum multipliciter, una dies pro studio incongrua reputaretur altera adaucta est; Ideoque informationes in voce fiunt die lunæ, eademque die de serò distribuuntur, illæ in scriptis, atque die martis fiunt responsiones, unde propterea Prælati majus habent spatium studendi; Id autem compensatum remanere videtur à majori cumulo scripturarum, dum ita una Pars curat videre responsiones datas per alteram, unde fiunt replicationes, etiam geminatæ.

Causarum proponendarum numerus præfinitus non est, eo modo quo in Signatura Gratia, sed est major, vel minor, juxta negotiorum contin-

tias

gentias, siue juxta majus vel minus intervallum, inter unam Signaturam, & alteram, quando festa, vel alia impedimenta caufent hanc protractationem; Omnesque Prælati non votantes, qui propterea (ad differentiam) Referendarii dicuntur, quotquot sint, atque causas habeant proponendas, eas proponere possunt; Cū hoc tamen ordine, quod quādo Signatura nō est interrupta, id est quod hebdomada præcedenti tenta fuerit, proponere nō possunt nisi duas causas pro quolibet; Quando vero adest interruptio, proponere possunt quoque tertiam; illa que dicuntur causa intra ordinem; Ubi verò à Partibus requiratur pro aliarum causarum propositione, ut contingere solet in illis Prælati, quorum bona opinio circa literaturam, & applicationem habeatur, siue generaliter in omnibus, quando ob intermedias vacationes, negotiorum cumulus factus esset, tunc id fieri non potest, nisi delibentia Præfecti, qui concedit, vel negat, pro eius arbitrio illa que dicuntur cause extra numerum; Atque ut sciant Prælati Votantes causarum qualitatem, quæ scilicet sint cause intra, & quæ extra numerum, ac etiam earundem ordinem, quæ scilicet proponende sint in primo, & quæ in secundo vel in tertio, siue ulteriori turno, qui servatur inter ipsos Referendarios, ut singuli unam tantum proponant gradatim, Idcirco servatur, quod Ponens id manu sua adnotet in dorso informationis inscriptis quæ datur Præfecto, quod scilicet proponet causam in tali die, in tali turno, eademque adnotatio transcribitur in dorso informationum, quæ dantur Votantibus.

Itaque die Jovis de mane, omnes Prælati, tam votantes, quam proponentes, (qui Ponentes dicuntur,) Congregantur in Palatio Præfecti, in quo etiam interveniunt Rota Decanus, vel Prodecanus; Regens Cancellaria; Duo locum tenentes Civiles Auditoris Camera; Et Locumtenens civilis Vicarius, tanquam iudices illorum Tribunalium, in quibus (quatenus pertinet ad causas curiales) illa tractata sunt, seu introducta excepto Regente, qui non est Judex, sed ejus interventus iustam habet causam, dum juxta superius insinuata, agendo de Cardinali Vicecancellario, ad ipsum tanquam Vicecancellarii substitutum pertinet distribuere Cardinalibus vel Prælati, seu Rotæ Auditoribus, illas commissiones, quæ per unam vel per alteram Signaturam admittantur ac signentur.

Sedentibus itaque cum statuto ordine, Præfecto scilicet in capite tabulæ ad id paratæ, & duodecim Prælati votantibus, dictisque aliis Prælati officialibus, in partibus lateralibus, adeo ut singuli habeant commoditatem scribendi ea quæ adnotare videantur, Ille Prælati qui, extra numerum Votantium causam proponit, atque ponens dicitur, sedendo in fine mensæ è conspectu Præfecti, refert oratoris petitionem, & causæ statum, ac merita, suumque votum omnium primus profert, quod postmodum proferunt Votantes cum eo ordine, ut junior incipiat, atque Præfectus vota adnotat, ex eorum maiori parte concludendo resolutionem, dum etiam votum Ponentis est decisivum, atque sufficit excessus medietatis, etiam in medio voto ad concludendam resolutionem juxta regulam generalem electionis, aliorumque actuum collegialium; Ubi vero vota sint

paria, tunc vel propositio differri solet, quatenus Præfectus pro eius frequentiori stylo votare nolit; Vel ipse votando concludit resolutionem.

Pene incredibile autem videtur istorum Prælatorum labor, eorum scilicet, qui tam pro conscientia apud Deum, quam pro existimatione apud homines, suum munus bene peragere velint, quod scilicet prius intra solum spatium unius diei, hodiè verò duorum, inspicere, ac mature examinare valeant tot causas, quæ frequenter numerum centesimum excedunt, & inter quas multe solent esse graves, quæ habent informationes plurium advocatorum hinc inde, pluresque Rotæ decisiones; Ubi præsertim agatur an referendum sit de appellatione etiam suspensiva adversus tres contormes, quæ omnes vel earum aliquæ sint Rotales, adeo ut una istarum causarum censenda veniat sufficiens occupatio unius diei; Et tamen, partim per se ipsos, & partim per benevolos, & confidentes Curiales, qui diligenter inspiciendo omnes informationes, & summaria cum debita fidelitate in compendio eis referunt facti seriem, & motiva, quæ hinc inde deducantur, & de omnibus bene discurrunt, beneque se informatos ostendunt, per inde ac si causam diu tractassent.

Atque præsertim hoc Tribunal me docuit, quam magna sit operatio plurium judiciorum simul congregatorum, in idem, quoniam si consideretur idoneitas singulorum Prælatorum votantium pro consueta collegiorum vel universitatum conditione, adesse solent aliqui, non multum periti; Et tamen ille cæcus, juxta axioma, quod plus vident oculi quam oculus; Sive quod id quod non percipit unus, percipit alter intellectus, Aut ex divino oraculo, quod ubi sint duo vel tres congregati in nomine meo ibi ego sum, frequenter vidi excogitari motiva, ad quæ in diuturna causæ disputatione, in Rota, vel in alio Tribunali, neque per Advocatos, & Procuratores, cogitatum fuit, atque prudentissimas, ac ingeniosas prodire resolutiones, quæ in eorum singulis profus incongruæ, ac pene impossibiles videntur.

Tam istum, quam alterum Signaturæ Gratia laborem, adeo magnum, supportant isti Prælati votantes, gratis omnino, absque ulla, ne quidem minima mercede, vel stipendio, sive litigantium recognitione, suo sumptu in Curia, cum convenienti decore, sustentando, ipsique Curia inserviando; Quinimò aliqui ex istis Prælati, qui in Congregatione consultè interveniunt in aliis duabus eiusdem hebdomadæ diebus, cumulative, alium magnum habent laborem supra enunciatum, videndi, & referendi processus criminales in dicta Congregatione Consultæ; Et quandoque in eadem hebdomada cumulantur negotia aliarum Congregationum, in quibus interveniant, puta Rituum, & Immunitatis ecclesiasticæ, vel Boni Regiminis, siue aliarum extraordinariorum, & particularium, adeo ut rectè dici valeat, quod major sit labor unius ex his Prælati, qui ut supra, bene suum officium facere velit, quam cuiuslibet primarii nimiumque occupati Advocati, vel Procuratoris;

toris; Et tamen est labor merè gratuitus, qui libenter præstatur, illumque præstandi occasio desideratur; Atque in hoc præsertim dignoscitur Papæ Romanæque Curie Majestas.

18 Præfeto hujus Signaturæ, non autem alteri Gratia, ex antiquo stylo, Camera Apostolica, suo sumptu, præstat stipendium mensuorum scutorum centum auri, eodem modo quo præstat aliis quibus Sacrarum Congregationum Præfectis ut supra; Bene verum quod istud emolumentum pene absorptum remanere solet ab expensis, tam scilicet pro sustentatione Auditoris, quam pro illis recreationibus, quæ ex quadam consuetudine in eius domo fiunt in illis diebus feriarum, in quibus, extrâ consuetum ordinem, pro negotiorum urgentia, teneatur Signatura, quæ hoc tempore, congregatio appellatur.

19 Quo verò ad Prælatos, qui in hoc Tribunali interveniunt, illudque constituunt discretivè ab aliis, qui sunt Prælati, sed in ea non interveniunt; Pro mea capacitate, Romanam Curiam assimilare illis Ecclesiis Cathedralibus, quæ juxta aliquarum regionum plures alibi enunciatis mores, sint etiam non numerata, ac receptivæ, quod scilicet ultra Dignitates, & Canonicos, in numero præfixo, habeant etiam clericos, & ministros diversorum statuum & ordinum, nempe, Capellanos; Diaconos; Subdiaconos; Et clericos; Atque istorum aliqui sunt constituti in aliquibus, ordinibus minoribus alii verò prima tonsura solum initiati, ultra eos, qui in aliis muneribus inferioribus, Ecclesiæ servitio addicti sunt, quorum. Aliqui dicuntur oblati, seu juxta aliquorum regionum morem clerici lalyatici; Aliqui vetò puri sæculares servientes.

Si quidem assimilando Papam Episcopo; Cardinales in numero præfinito, sunt Dignitates & Canonici; Patriarchæ verò, Archiepiscopi, Episcopi; Prothonotarii, & Auditores Rotæ; Clerici Camera; Præsidentes, & officiales Cancellariæ, Ac utriusque Signaturæ Referendarii, sunt respectivè de reliquo cætu; Cappellanorum scilicet, Diaconorum, Subdiaconorum; Et clericorum, qui diversos minores ordines habeant, pro qualitate scilicet ordinum vel officiorum; Undè propterea utriusque Signaturæ Prælati, qui non sint de dictis Collegiis Rotæ & Camera, neque sint ordinis Archiepiscopalis vel Episcopalis, dicendi videntur clerici in minoribus, cum hac differentia, quod eorum aliqui habeant alios ordines minores ut (exempli gratia) suat Prothonotarii, & Abbreviatores, aliique officiales Cancellariæ, sive aliud habentes officium quod annexam habeat prælaturam; Illi verò simplices Referendarii, assimilandi veniunt clericis primæ tonsuræ, qui nullum alium ordinem annexum habeant, cum aliquo munere majori inter eos in eodem servitio Signaturæ quod scilicet; Aliqui sunt Volantes, & alii simplices Ponentes, sed intra idem genus; Ideoque in Signatura non proponunt, neque votant Prælati constituti in ordine Archiepiscopali, vel Episcopali, minusque illi duorum majorum tribunalium, Rotæ scilicet, & Camera, sed solum illi qui dicuntur utriusque Signaturæ Referendarii, quamvis aliud munus annexum habeant, ut sunt Prothonotarii, & Prælati de Parco, ac alii habentes aliqua officia, quibus annexa est Prælatura.

20

Dupliciter autem personæ quæ Curiam sequuntur constituuntur in ista Prælatura Referendario- rum utriusque Signaturæ, Aliqui enim emunt illa officia, quibus ista Prælatura utriusque Signaturæ annexa est; Ut sunt; Auditoratus; Thesauraria generalis; Clericatus Camera; Protonotariatus de Collegio participantium; Abbreviatoria de parco majori; Audientia confidentiarum, & Contradiæ Starum, pluraque alia similia officia, quæ venialia sunt, Non quidem ratione Prælaturæ, vel administrationis, sed ratione emolumentis, ut in Regalium sede latius de eis agendo advertitur. *A tit. de Regal. disc. 2.*

Aliqui verò, volentes se addicere servitio Sedis Apostolicæ, hanc simplicem Prælaturam utriusque Signaturæ, sine alio officio assumunt ex mera gratia Papæ, qui eos admittere solet, qui certas habeant qualitates ad normam modernæ Constitutionis Alexandri VII. examinandas, & approbandas ab hoc eodem Tribunali Signaturæ Justitiæ ut exinde per gradus, ad majora munia transeant, adeo ut rectè verificetur dicta assimilatio, quod scilicet ista Prælatura sit illa species adscriptionis cælesti militiæ, seu vitæ clericali, quæ fiat per assumptionem primæ tonsuræ, tanquam januæ, seu introductionis ad alios ordines majores, ita à pari.

22 Istamque veritatem comprobavit moderna reformatio cappellæ Pontificiæ sub Alexandro VII. dum in ea locum non habet iste ordo Prælatorum, qui aliud officium non habeant, eis verò, qui sunt Volantes, attributus fuit locus & munus Acolytorum, Alii verò simplices Referendarii ad quasdam functiones assumi solent, puta de ferendi hastas pallii seu baldacchini Papæ in processionibus, & similia, sine loco in capella.

23 Reliqui verò Curialibus togatis, nempe Advocatis, & Procuratoribus, ac aliis sub Curialium togatorum sede inferius recensiti, qui Prælatura non polleant, congruit dicta assimilatio aliorum inferiorum servientium Ecclesiæ, quoniam isti sunt servientes Curie.

24 Quod autem dictum est, ut constituti in ordine Episcopali, vel Clerici Camera non interveiant in Signatura, procedit in ista Justitiæ, non autem in altera Gratia, in qua antiqui Prælati qui non habeant onus residentie, quamvis sint Episcopi titulares, assumunt hoc munus Volantium, non autem Ponentium, idemque faciunt Clerici Camera, cum quorum officio istud munus est compatibile, non autem cum illo Auditorum Rotæ, ut praxis docet.

In isto autem Tribunali, ut supra Congregato majores disputationes cadunt, super modo referendi in illis commissionibus appellationis, vel restitutionis in integrum, quæ porrigantur in causis, in quibus regulariter non intret appellatio, saltem ad effectum suspensivum, dum, (ut præmissum est) commissiones in causis appellabilibus, non proponuntur in plena Signatura.

25 Stante siquidem superius insinuata propositione, quæ theoreticè, & practicè vera est, & recepta, ut etiam in causis quæ sint de sui natura exequutivæ, seu quod alias non admittant appellationem suspensivam, ista intret ratione injustitiæ vel nullitatis, quamvis etiam agatur de re judicata, vel de tribus conformibus, cum sententiâ injusta, vel nulla nunquam transeat in judicatum, atque id

id quod dicitur de tribus conformibus, intelligendum est de validis, & iustis, cum sententiae nulla vel iniusta, neque sententiarum nomen mereantur. *ii. de iudic. disc. 37. & 38.*

Hinc proinde, per succumbentes adiri solent Signatura, atque deducendo formiter omnia ea, quae respiciunt iustitiam, & merita negotii principalis, ita conantur probare quod commissio appellationis est signanda, etiam ad effectum suspensivum, vel cum clausula translative executionis, super quo succumbentium partes verari solent.

26 Varius autem est modus rescribendi pro diversa causarum natura, seu qualitate; Ubi etenim ratione iniustitiae clara, vel nullitatis credit Signatura; quod appellatio simpliciter intret, ideoque ita simpliciter rescribit, tunc notabilis resultat effectus appellato praedjudicialis, non solum quia suspenditur futura executio, quae ab eo desideratur, sed etiam quia retractanda est tanquam attentata illa executio, quae facta sit, cum illa rescripti species habeat oculos retrò seu vim retrotractivam, dum ita declaratur, causa de sui natura appellabilis: *dicto disc. 37.*

Ubi verò è converso, credatur quod appellatio frivola sit, seu quod alias nullatenus admittenda veniat, neque in devolutivo, ad tollendam occasionem indebitae defatigationis victoris; Ut (exempli gratia) contingit in tribus conformibus, vel in re iudicata, vel alia simili, adeo ut dignoscatur appellationem etiam in devolutivo non intrare; Tunc, si agatur de commissione, quae proponatur ex parte appellantis, ea rejicitur, respondendo cum consueto verbo *nihil*; Et si appellans curavit clarescere, sive, ut vulgo dicitur, sub banca, causam appellationis committi sub tali palliata narrativa, quod Revisorem de quo supra deceperit, seu quod ille ad id non adverterit, tunc rescribi solet de laetatione, ut habeatur, perinde ac si signata non esset.

Quando verò credatur locum esse appellationi in solo devolutivo, adeo ut non impediatur executio, tunc duplex est rescribendi modus; Unus scilicet, per quem, praeservata quidem remaneat iurisdictio iudicis à quo, exequendi eius sententiam vel decretum, non tamen impediatur appellans prosequi causam appellationis, sive non impediatur Iudex ad quem in ea procedere: Et alter est modus, per quem ita executio praeservatur, ut aliam impediatur appellans causam appellationis prosequi, atque Iudex ad quem carere dicatur iurisdictio. Ideoque notabilis differentia est inter unum scribendi modum & alterum.

Primus modus concipi solet cum clausula *sine praedjudicio legitima executionis*; Vel *sine praedjudicio mandati de manutenedo &c.* Aut *sine praedjudicio trium conformium*; Vel *sine praedjudicio immissionis*, cum similibus; Et tunc praeservatur executio faciendae, ac etiam canonicatur jam facta, ut ad ulteriorem consumationem procedi valeat, sed id non impedit interim prosecutionem appellationis ut supra; Et hic est modus rescribendi in causis pecuniariis, aliisque indifferentibus, in quibus actum sit in vim obligationis cameralis, vel alterius processus de sui natura executivi; Sive summarissimi possessorii retinendae; Aut

quod agatur de decreto provisionali, cum similibus, de quibus in sua iudiciorum sede.

Alter verò modus concipi solet in forma ablativi absoluti vel in alia aequipollenti, quae redoleat conditionem suspensivam, sub cuius praevio implimento causa commissa dicatur; Puta (ubi praesertim agatur de pensionibus ecclesiasticis) est clausula *non retardata solutione*; Aut (ubi agatur de re iudicata) est clausula *parito iudicato*; Sive (ubi de executione literarum Apostolicarum, est clausula *parito literis* vel *parito brevi*; Aut ubi agatur de attentatis, vel de spolio violento, est clausula *purgatis attentatis*, vel *purgato spolio &c.* Sive ubi de subministracione alimentorum, vel de alia refectione est clausula *subministratis*; Vel clausula *refectis &c.* cum similibus; Et tunc id importat conditionem, quae prius adimplenda est, adeo ut Iudex non habeat iurisdictionem, nisi id prius impleatur, cum ista sit natura ablativi absoluti puri. *Bich. dec. 520. & Greg. add. dec. 36. & 492. dec. 322. par. 12. rec. & passim.*

Quandoque vero, inter haec extrema datur medium, quod etiam *disc. praecedenti* insinuatum est; quia nempe Signatura reputet causam turbidam, unde propterea in ambiguo sit; Ita enim reputando punctum maturiori discussione dignum, coram Iudice ad quem, abstinet à rescripto de appellatione simpliciter, ne causam appellabilem declaret, ob gravia praedjudicia exinde resultantia ut supra; Verum abstinet quoque ab alio rescripto praeservativo executionis, ideoque mediam viam tenet, per quam, consultum quidem remanet appellanti, ne tunc patiatur executionem, sed consultum quoque sit appellato, ne futurae executioni, quatenus illi de iure locus esse debeat, praedjudicatum remaneat. Unde propterea, quando agatur de causis pecuniariis, vel aliis indifferentibus, in quibus cessante turpitudine, rescribi solet de clausula *sine praedjudicio*, rescribitur cum clausula *si quid exequendum*; Ita scilicet rescribendo Iudici ad quem, ut si quid exequendum de iure credatur, exequatur, sin minus appellationis causam cognoscat; Huiusque clausulae virtus est nimium considerabilis, quod scilicet, non solum praeservata remaneat facultas, exequendi sententiam, vel decretum à quo appellatum sit, sed etiam praeservet competentiam processus executivi in genere; Adeo ut si illa sententia vel decretum ratione alicujus nullitatis, vel excessus, non mereatur executionem, bene tamen ipsa causa sit executiva, per istam clausulam concedi potest mandatum executivum ex integro, tanquam in prima *Bich. dec. 574. in fin. Cels. dec. 92. & passim cum sit receptum & quotidianum.*

Sive ubi agatur de mandato de manutenedo rescribi solet cum *facultate manutenedi quem de iure*; Vel ubi de tribus conformibus, rescribitur cum clausula *confiso de tribus*, quae exequi mereantur; Et quando vigeat Statutum, per quod duo conformes habeant vim trium rescribitur *confiso quod sit locus Statuto de duobus*. Aut ubi agatur de interdictione possessoris adipiscendae, vel recuperandae, in quibus, ubi agatur de causis Status ecclesiastici immediati, inter laicos absque mixtura personarum vel bonorum ecclesiasticorum, in vim Constitutionis juris civilis, ac removens obstaculum juris canonici, sublata est appellatio suspen-

suspensiva: Unde propterea, cessante turbiditate, in vim hujus *Ægidianæ* rescribitur de dicta clausula *sine præjudicio*. At tamen quando turbiditas exigat, rescribitur de clausula *constitito*. quod sit

32 *locus Ægidianæ*, cum similibus.

Et quando agatur de illis causis in quibus ut supra, contra appellentem magis rigorosè rescribi solet, per ablativum absolutum, adeò ut exequutio vel implementum præcedere debeat, tunc rescribitur cum clausula *arbitrio* nempe *parito literis arbitrio* vel *parito iudicato arbitrio* vel *refectis arbitrio* &c. Istaque dicitur clausula translativa exequutionis, donec Iudex ad quem, cognoscat, ac judicet an pro retardatione intret, nec ne, arbitrium, quod regulandum est à jure, & sic à justitia vel injustitia; Unde propterea, tam in ista, quam in aliis præcedentibus clausulis, quæ sint quidem translativæ exequutionis, sed sint præservativæ processus executivi, assumi solent ex integro disputationes, etiam in metis.

Super hujusmodi mixturam clausularum virtute vel operatione, contentio vigere consuevit inter Signaturam & Rotam, ac etiam ipsamet Rota variare solita est, an scilicet operetur eandem vim retrahentem de qua supra, adeò ut non solum impediatur exequutionem faciendam, sed etiam retrahat jam factam, vel potius operetur in futurum tantum, ita faciendum punctum, seu impediendo in status & terminis; Rota enim sequi consuevit primam magis rigorosam opinionem retractionis; Signatura verò posteriorem; atque super hujus opinionis defensione circumfertur votum Magistri mei Andosillæ, Signaturæ Decani, ac prius ingeniosissimi ac primarii Advocati; Istaque posterior opinio, non solum mihi semper visa est probabilior, sed magis recepta est in Curia, quoniam hæc materia pendet à iudicio Signaturæ, quomodo scilicet causam committere voluerit. idcirco ejusdem Signaturæ sensibus deferendum est; Ac etiam quia de attentorum vitio redargui non debet appellatus, vel Iudex à quo, dum ex regulari natura causæ justè creditur ad exequutionem devenire potuisse.

Quia verò aliquando, de tempore quo causa proponitur in Signatura, exequutio est cæpta, non tamen adhuc perfectè consummata; Tunc rescribi solet cum clausula *alteri qui ad ulteriorem exequutionem*; Sive cum clausula *alteri, qui ad legitimam*; Istaque clausula quoque adjici solet, quando etiam Iudex ad quem opinatus fuerit, ac decreverit, locum esse exequutioni sententiæ vel decreti Iudicis à quo, adhuc tamen Signatura dubitet, quod quandoque pluries reiterari solet, quando præsertim, inter Rotam, & Signaturam, oriatur opinionum dissonantia, ut quodlibet Tribunal suam opinionem sustinere velit, adeò ut inter hæc Tribunalia quædam antiqua & connaturalis (virtuosa tamen & literaria) æmulatio dignosci videatur.

In eadem quoque prima instantia, de modo rescribendi, seu de modo reformandi commissionem, in Signatura disputari solet; Quia nempe, ille, qui in substantia sit Reus, in ordine se faciat Actorem in eo iudicio quod diffamationis vel jactationis dicitur, seu aliàs, curaverit committi causam in Rota, vel coram alio Iudice,

Card. de Luca. Relatio Curia Romana.

super negotio principali, unde propterea ille, qui verè est actor, ita præventus, quoties lacerationi commissionis, ratione incompetentiæ Iudicis, locus non sit, ut infra, neque illum Iudicem recuset, audire solet Signaturam, cum alia commissione, quæ præinserta dicitur, petendo rescribi eidem, perinde ac si prima commissio signata esset, cum clausula præservativa exequutionis obligationis cameræ, seu literarum apostolicarum, vel alterius processus executivi, qui remanet ita præservatus.

Idemque in commissione appellationis, quàm simpliciter obtinuerit quoniam ex parte appellati porrigi solet altera commissio, quæ præinserta dicitur, obtinendo rescribi super reformatione primæ commissionis, ut censetur perinde ac si esset signata cum clausula *sine præjudicio* vel cum clausula *parito*; Vel *purgatu*, seu *refectis*, & simili.

Procedunt hæc, quando agatur de causis Rotabilibus, vel etiam prælatiis, in quibus procedatur per viam delegationis seu commissionis; Ubi verò agatur de causis introductis coram Iudice ordinario appellationis, qualis in Curia est Auditor Cameræ, in causis extrâ Curiam, ut infra in ejus Rubrica advertitur, adeò ut per ipsum data fuerit consuetæ citatio cum inhibitione, per quam effectus suspensivus quosque resulet; Tunc eo renuente suam inhibitionem moderari, adiri solet Signatura, ut mandet Iudici inhibenti, quod suam moderetur inhibitionem ad effectum suspensivum, firma remanente causa in devolutivo.

Atque si casus præbeat, quod sententiæ vel decretum Iudicis à quo, contineat injustitiam vel excessum in parte, sive quod in parte causa videatur clara, & in parte turbida; Tunc licet de stricta juris censura intrare debeat appellatio in totum, quoties sententiæ concepta non sit per capita separata, sed unica structura verborum, cum ratione individuitatis, & ex regula, quod una & eadem res diverso jure censeri non debet, appellabilitas in parte, influat in totum. G. *sub tit. de iudic. in Rubrica appellationis disc. 37.* Adhuc tamen, ex commendabili hujus Tribunalis stylo, neglectis hujusmodi leguleicis rigoribus præservatur exequutio in parte debita vel clara, quoties subjecta materia patitur, hanc divisionem, rescribitur autem de appellatione in parte turbida; Puta, pro frequentiori praxi, in Regni Neapolitani Curia inferioribus, vigere solet stylus, reverà erroneus, qui etiam praxi illius S. Consilii est contrarius, admittendi ex abrupto exequutionem pacti rescissorii in contractu censuali, ob non solutionem aliquorum terminorum fructuum, unde propterea relaxari solent mandata executiva pro sorte & fructibus, quoniam licet de jure appellatio in totum intrare deberet, attamen rescribi solet de clausula *sine præjudicio quoad fructus*; Sive, ubi mandatum sit pro aliqua summa, cujus pars videatur liquida, altera verò illiquida, vel turbida, tunc rescribi solet de clausula *sine præjudicio in parte*, & in alia parte, de clausula translativa.

Quinimmò licet idem stylus prius procederet, solum re integra, priusquam scilicet ad exequutionem deventum esset, cum isto casu magis communiter receptæ propositiones doceant, ut excessus quamvis modicus vitiet totum;

K k

Adhuc

Adhuc tamen ab aliquo moderno tempore, (& quidem pro meo sensu commendabiliter,) sustineri consuevit exequutio pro summa debita & liquida, rescribendo pro ejus preservatione, quoniam debemus, quo magis fieri potest, recedere à quibusdam rigorosis, & judaicis rigoribus legalibus, atque adherere naturali veritati, rescribendo calumnias, quorum fomentum legales rigores esse solent.

38 In causis quoque de sui natura sine dubio appellabilibus, & quæ signari solent à Praefecto in aula, sive ut dicitur sub banca ut supra; Adhuc disputari solet in plena Signatura, ad instantiam appellati, quando ageretur de sententia absolutoria debitoris, vel alterius Rei ob præjudicium vulnerationis viæ exequutiæ: quæ à tali sententia resultat, quoties debiti, vel actionis substantiam, non autem solum ordinem, vel incidentiam percutiat, ut in sua sede advertitur *H. titul. de judic. in Rubrica judicii, vel processus exequutivi, disceptatione. 42.* Quoniam, ut creditor evitet hoc præjudicium, recurrere solet ad plenam Signaturam, ut per explicitam, vel implicitam, ac virtuales dictæ sententiæ circumscriptionem, causam judici tanquam in prima committat ex integro, ad eum ut possit dictus iudex ad quem procedere in processu exequutivo, quatenus agnoscat quod absolutoria injustè data sit; Verùm id rarò concedi solet, nisi de nullitate vel injustitia notoria constet, quo casu, neque necessarium est Signaturæ rescriptum, cum de jure ex hac specie sententiæ, vulneratio non sequatur proxime supra & titul. de credito disc. 117. Adhuc tamen desuper dari non potest regula certa, cum penè tota materia hujus Tribunalis arbitraria videatur, pro singulorum casuum qualitate & circumstantiis.

39 Opinatur vulgus illorum Prætorum, qui nihil scientes à priori, torum sciunt per praxim, ac per traditiones, ideoque ut dicere soleo, sunt testes de auditu, non autem de visu, ut ad hunc effectum sufficiat communicatio facultatum Auditoris Camerae, atque super hac petitione magnas vidi fieri, ac etiam feci disputationes; Verùm istud est æquivocum clarum, quoniam communicatio hujusmodi facultatum, ideo fieri solet, eo quia in Curia, ubi præsertim agatur de exequutione obligationis cameræ, Auditor Camerae procedit exequutivè cum privativa, dum in facultatibus habet quoque ita procedendi, juxta unam opinionem etiam cum privativa inter mercatores, & negotiantes, & in omnibus illis casibus, in quibus in loco contractus, sive in foro debitoris, ex legibus vel stylicis particularibus ita procedi potest, ut infra in ejus particulari rubrica advertitur, infra discurs. 34. ideoque præsertim Tribunal Rotæ quoties non accedat hujusmodi facultatum explicita communicatio, sive illa implicita, quæ resultat à supra enunciatis clausulis, *Si quid exequendum; Vel Qui ad legitimam*, non adhibet processum exequutivum, Et per consequens cum devoluta causa per appellationem à dict. sententia absolutoria lata in dicto Tribunali Auditoris Camerae, vel per alium ordinarium Judicem primæ Instantiæ, verificari soleat casus, quod talis sententia non producat d. effectum vulnerativum; Vel quia sit nulla, seu notoriè injusta ad eum ut habenda sit pro non extante: Vel quia non tan-

gat substantiam contractus, vel debiti, sed potius ordinario, aliaque incidenti, unde propter ea integrum sit creditori petendi debitum in judicio exequutivo, quod ab hoc Tribunali jure suo non exercetur; Hinc proinde, congrua, imò necessaria est ista communicatio; Non tamen exinde inferri potest ad circumscriptionem sententiæ, quodque sanaretur vulnus, quod de jure ab ea sententia illatum sit, sed intelliguntur communicatæ facultates sub implicita conditione seu clausula *quatenus de jure intrent*, quod quandoque in eodem rescripto exprimi solet, sed ubi non exprimitur, subintelligendum est, ex generali propositione superius insinuata, quod scilicet rescripta Signaturæ Justitiæ intelligenda sunt prout de jure, cum ipsa non habeat facultatem dispensandi vel derogandi legibus, idque reservatum sit Signaturæ Gratiæ. *Cocim. decis. 78. dict. disc. 117. de credito, & titul. de judic. disc. 42. in quo agitur de processu exequutivo.*

Benè verum quod pro meo sensu de facili ad hunc effectum ista commissio ex integro concedenda est, sive de facili Kota opinari debet, quod injusta sit ad eum malignantis naturæ, ut tollat hujusmodi sententiæ absolutoris hanc operationem, cum ista sint subtilitates, & cabalæ legales, pro inanibus circuitibus atque pro defatigando creditores, & confovendo calumnias, ac subterfugia debitorum.

Ideoque mihi semper arrisit modernus stylus hujus Tribunalis, cujus auctor, & magister, reverè fuit dictus magister *Androssilla*, effugiendi quo magis fieri potest subjectionem hujusmodi superstitionum, ac formalitatum legalium.

Idemque fuit auctor alterius praxis, quæ hodie habetur, me illam sibi suggerente, abbreviandi appellantis fatalia, quæ in causis extracuriam de jure canonico sunt biennii, saltim juxta antiquam praxim, ut scilicet elapso anno, procederetur ad præfixionem termini, ideoque cum eadem proportionem, cum in Curia sit unius anni tantum, ut de hac differentia habetur, *sub tit. de judic. in rubrica appellationum, abbreviari deberet per sex menses*, ac etiam fortè minùs pro causarum qualitate, rescribendo quo magis fieri potest calumnias, & subterfugia. *tit. de judic. disc. 37.*

Eodem modo quo hodie commendabiliter Romana Curia, (excepto verè damnabili stylo fori capitolini) negligit omnes nullitates, quæ ex rigoroso ordine judicario resultent, exceptis tribus substantialibus, jurisdictionis, citationis, & mandati, *ut in eodem titulo de judic. in Rubrica nullitatum advertitur.*

Quandoque ubi recurratur ad Signaturam, adversus mandata relaxata per decreta interloquutoria, à quibus integrum sit reponere, abstinere solet à rescribendo de appellatione, sed oretenus injungit Judicibus ibi presentibus, quod iterum Partes audiant, cum ita Iudices audito sensu Signaturæ, sive cum ea discussione meliùs dilucidata causa, soleant reponere, vel reformare. Idque nimium commendabiliter quidem, ut refecentur, circuitus, ac sumptus, quos persequutio appellationis producit; Ex eodem quoque laudabili fine quandoque dando provisiones circa ordinaria vel alia incidentia, puta circa admissiones articulorum vel similia,

familia, abstinendo à commissione appellationis, quæ de jure causam traheret; Cum similibus incidentibus, & provisionibus circa ea, in quibus una Partium se gravatam credat à Judice, unde propterea recurrat ad hoc Tribunal, quod in hac parte vicarium munus Papæ gerit.

45 Ac etiam, quando videatur, quod causæ turbiditas exigat; commissionem cum clausula suspensiva seu translative executionis, dignoscatur tamen, quod hæc mora præjudicium irreparabile appellato causare valeat; Ita utriusque consulendo, demandare solet sequestrum provisionale de quo eodem tit. de judic. in ejus particulari rubrica; tit. de judic. discurs. 13. Sive alia capi solet oportuna provisio pro causæ qualitate.

46 Quando autem dici mereatur causa turbida, adeo ut rescribendum sit de clausula suspensiva, vel translative executionis; Impossibile est certam statuere regulam generalem, cuiusque casui applicabilem; Tum quia totum pendet à singularum casuum particularibus circumstantiis; Tum etiam ob varium Tribunalis stylum, juxta varietatem sensuum, vel intellectum eorum, qui pro tempore in eo sedent; Et ex qua ratione generaliter sequitur, quod hujus Tribunalis styli sint varii, atque in dies mutantur, ideoque regula certa statui non valeat; Quandoque siquidem procedi solet cum sensu, ut causæ turbiditas, vel aliorum indagatio præbere debeat aditum commissioni, cum clausula suspensiva, vel translative; Unde propterea captiosi appellantium defensores (quibus forensium Rabularum titulus recte congruit) studere solent artificiosè seriem involvere, multaque motiva, etiam non vera cumulare, vel ea, quæ vera sunt, alterare, ut ita causa videatur involuta, & commissione digna, cum impossibile sit, in tam brevi spatio, & cum tanta causarum multitudine, ut omnia maturè examinari valeant (adeo ut pro meo sensu porientosum videatur id quod agitur;) Alio verò tempore (atque pro meo sensu probabilis) id retorqueri solet, quoniam quando causa est de sui natura executiva, non admitteus appellationem suspensivam, atque Judex, coram quo discussa fuit, rejecit exceptiones à debitore deductas, tunc præsumptio potius assistere debet iudicato, ac propterea turbiditas debet esse causa, ut procedatur cum regula, non autem cum limitatione; Ideoque prima opinio erronea potius videtur, potissime verò ubi agatur de causis concernentibus commercium ut (ex. gr.) sunt illæ literarum cambii, vel illarum parvarum apodissarum, quæ paghero vulgò dicuntur, sive assecurationis mercium, aut pro pretio mercium, quod mercantili more promptè solvendum est; cum Reipublicæ nimium interfit atque proficua sit celer ac summaria justitia, more fori mercatorum pro libertate ac facilitate commercii.

47 De fori competentia, vel Judicis qualitate, frequenter quoque in hoc Tribunali disputari solet; Ut putà super remissione causarum ad partes locorum Ordinariis, à tentata prima instantia, & an suffragentur privilegia, quæ desuper pro hujus regulæ limitatione deduci solent ratione miserabilis personæ, aut ratione Eugenianæ, sive ob illam fori electionem, quam

Card. de Luca. Relatio Curia Romanæ.

tribuat obligatio cameralis, vel alia conventio cum similibus, quæ fori competentiam in ipsa prima instantia concernant; Aut quod causa ob ejus gratuitatem debeat esse curialis, cum similibus; Sive in gradu appellationis, an causa committi debeat in Curia, vel in partibus, quia exigua sit; Aut in eadem Curia, an in Rota, vel Prælato, quia nempe valor causæ non excedat summam scutorum 500. Ideoque non fit Rotalis, quando de causis prophanis agitur; Aut quando de beneficialibus, quod beneficii valor non excedat ducatos 24. quoties non sit beneficium qualificatum, quod propterea ratione qualitatis, non autem valoris sit causa Rotalis, ut puta in primis dignitatibus; Sive quod etiam in prophanis, dictum valorem non habentibus, agatur de servitutibus, vel de præminentis, aut aliis præjudiciis perpetuis habentibus tractum successivum, cum similibus, de quibus frequenter disputare contingit, an ad unum vel ad alium judicem causa pertineat, tam in secunda instantia, quam etiam in prima, quando ita exigat plurium causarum connexio vel præjudicialitas, Putà super concursibus creditorum, sive quod agatur de hæreditate habente bona in diversis locis, aut quod plurium personarum diversi fori mixtura contingat, juxta illas quæstiones, de quibus habetur in sede rerum jurisdictionalium, & competentia fori.

Vel ubi accedat quæstio præjudicialitatis sive mixtura utriusque judicii civilis, & criminalis, unde propterea oriatur quæstio præventionis, sive utrum unus Iudex alteri inhiberi debeat, ut expectet exitum causæ, quæ coram eo pendeat; Et in summa omnia ea quæ judiciorum cursum concernunt de his tit. de judic. disc. 3. & tit. de jurisd. pluries.

Et quamvis ad Tribunal quoque pertineat decidere super justitia vel injustitia recusationis Iudicis, ex capite suspicionis; Attamen ut 49 alibi pluries advertitur, ex nimium commendabili Curia stylo, nimium raro hujusmodi quæstiones audiuntur, dum ipsi Iudices, audiendo quod una Partium, aliquam habeat diffidentiam, libenter abstinere, etiam quando de juris rigore non essent recusabiles; Idque provenit à magna integritate, ac omnimoda absentia fordidum, adeo ut iudicia non convertantur in mercaturas, & telonia; Et per consequens libenter effugitur illa iudicandi occasio, quæ nullum præbeat emolumentum, sed solum laborem, & incommoda.

Ab aliquo moderno tempore, sub pontificatu scilicet Innocentii X. inolevit usus, quod re 50 cursus à gravaminibus in causis criminalibus, habentur ad solum Præfectum, qui per se ipsum, vel per ejus Auditorem de illis cognoscit, ac providet, quasi quod non congruat causis criminalibus publicitas Signaturæ plenæ; Cum aliis pluribus, de quibus in hoc Tribunali agi contingit, quia penè impossibile est omnia recensere, ideoque lector his sit contentus, dum alia apud præficientes perquirere poterit.

Inter illas autem causas, ob quas rescribi solet de clausula suspensiva, vel translative, etiam 51 ubi regulariter appellatio non intret, reputari solet diuturnitas temporis; Ut præsertim in materia pensionum ecclesiasticarum praxis docere solet, quando non contra eundem, sed contra

successorem agatur, juxta distinctionem, de qua in particulari pensionum sede. titul. de pension. disc. 67.

52 Sive ubi de illo summario, & executivo iudicio possessorio retinenda, vel reintegranda agatur, quod concessum sit adversus factum iudicis, quod spoliativum ratione clarae iniustitiae supponatur, juxta ea quae in sede iudiciorum in huiusmodi remediorum rubrica habentur, quoniam cum agatur de concursu iudiciorum hinc inde, congruum reputari solet alterum iudicium terti: Quod tamen non semper est firmum pro causarum qualitate vel Tribunalis arbitrio, sed est frequentius. tit. de iudic. disc. 44.

53 Quamvis autem ista Praelatura, in iis praesertim, qui sunt Vocantes, adeo magnum praeseferat laborem, & Curiae servitium: Attamen (ut praemissum est) iste labor, sive ipsa Praelatura nullum praebet emolumentum burfale, sed potius notabilem sumptum in se sustentando cum convenienti decore: Et quod magis est, non magis haberi solet, pro assumptione ad primarias, dignitates, quoties alterius muneris ratio non exigat: Res quidem aliqua admiratione digna: Tales sunt Curiarum styli, unde propterea ista species adeo laboriosa Praelaturae aequalis penes videtur fortunae alterius laboriosae vitae Advocatorum: Aliqua tamen istorum meliori conditione circa commodum burfale.

54 Quamplura Curiae Tribunalia, huic Tribunali Signaturae non subjacent, ut sunt: Omnes Congregationes Cardinalium supra recensitae: Congregationes Baronum & montium: Tribunal Camerae: Camerarius: Thesaurarius: Praesidentes Annonae, Grasciae, Dohanarum, Riparum, Zecchae Archivi & Viarum, ac similes, utpote Camerae subordinati: Ac etiam Curia Capitoli: Archipresbyteri Basilicarum Patriarchalium: Aliique Protectores, & Iudices particulares piorum locorum: Nec non Cardinales, quibus non diriguntur commissiones, nisi signatae manu Papae: Omnesque alii Iudices, quibus eadem commissio signata manu Papae directas: Bene tamen omnia haec, & alia similia Tribunalia exempta ab ista Signatura Iustitiae, subjacent alteri Signaturae Gratiae.

Inter istos Referendarios, & Generales Religionum indecisa pendet quaestio praecedentiae, in qua favore Praelatorum aliquas facere annotationes occasio dedit, de quibus in supplemento fortè in materia praeminentiarum agendum erit.

DISC. XXXII.

De Tribunali, seu Auditorio Rotae.

SUMMARIUM

- 1 DE prima figura inter iudices, quam in Curia facit Rota.
- 2 Quod Sacra Congregationes sine de diversa specie vel sphaera, & quare.
- 3 De origine, vel introductione huius Tribunalis Rotae.
- 4 Quare Auditores dicuntur Capellani.

- 5 Singuli Auditores sunt delegati, sed ipsum Tribunal est ordinarium.
- 6 Decanus quomodo distribuatur causas Auditoribus, & subroget.
- 7 In Rota sufficit unica commissio, & quando aliae plures dentur.
- 8 De communicatione facultatum Auditoris Camerae, & ad quid.
- 9 De antiqua facultate necessaria pro citatione per editum.
- 10 In Rota commissio est loco libelli.
- 11 Idem in S. Concilio Neapolitano.
- 12 De antiquis Tribunalibus maioribus dicti Regni.
- 13 Quando dictum Concilium erectum fuerit.
- 14 Quomodo ibi signentur supplicationes.
- 15 De imitatione edendi decisiones dicti Concilii.
- 16 Ex quibus nationibus Auditores Rota eligantur, & de eorum numero antiquo.
- 17 De eodem, & de statu moderno, & de antiquis nationalibus.
- 18 De loco Bononiensis.
- 19 De loco Mediolanensis.
- 20 De loco Ferrariensis.
- 21 De loco Hetrusci.
- 22 De aliis tribus locis Romanorum.
- 23 Provinciae Regni Neapolitani non habent locum in Rota.
- 24 De Pontificibus, qui in hoc seculo exierunt à Rota.
- 25 Quomodo assumatur Auditor noviter electus.
- 26 De ratione, ob quam fiant tot ceremoniae, & solemnitates.
- 27 De disputationibus publicis, quae sustinentur, & de secretis.
- 28 De admissione post expletas solemnitates.
- 29 Non admittantur illegitimi.
- 30 Quid importent emolumenta Auditorii Rotae.
- 31 An Auditor priusquam admittatur, gaudeat privilegii Auditorum, inter quae est istud obtinendi expeditiones bullarum gratis si promoveantur.
- 32 Quos habeat adjuutores.
- 33 In quibus diebus Rota habeatur.
- 34 Quomodo sedeatur in Rota, & votentur causae.
- 35 Auditor non decidit causas etiam compromissas, non audit voto Rotae.
- 36 De modo concordandi de dubio.
- 37 De disputatione dubii utraque parte informante, vel altera tantum.
- 38 Qualis sit hodiernus stylus circa dubia, & qualis esset antiquus.
- 39 Quomodo fiant informationes per Advocatos, & Procuratores.
- 40 De distributione informationum, earumque communicatione hinc inde, & quomodo respondeatur.
- 41 Quot causae proponantur per quemlibet Auditorem.
- 42 Commendatur stylus scribendi Advocatorum, & Procuratorum.
- 43 Iudices, & Advocati non vident processus, & detractione, ac de Curialium integritate: & quinam scribere possint in Rota.
- 44 Non habetur usus contradiCTORIORUM, & quomodo causae disputentur in Rota.
- 45 Quando Rota aperiatur, & claudatur.
- 46 De solemnitate, quae adhibetur in aperiatur.
- 47 De Rotis memorialium.
- 48 De nominibus seu vocabulis spatiorum inter unam vacationem, & alteram.
- 49 De dubiis super incidentibus, quae percutiunt ordinatorem iudicium.

- 80 Rota de stylo non decidit causas, vel punitos sine disputatione dubii, & extensione decisionis, ad cuius limites debet sententari, quod declaratur.
- 81 Unde manet tanta copia decisionum Rotæ, & de eorum numero.
- 82 Quid propriè contineant ista decisiones, & in quo differant ab illis aliorum tribunalium.
- 83 De consimili stylo Rotarum Florentinae, & Senensis ubi motiva dicuntur.
- 84 De modo petendi expeditionem causæ, vel respectivè novam audientiam.
- 85 Quando concedatur, vel denegetur nova audientia.
- 86 De revocatione decisionum unde proveniat.
- 87 De eodem quodque revocentur etiam sententia Rotales.
- 88 Cause Rotales non mutant naturam, ideoque appellabiles remanent tales, & de commissione in aliis instantiis in eadem Rota.
- 89 Rota est iudex appellationis, quomodo, & à quibus, & quando cognoscat etiam causas in prima instantia.
- 90 Cognoscat causas utriusque Principatus, vel fori ecclesiastici, & temporalis, civiles, non autem criminales.
- 91 Qualis sit major copia causarum, an scilicet spiritualium, vel temporalium, & de ratione diminutionis causarum spiritualium.
- 92 De errore opinantium quod professores Romanae Curie non sint periti in iure civili, & in materiis prophanis.
- 93 Quales deceant esse Rotæ auditores ex dispositione Constitutionum Apostolicarum.
- 94 Quod stylus faciendi decisiones sit antiquissimus, & de ratione.
- 95 Quod etiam esset in usu in Roma antiqua, in qua antiqui Iurisperiti speciem huius Rotæ efformarent.
- 96 Quam auctoritatem faciant Rotæ decisiones.
- 97 Declarationibus S. Congregationis Rotæ reverenter defert.
- 98 De decisionum Rotæ auctoritate apud externos.
- 99 De stylo ut decisiones fiat presupponenda, quodque non revocentur incidenter, & quomodo.
- 100 De improbantibus hunc stylum edendi de necessitate decisiones super omnibus resolutionibus, & de eorum motivis.
- 101 De improbatione alterius styli deferendi auctoritati decisionum.
- 102 E contra de commendantibus dictum primum stylum edendi decisiones, & de rationibus, cum responsionibus ad objecta.
- 103 Et de commendantibus alium stylum deferendi decisionibus, & non rationibus.
- 104 De opinione media, seu distinguente, & conciliante.
- 105 De abusu, super extensione decisionum.
- 106 Quod Advocati, & Procuratores cumulent motiva relevantia, & irrelevantia, & de ratione.
- 107 De eodem abusu de quo n. 75.
- 108 Quomodo formari debeant decisiones, & cuius vestigia sequenda sint.
- 109 De inconvenientibus qui resultant à mala extensione decisionum.
- 110 Decisiones qua propriè dicantur, & in quibus partibus non sint propriè decisiones.
- 111 Reputatur abusus quod ponens, vel iudex causa non habeat votum, neque sit informatus de causa meritis.
- 112 De eodem de quo n. 78. quomodo scilicet debeant extendi decisiones.
- 113 Damnantur digressiones, atque decidere merita incidenter.
- 114 Card. de Luca. Relatio Curie Romanae.
- 84 De alio abusa non declarandi motiva in aliqua decisionem deducta, qua videantur minus vera.
- 85 De abusu circa impressiones decisionum in voluminibus.
- 86 De altero stylo de quo supra num. 71. & 73. deferendi decisionum auctoritati, & quomodo id intelligendum sit.
- 87 Generaliter quomodo doctrinis, & auctoritatibus deferri debeat.
- 88 In quo consistant hodie questiones forenses, & quod sint potius facti, quam iuris.
- 89 De boni iudicis idea, & quales partes in eo concurrere debeant, & an desideretur potius literatura, quam integritas, vel e contra.
- 90 Quod stylus substituendi conclusiones non congruas iudicature.
- 91 Quare Advocati eximii aliquando non soleant esse boni iudices.
- 92 Rota non exequitur res iudicatas aliorum Tribunalium non gustato de iustitia.
- 93 Attendit potius rationes, quam numerum doctrinarum, & quod ab omni iudice fieri debeat.
- 94 Non concedit revocationem executivalem post decem annos sine nova disputatione.
- 95 Per contradictas non decidit possessorum sine cognitione petitorii.
- 96 Etiam in petitorio, vel in revocatione attentatorum solet gustare de bono iure.
- 97 Demandat concordiam, & an id de iure faciendum sit.
- 98 Quando concessit novam audientiam, non concedit expeditionem sine nova expeditione.
- 99 In causa Rotali beneficiati cessant omnes executores, ipsaque Rota instituit, vel confert.
- 100 Quando procedat ad executionem obligationis camerale.
- 101 Quando procedat sine disputatione dubii.
- 102 Quando Rota mutat opinionem, id non præjudicat iuri questio.
- 103 De stylo condemnandi in expensis, & quomodo.
- 104 De opinionibus parum probabilibus quas retineat.
- 105 De stylo circa terminum preservato in ultima Rota.
- 106 De Decanatu Rotæ.
- 107 An ponens possit nolle sequi votum correspondentium.
- 108 De expensis qua fiant per litigantes in hoc Tribunali.
- 109 De loco quem Rotæ Auditores habent in capella Pontificia, & de effectibus exinde exortis.
- 110 Que munera Rotæ Auditoribus incumbunt vel demandari soleant extra Rotam, & in alius Congregationibus.
- 111 Descriptores in utroque iure, vel in aliis facultatibus, qui fuerunt Rotæ Auditores.
- 112 De aliis ad Rotam pertinentibus.

CUm inter illos Romanæ Curie Iudices, qui in forma judiciali, causas contentiosas cognoscunt, ac decidunt, primam ac majorem figuram faciat istud Tribunal, cuius resolutiones, quibus decisionum nomen tribuitur, aliis iudicandi normam præbent (dum Cardinalitii Congregationibus, atque utriusque Signaturæ Tribunalibus istud Iudicis vocabulum propriè non congruit;) Hinc, de eius origine, statu, ac stylis agendo, Iudicis ideam generalem quoque efformare congruum videtur, quomodo scilicet Iudex, qui intra iustitiæ commutativæ, atque legum cancellos habeat arbitrium restrictum, causas cognoscere, ac decidere debeat, dum longè diversa cognoscendi ac decidendi ratio viget in Cardinalitii, aliif-

que Congregationibus, ac respectivè Tribunalibus, de quibus supra actum est, ut potèe vicariis Papæ vel supremi Principis partes explicantibus; unde propterea quandoque facultatum qualitate, rigorosos juris cancellos egredi, atque cum illis legibus vel regulis, quæ prudentiales dicuntur, procedere, ut negotiis finis vel temperamentum magis opportunum concedatur.

Ex eadem itaque causa, vel principio, cujus enarratio superius, in Consistorii Rubrica habetur A. supra disc. 5. Tribunal istud originem trahit; Cum etenim, sive in ratione iudicii, ac jurisdictionalis potestatis; Sive in ratione arbitrariæ ex compromisso, Papa totius catholici Orbis causas, & negotia, explicaret, huic verò muneri per se ipsum solum vacare, humana imbecillitas non concederet; Hinc pro quibusdam primariis, ac majoribus negotiis in eadem Consistorii Rubr. enunciatis, adjuutores & consiliarios adhibere cepit Cardinales, cum quorum consilio in Consistorio ea explicaret; Alia verò explicare consuevit in cappella sive in camera, cum ope, & consilio suorum Cappellanorum (quales propriè Rotæ Auditores appellantur) Attributo quoque antiquitus alio magis frequenti nomine Auditorum S. Palatii Apostolici, ex eo quod priusquam congregarentur in conspectu Papæ, ipsumque de cautarum statu, ac meritis informarent, atque votum seu consilium præberent; Partes in eodem Palatio Apostolico audiebant; Atque ad tollendas confusiones, quodque quilibet sciret quas causas relaturus esset, consuevit idem Papa supplicationes, quæ illi porrigebantur, singulis Cappellanis vel vel Auditoribus distribuere, seu causas pro compilatione processus delegare, tanquam per speciem, ut dictum est, distributionis.

Atque hinc manat practica, & recepta propositio, quod singuli Auditores dicuntur Iudices delegati, non autem Ordinarii, ut potèe ex sibi directis commissionibus; delegatam jurisdictionem habentes, atque jure delegati, non autem ordinarii Iudicis metiendi, ipsa verò Rota seu ipsum Tribunal, in universum, ut potèe representativum præfata Cappellæ seu Aulae pontificiæ, ordinariam habet jurisdictionem, atque Iudicis ordinarii jure censetur, habituali jurisdictione & competentiâ penès omnes existente. *Burrat. & add. decis. 818. Coccin. decis. 2088. Dmozett. decis. 709. & in Tirazoren. jurisdictionis. 14. Decemb. 1663. coram Vicecomite edita in casu de quo sub tit. de jurisd. disc. 22. Rovit. super prax. in Rubr. de officio S. Consilii.*

Exinde quoque manat, quod ex sola remissione, vel commissione Decani, (id est illius, qui eorum antiquior est, non quidem ex causa, vel ratione particularis officii, sed in ratione præminentia, quam antianitas præbeat, quandam præfaturæ seu præfidentia speciem habet) unus Auditor, loco alterius impediti subrogatur, atque sententias profert, aliaque acta explicat abique alia delegatione seu commissione; *Ibidem.* Quoniam in Rota unica commissio sufficit in tota illa instantia; *Coccin. decis. 1533.* Unde propterea nova commissio in eadem causa, non nisi pro ulteriori instantia alteri dirigitur; illis exceptis commissionibus, quæ incidenter eidem Iudici delegato dirigantur, ut sunt illæ, quæ præinsertæ dicuntur. *disc. præcedenti* enunciata, pro reformatione scilicet vel suppletionem commissionis,

quæ ad alterius partis preces signata fuit; sive ubi aliquas communicari oporteat facultates, quas prima commissio non concederet, *Ut (ex gr.) sunt eodem disc. præcedenti* enunciatae facultates Auditoris Camerae, super processu exequutivo in causis pecuniariis, & prophanis; sive juxta antiquum stylum erant facultates procedendi cum citationibus per edictum, & per diligentias, usquequod ista facultas eidem Tribunali generaliter communicata fuit, dum prius commissio specialis in qualibet causa necessaria erat; *Vestr. lib. 4. c. 2. & lib. 1. cap. 1. & in consil. 44. Tit. IV.* Aut quando alias causas, quæ connexionem cum jam delegata habeant, unire Papæ, vel ejus Signaturæ Gratiæ seu Justitiæ videatur, cum similibus, quæ (ut præmissum est) accidentia concernant, firma remanente regula, quod in tota ea instantia unica commissio in Rota sufficit.

Ex eodem fonte quoque manat stylus, quod in hoc Tribunali non habeatur usus libellorum, qui Iudicibus, & Magistratibus ordinariis verè ac propriè congruit, sed loco libelli succedit commissio, ut potèe continens tenorem supplicationis Papæ porrectæ, in qua Actor, vel petitor, ad libelli instar, suam actionem, vel petitionem proponat, ac remedia sibi visa intenet, & clausulas salutares adjiciat. *Dmozett. dec. 664. & passim.*

Unde propterea (ad instar) idem servat sacrum Concilium Neapolitanum, quod Sanctæ Claræ, seu Capuanæ nuncupatur, cujus celebres decisiones habemus apud Assisium. *Grammatic. Capic. Ministorum, Franch. Gizzarell. Capic. Latr. Tappam, & Sanfelice.* ultra tot alias quas in compendio referet elaboratus collector *Thorus*, cum etenim Curiam Regis representarent antiquitusa tria suprema Tribunalia apud ipsum assistentia, quorum unum à magno Iustitiario rectum, Magnæ Curia dicebatur, & alterum Vicariæ, tanquam ab ipsius Regiæ Civitatis Gubernatore seu Vicario derivatum, & quæ duo hodie simul unita unum constituunt Tribunal, ex civilium, & criminalium Iudicium collegiis rectum, quod Magnæ Curia Vicariæ vulgò appellatur, cum reverà tanquam duplex, sub duplici nomine M. Curia, & Vicariæ appellari debere; Et tertium Cancellariæ ipsius Regis, quam regebat & administrabat Magnus Cancellarius, cum consilio aliquorum Iurisperitorum, qui Cancellariæ Regentes appellantur, illudque consilium in rebus civilibus, non autem militaribus vel status constituant, quod Collaterale dicitur.

Rex Alphonsus primus, Aragonensium Rex, qui ex Ioannæ secundæ adoptione, cum Sedis Apostolicæ Dominæ directæ placito, idem Regnum adeptus fuit, adeoque prudenter in eoridendo, ac moriendo, supra triginta annos illud rexit; Inter alia, quæ commendabiliter ordinavit, fecit novam erectionem præfati majoris Tribunalis Consilii pro causis appellationum ab aliis inferioribus, ac præsertim à præfatis majoribus Magnæ Curia, & Vicariæ, non autem à dicto alio Cancellariæ (quod reverà Iudicis partes non explicat, sed potius Principis).

Atque ad instar Consilii Regni Valentia, à quo originalis ejus idea derivat, idem Consilii nomen seu vocabulum sortitum est, cum adjecto Sanctæ Claræ, ratione loci, in quo congregabatur; Eodem modo quo de præfenti Capuanæ dicitur; ex eadem ratione loci, quod scilicet congre-

gregetur in eo Palatio, quod propè portam Capuanam Regis habitationi prius deserviebat, habita ratione ad tutiorem ac ameniorem locum translata, ad arcem scilicet celeberrimi castris, quod novum dicitur Tribunalium usui assignatum est, ut in eo singulis diebus omnia pro majori litigantium commoditate unirentur.

Cumque hæc & alia præfatus Rex explicaret, cum opere & consilio Alphonfi Borgiæ, ejus majoris Cappellani, ac intimi Consiliiarii, qui deinde Archiepiscopus Valentinus, & Cardinalis creatus, Sedem quoque Petri, sub nomine Calisti III. occupavit, Istque in Romana Curia benè versatus esset; Hinc probabile est, quòd hujus novi Tribunalis principalem ideam seu modulum efformando ex dicto Valentino Consilio, ex isto quoque Tribunali Rotæ aliquem desumpserit ordinem; dum istud Rotæ vocabulum ejusdem Tribunalis distribuitur Aulæ fortionitur; Ac pariter in eo Tribunali non habetur usus libellorum, ut habetur in præfatis aliis Magnæ Curia, & Vicariæ, aliisque Audienciis, & Curis inferioribus Regni, sed adamussim adhibetur idem usus commissionum, quæ ibi supplicationes dicuntur, & quas ibi Regi directas, eo modo, quo in Curia diriguntur Papæ, ad instar ejus, quod in Curia gerit Præfatus Signaturæ Justitiæ, signat ille ejusdem Consilii primus officialis, qui ejus Præfatus dicitur, ratione tamen particularis officii Vicarii seu Vicegerentis. Magni Prothonotarii, quod annexum quoque habet.

Istius autem Præfatis potestas in hac parte major esse videtur, quàm sit illa Præfati Signaturæ Justitiæ in Curia, quæ quies cum Partium contradictione super modo rescribendi de appellatione, vel declarandi competentiam Iudicis super supplicationibus, vel commissionibus rescribendum sit; Ibi enim id agit solus Præfatus in ejus domo, exceptis causis recusatationis Iudicis ex capite suspicionis, quæ in ipsius Consilio Rota, seu Aula, in qua ipse Index sedet, examinatur adeo frequenter, & cum tam magno disputationum apparatu, ac temporis jactura, & frequentius ex calumniæ fomento; In Curia verò Præfatus sequi tenetur consilium Prælatorum seu Assessorum, qui distinctum Tribunal cum eo constituunt, ut præcedenti discursu relatatum est.

Item pariter ad instar nimum probabile est, quod circa ea primæva tempora istius novi adeò magni ac celeberrimi tribunalis, quod ipso initio adeo famosum effectum est, ut ejus majestas aliquos primi nominis Iuriscōsultos teterreret, ut sunt *Deicius, & alii. Mattheus de Afflicis*, qui ejusdem Tribunalis decisionum primus compilator fuit, istud commendabile opus suscipere, imitando hujus Tribunalis Rotæ stylum antiquissimum, adeò ut etiam antiquiores, ac primi Interpretes, & Magistri, qui per sæcula ante præfati Consilii erectionem scripserunt, istas decisiones Rotæ allegent, imò aliqui contra earum multitudinem, eodem modo, quo de præfatis invehant. *Alexand. contra Romanum allegantem has decisiones in l. si cum dotem, §. eo autem tempore, nu. 4. ff. soluto matr.*

Cum itaque (ut præmissum est) Summus Pontifex, inspecta origine, seu antiquiori tempore, universæ Ecclesiæ Catholicæ causas, quas in Cardinalium Consistorio non peragebat, cum ope, & consilio suorum Cappellanorum ageret, ac decideret; Hinc proinde prudenter eosdem

Cappellanos seu Auditores, quorum numerus præfinitus non erat, sed varius pro Papæ arbitrio, adeò ut quandoque trigessimus ferè attigerit, sive ad eum approximaverit, ex omnibus nationibus, ac mundi partibus assumebat. Et merito quidem, ac prudenter, ut ita in eo cætu adessent viri, qui in singulis respectivè provinciis vel nationibus versati essent, ut alios, ipsi quoque Papam de illarum moribus ac styliis informare possent; Et sic aderant Itali, Hispani, Galli, Angli, Poloni, & aliarum partium seu nationum, absque certa præfinitione numeri in singulis nationibus, sed pro Papæ arbitrio, ex temporum, ac rerum contingentiâ regulari consuevit, usque ad tempora Sixti IV. de quo tempore causa præbente, quod in Rota sederent quatuordecim Cappellani, sed Auditores, quorum unus esset Germanus, alter Gallus, duo Hispani, ob Hispaniarum divisionem, quæ tunc aderat in duas coronas; unam scilicet constitutam ex regnis Castellæ, & Legionis cum annexis, quæ Castellæ dicebatur; Alteram verò Aragoniæ nuncupatam, constitutam ex regnis Aragoniæ, Valentiniæ, & Cathalonæ, aliisque annexis; Reliqui verò omnes essent Itali, ex diversis nationibus, præsertim verò unus Venetus, Pontifex prædictus Sixtus IV. per ejus Constit. 2. supprimendo duos locos ex crescentes numerum ab eo desideratum pro quando eorum vacationis casus fieret. duodecimum invariabilem numerum, quem hodie habemus, statuit.

Sive autem id sit ex privilegio explicito, sive ex eo implicito, quod ex consuetudine resultat, vel ex alio mihi incerto principio, quæ præbuit, quòd intra hunc præfinitum numerum unum locum fixum occupet Gallus ad nominationem illius Regis; Alterum Germanus, ad nominationem Imperatoris; Et duos, duo Hispani; unus scilicet ex Regnis dictæ coronæ Castellæ & Legionis; Et alter cum turno, seu alternativa inter præfata tria dictæ coronæ Aragoniæ Regna, ad nominationem Regis Catholicæ; Reliqui verò omnes Itali, inter quos fixum locum semper haberet unus de dominio Veneto, ad illius etiam Reipublicæ nominationem de pluribus, quorum unus Papa eligit.

Tractu verò temporis postea sequutum est, quod Iulius II. præfati Sixti IV. nepos, ac medietus successor, Bononiensium Civitati, quæ ad Sedis Apostolicæ obedientiam, ac fidelitatem; expulso Ioanne Bentivolo, tyranno, rediit, inter plura privilegia, concessit locum fixum in Rota, & alterum in Collegio Advocatorum Consistorialium, absque tamen aliqua nominandi facultate ad liberam Papæ electionem in duobus ejus civibus, quibus potius ex quodam jure postlimini seu continuationis id concessum videtur; Cum etenim in eo, pluribusque præcedentibus sæculis, ista Civitas in litteris florentissima esset, adeò ut docentis nomen sortita sit, præsertim verò in utriusque Iuris facultatibus; Unde propterea S. Thomas in opuscul. tit. de vit. & virtut. cap. fin. Præf. discept. 42. num. 83. tom. 3. illam inter quatuor reliquarum scientiarum matres, & magistras collocaverit; Parisiensem scilicet in scientiis, Salernitanam in medicina; Aurelianensem in Auctoribus; Et istam Bononiensem in legibus. Et quod magis est, Gregorius IX. facta de ejus mandato compilatione quinque librorum Decretalium, huic Universitati eos direxit; Ac etiam docet

am copiosus numerus gravium scribentium, præsertim verò in Jure Canonico; Hinc proinde nimum probabile est, quod hujus Civitatis alumni, etiam plures contemporaneè, in hoc Tribunali, atque in dicto alio Collegio federent ratione copiarum Professorum, quæ tunc in ea habebatur; Postmodum autem Pius IV. solidioribus negotiis, favore patriæ magis vacando quam fecerit prædecessor, Civitati Mediolanensi patriæ utrumque locum fixum, ad instar Bononiensis, concessit, addita ulterius facultate illi qualificato DD. Collegio, tres nominandi, quorum unum Papa eligeret, juxta eam facultatem, quam habet Respublica Veneta; Ac demum devoluta ad Sedem Apostolicam Ferrariensis Civitate, Clemens VIII. qui personaliter ejus possessionem adipisci voluit, inter quamplura privilegia, quæ prodigialiter illi concessit, istud quoque illi Bononiensis Civitatis omnino simile indulgit; Unde propterea sequitur, quod ex octo Italis in hoc Tribunali sedentibus, ista Italia pars montibus proxima, quæ Lombardia vulgò saltem in lata significatione dicitur, quatuor habeat Auditores.

Inter reliquos autem quatuor observantia docet, quod unus semper est Hetruscus, cum aliqua specie alternativa inter Civitatem Perusinam, quæ dicitur de Hetruria Papæ subdita, in ejus lata significatione; Et Civitatem Senensem vel Pisanam, aut aliam Hetruriæ superioris civitatem; Idque quod sciam non ex aliquo scripto privilegio, sed ex observantia, eamdem fortè continuationis rationem habente, quæ supra in Bononiensi Civitate assignata fuit, dum præsertim Perusina Civitas de utriusque Juris facultatibus ad eam emerita est, ob tam copiosum numerum DD. & præsertim primorum Magistrorum, & parentum; Idemque illius habet altera Hetruria, in qua leges civiles post earum casualem intentionem cunabula habuerunt; Disc. I. de servit. ubi de loco inventionis legum. Reliqui verò tres remanent ad Papæ dispositionem absque aliquo explicito privilegio; Pro frequentiori tamen continuata praxi, sunt cives Romani.

Neglectæ itaque in hoc numero remanent duodecim amplissima provinciæ constituentes Regnum Siciliae ultra, (quod hodie Neapolitanum vulgò dicitur, ob Curia Regia residentiam; Nulla ratione habita, quod illud dici potest mater legum, quarum Hetruria nutrix solum fuit, eod. disc. I. de servit. Quodque totius Italiae, saltem in longitudine, quamvis non in latitudine, partem dimidiam ferè absorbeat; Atque sit de directo dominio Sedis Apostolicæ, quæ notabile censum, ejus ratione singulis annis assequitur; Et quod magis est, majores huic Tribunali, totique Curia mittit causas, quam faciunt dictæ regiones, quæ quatuor habent, longèque majora subsidia, & emolumenta ratione beneficiorum & pensionum ac spoliatorum suppeditat; Unde propterea, si superius assignatæ rationes perpendantur, ob quas congruit, ut diversarum nationum, ac partium vin in hoc Tribunali sedere debeant, manifestam istæ provinciæ pati videntur injuriam; Ea tamen ejus civibus & incolis referenda est, dum idealitatibus, ac vanitatibus potiùs vacant; sive enim negligentia vel ineptia id tribuatur; sive illi vulgari traditioni, quæ pro mea notitia fabellæ speciem habet, quod suum locum cesserit præfata coro-

næ Aragonensi jure permutationis cum quodam majori numero Nationalium in superius enunciato noviter erecto Consilio, (cujus traditionis originem seu fundamentum adhuc invenire concessum non est) semper id stultitiæ manifestæ speciem redolet, quoniam magis expediret Civitati, totique regno, unum locum in isto Tribunali, cum omnibus alterius præfati permutare, ob magnas consequentias, majoremque Nationalium decorem & auctoritatem, quæ exinde resultarent, dum praxis docet, quod istud Tribunal est Pontificum, & Cardinalium, mag-norumque Præfulum seminarium.

Negligendo siquidem assumere antiquiorum temporum Chronicas, atque agendo solum de praxi nostri currentis decimi septimi sæculi, intra ejus dimidium, ac parum plus, istud Tribunal produxit tres Summos Pontifices, nempe Clementem VIII. Gregorium XV. & Innocentium X. pluresque qualificados Cardinales ejusdem alumnos in conclavibus eidem thiaræ proximis, atque intra idem spatium magnum quoque produxit numerum qualificados Cardinalium, ac Præfulum, qui conspicuas, primariaeque Italiae, & Hispaniæ, aliarumque regionum Ecclesiæ Metropolitanas, & Cathedrales adepti sunt, ultra tot alios Pontifices, Cardinales & Præfules, quos in decursis sæculis produxit; Atque inter plures Summos Pontifices fuit ille, qui dici potest gloriosus, qui ex judicio Ecclesiæ universalis in Concilio Constantiensi ad sedandum terribilissimum schisma electus fuit, Martinus V. appellatus.

Hujusmodi Auditorum admissio ad collegium, ex antiquo stylo, nimum solemnis, ac laboriosa est; postquam etenim, sive ad nominationem, sive ex ipsius electione ut supra, Pontifex, cum ejus motu proprio, in locum illius Auditoris, qui per mortem, vel per promotionem defecit, alium subrogavit; Iste assumendo togam doctorem, (quæ prius omnibus Curialibus communis, hodie Advocatorum Consistorialium singularis est,) Advocati munus suscipere proficitur, tam in scriptis, quam ore tenus in causis in ipsa Rota vertentibus, cum obligatione visitandi singulos auditores per multas vices, adeo ut in hujusmodi, aliisque ceremoniis plurimum mensium spatium decurrat, illa solum tractamenta recipiendo, quæ aliis Consistorii Advocatis conceduntur, more superioris cum inferiori, ut neque propria domi dextera manus ei per Auditores tribuatur (nisi quando electus in Prælatuæ statu jam constitutus esset.)

Hujusmodi vero introductionem aliqui commendant, tanquam prudentem, atque ex eo laudabili sine derivatam, ut ita interim Ultramontani, ac alii, qui ex diversis partibus ut supra assumuntur, in hoc depressiori, adeoque obsequioso statu, Curia præxim, magnamque ejus urbanitatem addiscant.

Istis ceremoniis expletis in parte, in sibi statuta die tenetur aliquas conclusiones ad materiam alicujus Canonis vel legis civilis publicè sustinere in aula magni Palatii Cancellariæ Apostolicæ, in conspectu totius Collegii Cardinalium quoad hunc effectum solemniter cum rochetto, & cappa magna, ad formam Consistorii, vel cappellæ, in isto loco congregatur, istaque occasione aula repleta est Prælati, Advocatis, & Procuratoribus, aliisque Curialibus, nec non ipse-

ipforum Cardinalium aulicis Curialibus, pluribusque Nobilibus Juris, qui pro consueto obsequio Cardinales comitentur, adeo ut revera sit nimia majestatis solemnitas; Ista vero functio pro sola ratione venerationis, quae antiquitati debita est, atque pro Curiae majestate, ab aliquibus laudatur; Ab aliis vero ob inverisimilem disputationis formam, improbat, quasi quod ex hujusmodi scholastica functione, quae adolescentibus potius congrua est, iudicium efformari non valeat idoneis illorum, qui graviores totius Catholici Orbis causas spirituales, ac etiam prophanas temporales ditionis Ecclesiae, sive alias accidentaliter ad forum ecclesiasticum pertinentes, iudicaturi sunt; ideoque congruant eadem, quae circa Episcoporum examen superius insinuata sunt; *Supra disc. 21.* Istaque functione bene peracta, alteram idem electus sustinet magis rigorosam, sed secretam coram ipsius Rotae Auditoribus tantum, in eadem scholastica forma argumentibus.

Ista quoque functione peracta, per duos Auditores praesentatur conspectui Papae, a quo obtinetur oraculum admissionis in Rota, praevia juramenti praestatione, aliisque adimpletis, quae ad Constitutionem Apostolicam praescriptum adimplenda sunt; *tit. de praesent. disc. 28.* Inter quae, priusquam praefati actus ceremoniales sequantur, occasione praesentationis motus proprii pontificii, est rigorosus processus super justificatione legitimorum natalium, adeo ut hujus Tribunalis Chronica doceant, quod sub praefato Sixto IV. potius Papae itam, cum omnium Auditorum exilio ab Urbe pati voluerint, quam recipere inter eos virum aliquem in literatura insignem, qui pateretur defectum natalium, non obstante, quod illis per Papam amplissime restitutus esset.

Item justificanda est ejus congrua provisio pro suppletionem decentis sustentationis, quam iudicaturae emolumenta non suppetunt; siquidem computatis emolumentis sportularum seu propinarum, quarum usus in hoc Tribunali habetur juxta ordinem recensitum, *sub tit. de iudicis, in earumdem propinarum, aliarumque expensarum judicialium particulari rubrica; tit. de iudicis disc. 39.* Ac etiam computata illa participatione emolumentorum, quae Notarii percipiunt ex actis ordinariis, ut infra in Notariorum rubrica insinuatur, illoque centum scutorum auri munere pontificio, quod supra occasione agendi de Vicecancellario enunciatur est; computatoque etiam valore illorum munusculorum, quae ex quadam antiqua consuetudine ipsis Auditoribus, ac etiam Advocatis, & Procuratoribus bis in anno, nimium tamen parce ac moderate, in uniformi, penèque invariabili quantitate litigantes facere solent, in candelis cereis, & parvis panibus, vel formis zaccari sive in pullis, in vigilia scilicet Nativitatis Domini, & in kalendis Augusti, vix omnia haec summam scutorum mille monetarum, & parum plus constituunt, adeo ut pro ea decenti sustentatione, quae muneris qualitati congruit, totidem proprio aere erogare oporteat, stante summa integritate exactissime servata, rigorose abhorrendi quodcumque aliud munus vel emolumentum; unde propterea illi Auditores, qui ex Pontificis benevolentia, de beneficiis, vel pensionibus ecclesiasticis non provideantur diu sedendo in Rota, notabilem proprii aëris ja-

sturam patiuntur; solumque hujus officii ratione notabile subsidium scutorum quingentorum circiter obtinetur per eorum unum ab officio Regentis Penitentiariae, cujus mentio superius habita est occasione agendi de Summo Penitentiario; Ideoque nunquam casus, vel praxis praebet cernere illa adeo portentosa miracula, quae in quibusdam regionibus cernuntur, ut consimiles Iudices, vel Officiales fortè minora obtinentes stipendia, ad decentem sustentationem insufficientia, intra breve tempus magnas parent divitias; Adhuc tamen valde lucrosam istud officium reputatur comparatione Praelatorum utriusque Signaturae, aliorumque officialium, qui nullum obtinent emolumentum, nisi illud spei, *ut disc. praecedenti insinuatur.*

Donec autem, his omnibus peractis, formalis admissio ad sedendum in Rota non sequatur, Auditor Rotae non dicitur, cum in confessione processus, vel in examine, rejici valeat; ideoque aliquibus indultis; quae Rotae Auditoribus concessa sunt, non potitur; Et inter quae est illud obtinendi gratis expeditionem literarum, si ad Ecclesias Cathedrales, vel Metropolitanas promoveatur, ut altius advertitur occasione formalis disputationis desuper habitae in sede praeminentiarum, *tit. de praesent. disc. 28.*

Admissus novus Auditor, in prima Rota nullum profert votum, ut alios audiendo, votandi modum addiscat; Isque studiorum adiutorem fiduciarium habere solet, cum cujus ope causas videt, ac votum format; sibi concessa facultate alium quoque extraordinarium adiutorem, ac fiduciarium assumendi, cum facultate sibi communicandi secretum votorum, cum in aliquibus praesertim occupatis temporibus ob causarum multipliciter, ac temporis nimiam brevitatem, unius adiutoris tantum opera insufficientes videatur. *Const. 310. Vrb. VIII. & de hac admissione, ejusque solemnitatibus Coccin. notab. 1. post primum volumen decisionum.*

Habetur autem Rota bis in hebdomada, in secunda scilicet, & feria sexta de mane ab aliquo moderno tempore in Palatio Cardinalis V. Cancellarii, quem habere in hoc Tribunali aliquam praesidentiam, advertitur supra agendo de dicto Cardinali; Prius enim tenebatur in Palatio Vaticano, excepto tempore aestivo, in quo habebatur in canobio Canonicorum Regularium Lateranensium, (quod Pacis dicitur); Atque ubi in dictis diebus festum contingat, quod Rotam impedit, illa habetur in feria quarta, dum isti tres dies tantum juridice, pro actibus judicialibus conficiendis reputantur; Et quando etiam haec dies impedita sit, quandoque (licet nimium raro casus id praebet) Rota habetur in die Sabbathi istaque Rota Martiniana appellari solet.

Omnes duodecim Auditores, in eadem circulari mensa accumbunt, ad formam Rotae (unde istud vocabulum derivasse, probabile est); Consuetus autem ac ordinarius stylus disputandi, ac decidendi causas, est, quod juxta antianitatis ordinem per turnum, singulis sibi commissas causas proponentibus, quamvis omnibus volentibus votandi facultas competat; Attamen solum tamen quatuor, qui juxta eum, qui causam proponit, sedent à latere sinistro, & qui illius Ponentis correspondentes, ac de ejus turno dicuntur, aliis audientibus, votum proferunt, atque si in eadem concorditer deveniunt sententiam. capitur resolutio, quae etiam sequi dicitur ex voto trium

concordantium, neglecto quarto discordantes; Ipse autem causae Judex, qui Ponens dicitur, in causis Rotalibus votum non habet, adeo ut gerere videatur speciem Judicis imperiti, seu idiotae, qui dictos quatuor coadjutores habeat in assessores & consiliarios, quorum vota exquirat, eaque in scriptis ab eis recipit. exinde et formaturus decisionem, ut infra; Quandoque verò, causae gravitate, vel perplexitate ita exigente, de mandato Decani, & quandoque etiam Papae omnes votum proferunt, excepto ponente, atque resolutio, non nisi ex concordia sensu duarum ex tribus partibus manat; Ponens verò tunc quoque votum habet, quando de causis extra Rotam agatur, in quibus ipsius Rotae votum exquiratur; vel quia in causa pendente in Tribunale A. C. vel in illo Cardinalis Vicarij aut etiam in foro Capitolino, sive coram Praelato, & quandoque etiam in aliqua ex Sacris Congregationibus Cardinalium, de mandato Papae, vel ex partium consensu, Rotae votum exquiratur; vel quod causa commissa sit uni ex Auditoribus, etiam tanquam Praelato, quoniam adhuc stylus tribunalis est, ut non nisi facto verbo in plena Rota causam decideret; Quinimò etiam, si ex compromisso tanquam Arbitrator, nisi expressa partium conventio, vel delegatio disponat, ut solus procedat. *Decis. 152. par. 2. divers. Bib. decis. 564.*

Priusquam verò Auditores, ut supra, statutis diebus congregentur; quatenus pertinet ad singularum causarum futuram disputationem; Stylus est, quod postquam causa commissa est in Rota, & commissio parte citata, effecta est de actis, atque ubi de causa secundae vel ulterioris instantiae agatur, transportata sunt acta instantiae praecedentis, illa Pars, cui expedit causam quantum citius disputari, ac terminari, alteram Partem citat, vel ejus procuratorem coram Judice, seu Ponente (quem alicubi causae Commissarium appellant, ad concordandum de dubio disputando, si minus ea non comparente videndum subscribi illud dubium, cujus copia sibi transmittitur; Et quando citatus agnoscat, quod dubium sit congruum, tunc non solet se opponere, ideoque illud subscribitur, atque fit intimatio subscriptionis, futuraeque propositionis statuta dies Bene verum, quod de stylo eadem intimatio pluries repetitur, ut ita concordetur Rota, in qua dubium proponi debet; Et rationabiliter quidem, ut ab utraque parte informetur.

Ubi verò Pars pluries provocata coram Ponente comparere negligat, atque de certa die concordare, tunc proponitur dubium seu causa in ejus contumaciam, etiam una tantum parte informantem; Verum isto casu praticari solet titulus, ut quae desunt Advocatis, Judex suppleat, dum ubi praesertim dubia consistant in puncto juris, adeo ut Judices etiam altera Parte non informante, fallacias informantis cum apertura librorum agnoscere valeant, frequenter prodeunt resolutiones contra informantem; Pro eo tamen multoties responderi solet, quamvis non deberet, ob facti praesupposita alterata, quorum alteratio per alteram partem non vincatur.

Si verò, dubio transmissio, altera Pars non acquiescat, tunc illa comparere solet coram Ponente, coram quo oretenus, ac in forma extrajudiciali ut plurimum inter sollicitatores hinc in-

de altercantes illud concordari solet, eisque non concordantibus, una Partium ita petente, fit verbum in prima Rota, quae visis dubiis hinc inde formatis vel porrectis statuit illud, quod magis congruum sibi videatur.

Ista dubia brevibus, ac significativis verbis concipi solent, ut ita super eis, pariter cum brevibus verbis, & quandoque cum uno tantum, prodeat oraculum; Antiquus autem stylus erat dividendi causam in plura dubia particularia, unde propterea breviores erant defensorum informationes, ac etiam breviores decisiones; Modernus verò stylus, magis commendabilis, ad breviorum causarum terminationem, est dandi dubium generale, totius causae complexivum, unde propterea defensorum informationes sunt super tota causa, ac super omnibus ejus punctis vel articulis, ut inferius in Curialium rubrica advertitur, ubi de modo scribendi; Ut puta praetendit quis (ex. gr.) purificationem esse ad sui favorem fideicommissum, ideoque sibi deberi immisionem ad certa bona fideicommissentis, per alterum possessa; Cum ad hunc effectum de pluribus doceri debeat; Primo, si de existentia fideicommissi per instrumentum authenticum testamenti vel alterius dispositionis; Secundo de pertinentia seu purificatione ad ejus favorem Tertio de legitimatione personae; Quarto de identitate bonorum; Et quinto de competentia vel non competentia detractionum, in quarum causam bona alienata sint, sive haeredi appropriata, aut quod retineri praetendatur; Super singulis istis aliisque punctis, inter Partes controversis, dari solebant dubia distincta, ut uno firmato, alterum postea disputaretur; Iste verò stylus omnino antiquatus est (quamvis erronee adhuc habeatur in opinione aliquorum exterorum loquentium ex antiquis traditionibus,) sed datur unicum dubium generale, An scilicet danda sit immissio, ad bona, de quibus agitur, atque sub hoc dubio de omnibus dictis punctis vel requisitis disputatur; Quandoque verò super dubii efformatione, nulla cadit discrepatio, eo quia illud oriatur ex ventre rescripti contenti in commissione, quia nempe commissi causa cum clausula si quid exequendum ex ipso rescripto oriatur dubium, an mandatum exequendum sit; Sive commissi causa cum clausula parvo literis vel parvo iudicato arbitrio, resultat dubium an intret arbitrium; Et si commissi est causa cum clausula constituto de tribus conformibus, resultat dubium an constet de tribus, cum similibus rescriptis in parte enunciatis, *disc. praecedenti.*

Quando verò agitur de ulteriori instantia per appellationem à sententia ejusdem Tribunalis, tunc datur dubium, an sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda; sed si agatur de sententia alterius judicis vel Tribunalis extra Rotam, datur dubium ex integro ut supra, idque laudabiliter ad evitandos inanes circuitus ob nullitates, quibus sententiae praesertim de partibus subjacere solent; Verum si appellans instat super dicto dubio an sententia sit infirmanda, eo quia praetendat eam nullam, tunc datur dictum dubium. *Bib. dec. 315.*

Postquam verò determinata fuerit dies, in qua dubium proponendum sit, in ejus antevigilia, nempe in die Sabathi, si in die Lunae causa proponenda est, Advocati, & Procuratores partium colligantium, informant Auditores in pro-

propriis domibus, in quibus tota die (excepto modico spatio prandii) expositi sunt, nullatenus ad alia divertentes; Informandi autem ordo est, cum regula *qui prior, &c.* ad instar concursus creditorum, ut scilicet qui prius domum Auditoris, ingressus est, prius informet, absque exceptione personarum, nullaque admissa præcedentiæ differentia inter Advocatos, & Procuratores, nullaque ratione habita, an Advocati sint seniores, ac primarii, vel Consistoriales, sed omnium æqualis est conditio, ut qui prior est in tempore, potior sit in iure.

Eadem die de serò per utramque Partem, distribuuntur singulis Auditoribus informationes in factò & in iure. Procuratoris, & Advocatorum; Atque sollicitatores, qui hanc distribuendi curam habent, Ponenti vel ejus studiorum adjutori, (pro verè nimium commendabili stylo) duplicem relinquunt positionem, seu fasciculum informationum, tam facti quam juris, ac summarium scripturarum vel testium, ut una scilicet remaneat apud ipsum Ponentem, altera verò tradatur sollicitatori alterius Partis, ita concorditer, ac fideliter, informationes hinc inde permutando, seu communicando, atque vulgò dicitur cambiando; Ideoque eodem serò sollicitator distribuit informationes Partis adversæ ejus defensoribus, illam scilicet facti cum summario scripturarum, causæ Patrono, qui curam habet de iis, quæ facti sunt; Informationes verò juris, Advocatis, qui omnes eodem serò, vel sequenti die dominico de mane respondent, adè ut responsiones distribui valeant auditoribus eadem die ante prandium vel paulò post, ob moras copistarum; Adè ut portentosum id videatur, cum aliquando casus præbeat, ut unus Advocatus, vel Procurator in uno mane, in decem, duodecim, & quindecim causis præsertim in temporibus proximis vacationibus generalibus respondere debeat, & tamen omnibus respondetur, & bene ut etiam infra agendo de Curialibus advertitur.

Ipsa verò die dominico, Auditores domi detenti, in qua facultatem habent, celebrandi, vel audiendi missam in oratorio privato, ad alia non divertentes, ac neminem audientes, cum eorum adjutoribus, aliisque operariis, quorum fiducia habeatur, studiis vacant, atque vota in singulis causis efformant, eaque in scripturam redigunt, ut cujuslibet causæ Ponenti respectivè illa tradant conservanda, ex quibus ipse divisiones est efformaturus.

41 Quilibet Auditor proponere potest duas causas, seu duo dubia, unde propterea quilibet, juxta consuetum, ac regularem cursum, ut soli quatuor proximi (ut supra) respondeant, & qui propterea correspondentes dicuntur, votare debet in octo causis, ultra illas extraordinarias in quibus ut supra omnes votare debent. Non semper tamen Rota ita plena est, ut singuli duas causas proponant, ob varia accidentia resultantia ex Partium dilationibus, sive quod pro temporum conditione, magis vel minus causarum disputationi incumbatur.

In ultimis verò duabus vel tribus Rotis, de mense Junii, quando imminentibus vacationibus generalibus æstivis, antiquum est litigantium detestabile vitium, insistendi super cau-

sarum propositionibus, quas tempore hyberno magis oportuno negligunt, quilibet Auditor, plures causas quotquot habeat promptas, proponere potest, extra dictum præfinitum binum numerum, adè ut quandoque casus præbeat, ut in eadem Rota, in uno mane, proponantur quinquaginta causæ & ultra, atque super omnibus, vel super earum majori parte capiuntur resolutiones, quæ aliquando in toto anni cursu differri solent; Vel quia una Partium non informando, petat dilationem; Vel quia vota non sint concordia; Aut quod aliquod emergens oriatur pro quo melior elucidatio facti desideretur. Unde propterea dignoscitur illa species portenti quæ insinuata est *discursu præcedenti*, agendo de Signatura Justitiæ, quod scilicet in una die, tot causæ videri possint, atque super eis vota in scriptis, rationibus & auctoritatibus munita efformari; Et tamen indies præctatur.

Nimium id faciliat multum commendabilis, vereque incomparabilis stylus, scribendi stricta super punctis præcis, in quibus cadat causæ difficultas, abhorrendo superfluos apparatus, vel superfluum cumulum regularum generalium, quæ præsupponuntur; Quamvis (omni regula limitationem patiente) iste optimus stylus, ab aliquibus corrumpi soleat, inutiliter replendo chartas superfluitatibus.

Potissimè verò super iis, qui in factò con- 43 sistunt, super quibus majores causarum moræ ubique esse solent, mirum est quod, neque iudices, neque Advocati vident processum vel instrumenta seu testes per extensum, dum hoc munus, quod de mecanico participat, Procuratoribus incumbit; Et tamen plena ac distincta, facti notitia veridica in tam brevi spatio habetur, quoniam pro frequentiori praxi seu pro regula, (ratas limitationes patiente) in hoc præsertim Tribunali Rotæ, facti series fideliter enarratur, atque scripturarum, vel testium particulæ substantiales, à quibus decisio causæ pendeat, fideliter dantur in summario, cum causarum Patroni, quibus id incumbit (dum Advocati se non ingerunt in iis quæ facti sunt,) integritatem exactè profiteri latagunt; Adè ut quando forte per sollicitatores vel per Partes decipiantur (ut quandoque contingit) dandi scilicet summarium minus fidele, ipsimet, ubi id agnoscant, de hac infidelitate Iudices admonent; Istumque bonum effectum operatur dictus stylus communicandi seu permutandi informationes, ut ita occasione respondendi, ad facti alterationes vel æquivocas, alterius Partis procurator advertat; Potissimè quia in hoc Tribunali non omnes habent facultatem scribendi in factò, sed si solum qui ab ipsa Rota fuerint ad id approbati, ut infra in Curialium Rubrica advertitur; Idemque in iis quæ juris sunt, faciunt Advocati elucidando fallacias, vel confutando doctrinas in contrarium adductas, sive illas declarando.

Ipsa verò die, in qua Auditores congregantur, non admittuntur in Rota Advocati, & 44 Procuratores, sed clausis januis, causas inter se ipsos disputant, ob sufficientem informationem ut supra habitam, oretenus & in scriptis, & cum

& cum responſionibus, quibus mediantibus, elucidantur alterata facti præſuppoſita, vel fallaciæ ſuper propoſitionibus juris; Iſteque ſtylus commendatione dignus videtur, ob majorem cauſarum expeditionem, ita effugiendo illam temporis inanem jaſturam, quæ reſultare ſolet ab Advocatorum contradictonis, ac ſuperfluis perorationibus, quæ frequenter calumnioſè ad cauſarum protractionem fieri ſolent, notabilem temporis jaſturam faciendo ſuper concordantia vel diſcordantia eorum, quæ utpotè in facto conſiſtentia, ſunt certa; Ideoque etiam in illis Curia Tribunalibus, in quibus contradictoniorum uſus habetur, ut præſertim eſt in illo Auditoris Camerae, & in illo Congregationis Baronum, opprobriofa reputari ſolet negatio vel impugnatione eorum, quæ in puro facto conſiſtunt, atque de facili certificari poſſunt ex proceſſu, inter clafſicos, & qualificatos Procuratores, ideoque fortè majores cauſæ deciduntur per Rotam in uno menſe quàm in anno per alia Tribunalia, in quibus iſte ſtylus contradictoniorum habeatur.

Inceſſanter Rota congregatur bis in hebdomada, ut ſuprà, exceptis feriis in honorem Dei Nativitatis ſ. Domini, & Reſurrectionis, & in ultima hebdomada carnis privii; Exceptiſque vacationibus generalibus temporis æſtivi, inſtantibus in prima vel ſecunda hebdomada Julii, ac terminantibus in ultima die menſis Septembris; Ideoque prima die juridica non impedita menſis Octobris, Rota aperitur.

Iſta verò apertura fit cum magna pompa, quæ nimiam Tribunalis majeſtatem redolet; Siquidem, alius antiquioribus Auditoribus privatum in curribus accedentibus ad Palatium Vaticanum, duo juniores, in habitu Prælatitio, nempe cum rocchetto, cappa magna, & pileo prælatitio equitando accedunt ad eundem locum, affociati a duobus Advocatis conſiſtorialibus, qui pariter æquitant induti quodam ſolemni habitu violaceo, qui per eos in Capella Pontificia, & in publicis functionibus adhiberi ſolet, ac etiam à duobus Procuratoribus collegii, præcedente in copioſo numero, qualificato ac ſolemni equitatu plurium curialium, ac nobilium virorum, & Aulicorum familiarium Cardinalium, cum magna quidem ſolemnitate ac pompa; Poſtquam verò ad locum devenit eſt, omnibus Auditoribus in eodem habitu prælatitio cum rocchetto ſcilicet, & cappa (cum quo ſemper in Rota interveniunt) ſedentibus in quodam loco eminenti aulae exterioris, ibique aſſiſtentibus omnibus Advocatis conſiſtorialibus, ac ferè omnibus aliisque nobilibus viris, & præſertim litigantibus, & Cardinalium familiaribus, qui equitarunt; Leguntur prius aliqua Apoſtolicæ Conſtitutiones diſponentes de Tribunalis regimine, ac directione; Deindeque unus ex Auditoribus per turnum (excepto Decano) frequentius verò junior, brevem, ſed gravem, ac elegantem agit orationem ſuper iis quæ concernunt ejuſdem Tribunalis materiam, ac Iudicium, & curialium ſalubres monitiones, ſuper recta Juſtitia adminiſtratione, & cauſarum deſenſione; Iſtaque functione expleta, iidem duo Auditores qui ſolemniſter equitarunt, cum eodem ſolemni equitatu, domum redeunt, iſteque antiquus ſtylus retinetur, pro Tribunalis majeſtate, quæ ita reverà magna videtur.

Non tamen in omnibus diebus, in quibus Rota congregatur, diſputantur dubia cauſarum, quoniam aliqua ſunt Rotæ, quæ dicuntur memorialium, id eſt quod non proponuntur dubia, ſed cum Partium memorialibus, emiſſis deciſionibus agitur, an ad earum normam demandanda ſit expeditio cauſæ, quæ petatur per victorem, vel potiùs concedenda ſit nova audientia quæ petatur per ſuccumbentem; Sive ſuper dubiis dandis, aliisque incidentibus; Atque ad hos, ac ſimiles effectus, deſtinari ſolent prima, & ultima dies, cujuſlibet vacationis; Ut putà prima, & ultima Rota à die aperturae uſque ad vacationes Nativitatis Domini, vel prima poſt dies cinerum, & ultima propè hebdomadam majorem, & ſic ſucceſſive,

In vacationibus autem generalibus æſtivi, habetur ultima Rota memorialium, in prima vel in ſecunda hebdomada Julii; Deindeque habetur circa finem ejuſdem menſis Julii vel initium menſis Auguſti quædam Rota memorialium, quæ Congregatio generalis appellatur, pro expeditione ſcilicet illarum cauſarum, quæ diſputatae fuerunt in eo ultimo ſpatio nempe ab octava Paſchæ uſque ad indictionem vacationum generalium, ad effectum, ut interim detur ſpatium extendendi deciſiones.

Iſta verò ſpatia inter unam vacationem, & alteram (quæ Tertiariæ dicuntur) quædam habent peculiaria vocabula, quibus Rota utitur, quando nulla capta reſolutione, cauſam diſſert in alio proximo ſpatio proponendam; Ideoque primum ſpatium, quod initium habet die prima Octobris, ac terminat propè vacationes Nativitatis Domini, vocatur ſub nomine Kalendarum, ita denotando initium anni novi Rotalis, ac propterea quando de menſe Junii cauſæ diſſeruntur dici ſolet *ad Kalendas*; Alterum ſpatium, quod incipit poſt Epyphaniam, & deſinit in vacationibus carnis privii dicitur Regum, ideoque in caſu dilationis in dicto primo ſpatio dicitur *ad Reges*; Atque in prima Rota poſt Epyphaniam ſunt ſolemnes exequiæ in aliqua Eccleſia pro Auditoribus deſunctis cum interventu Advocatorum, & Procuratorum; Tertium quod incipit à die cinerum ad hebdomadam majorem dicitur piſcium, & ſic dicitur *ad piſces*; Et quartum quod incipit poſt octavam Paſchæ; & terminat in vacationibus generalibus æſtivi dicitur agnorum, ideoque dicitur *ad agnos*.

Non omnia item dubia quæ proponuntur in Rotis cauſarum, ſeu dubiorum quæ ſunt diſcretæ à prædictis aliis memorialium, ſunt ſuper meritis negotii principalis, in petitorio, vel poſſeſſorio, ſeu in proceſſu exequutivo, qui reſpicit ſubſtantiam cauſæ, dum aliqua eorum reſpiciunt quædam incidentia, ſeu ordinaria, quæ tamen de ſtylo Tribunalis exigunt diſputationem formalem cum ſuo dubio particulari.

Ut putà, petit quis remiſſoriam, vel compulſoriam ſpecialem, quæ de ſui natura retardat curſum cauſæ principalis pro faciendis probationibus, vel extrahendis ſcripturis; Huic autem petitioni tanquam calumnioſæ, vel irrelatanti ſi opponit altera Pars, tunc datur de ſuper dubium, an ſit danda remiſſoria, vel compulſoria; Idemque ſi opponatur de revocatione attentatorum, vel de purgatione ſpolii, aut de appoſitione ſequeſtri, ſive de admiſſione tertii ad cauſam, cum ſimilibus,

Stylus

Stylus enim Tribunalis est, qui per Apostolicas Constitutiones redditus est hodie necessarius, sub decreto irritanti seu annullativo in eis contento, nil determinandi, altera Partium reluctantem, tam circa negotium principale, quam circa dicta incidentia, sine disputatione dubii, & cum editione decisionis, ad cuius normam ferri debet sententia, vel fieri decretum, atque si aliter fiat, actus dicitur nullus, tam si omittatur decisio, quam si aliquid decernatur ultra ea quæ disputata, & decisa sunt; Bene verum quod non prohibetur sub disputatione unius dubii, alia incidentia, vel connexa, aut consequentia decidere, quæ sub eo dubio non comprehendantur qualitate. *Const. 44. Pii IV. Rojas dec. 385.*

Hinc proinde manat tam magna copia decisionum Rotalium, quarum aliquæ sunt magistrales, ac doctæ & plenæ. Aliæ verò leves, ac breves, quod exteris non informatis de stylo scandalum præbere solet; Siquidem cuilibet Auditori super resolutionibus, quæ capiuntur in dubiis ab eo ut supra propositis; Sive ea sint in causa principali; Sive in dictis, vel similibus incidentibus, incumbit necessitas extendendi de super decisionem Partibus edendam, priusquam super resolutione emanet sententia, vel decretum; Idque producit earum copiam, adeo ut illæ, quæ usque ad præsens in variis voluminibus impressæ habentur, deductis duplicatis, numerum triginta millium excedant, totidemque, ac forte plures sunt illæ, quæ circumfertur manuscriptoræ.

Non sunt itaque istæ decisiones Rotæ; sicuti sunt illæ quas aliqui Doctores, qui in tribunalibus majoribus federunt luci ediderunt, ut exempli gratia sunt decisiones, *Afflicti, Franchi, Thesauri, Surdis* & similes; Istæ siquidem continent privatos labores ex electione aliquorum, qui in eo Tribunali sedentes, ex multis causis in eo discussis, aliquas notabiliores selegerunt, & inter quas multæ dignoscuntur, quæ à Tribunali decise non fuerunt, sed concordatæ, seu aliàs sub silentio involutæ sunt, tanquam per speciem illorum laborum, quos mihi in aliquarum causarum per tractatarum parte, ad formam discursuum, edere visum est, adeo ut dici non valeant decisiones, quæ ex officii necessitate nomine Tribunalis, pandendo partibus eius motiva, editæ sint.

Id autem verè, & propriè continent decisiones Rotæ, dum, non ex unius, vel aliquorum magis ingenioforum privato labore ac studio, in aliquibus notabilioribus causis inter plures, post eas decisas, vel jam sopitas prodeant, ut generaliter sunt illæ aliorum Tribunalium decisiones, quas in tot voluminibus habemus, sed verè, & propriè sunt motiva, quæ causæ Judex indicat; Partibus, ita pandendo vota suorum Assessorum seu consiliariorum per quamdam speciem benevoli officii monendo eam Partem, contra quam Tribunal præjudicialis sensus habet, priusquam ipsum ad actum irretractabilem sententiæ procedat, ad effectum, ut agnoscendo quod rationes dubitandi contra eum in facto, vel in jure, non subsistant, possit denuo Tribunal melius informare, atque sinistram opinionem jam conceptam tollere; Perinde ac si Judex impertus, qui cum voto Assessoris causas decedit ac sententias profert, priusquam ad sententiæ prolationem deveniat, ipsum votum

Card. de Luca. Relatio Curie Romane.

Partibus aperiat, seu communicet, ad hoc ut deducere valeant, quid habeant in contrarium, atque melius Assessorem informant; Idque propriè continent Rotæ decisiones, quæ sunt actus merè extrajudiciales. *Rojas decisione 380. & passim.* Seu verius motiva quæ panduntur, ut in magis propria loquutione appellantur per Rotas, Florentissimam, & Senensem, quæ eundem commendabilem habent stylum, ideoque non sunt, neque sententiæ, neque decreta, ut stultè opinatur quoddam exterum leguleicum vulgus, quod rerum veritatem ignorando (& quod pejus est) nullam curando adhibere diligentiam, ut eam sciat, sed obloquitur ignorando quid dicat, ideoque error est istas decisiones comparare illis aliorum Tribunalium longè diversæ naturæ, ut supra vel eas credere sententiæ.

Edita itaque decisione, quam causæ Judex seu Ponens, efformat ex votis suorum Responsalium, ut supra; Illa Pars cujus favore prodit, aliquando in proxima Rota dubiorum, frequentius verò in prima Rota memorialium, petit mandari Ponenti, ut procedat ad causæ expeditionem, mediante sententiæ, vel decreto, juxta causæ qualitatem, citando Partem succumbentem ad informandum Rotam super hujusmodi expeditione decernenda, Quare succumbens, impugnando decisionis fundamenta, petit iterum audiri, informando Rotam eo modo quo fit in disputatione dubiorum ut supra; Atque ubi objecta talia sint, ut aliquam habeant probabilitatem, adeo ut causa reputetur nova disputationis trutina digna, tunc conceditur audientia, sin minus, ea denegata mandatur expeditio.

In novæ audientiæ, faciliori, vel difficiliori concessione, certa non habetur regula; Quamvis enim pro frequentiori stylo, unica audientia concedi solet, sequuta verò altera decisione confirmante, demandari expeditio; Non semper tamen id est firmum, cum nimium pendat à statu seu natura causæ; Ubi etenim agatur de processu exequutivo, sive de ultima instantia, aut de causâ commissa appellatione remota, adeo ut si quod adest gravamen, illud non remaneat reparabile, tunc Rota nimium facilis esse solet, ad novam audientiam concedendam & quandoque etiam secundam, & tertiam juxta causarum qualitatem; E converso autem ubi agatur de causâ appellabili, adeo ut victo superfit remedium deducendi ejus jura in altera instantia, tunc facilis esse solet in demandando expeditionem.

Quando itaque concessa nova audientia, repropouitur causa super dubio, an sit standum in decisio, vel potius ab eis recedendum; Tunc si recessus contingat non est revocare sententiæ vel decreta, ut idem supraenunciatum vulgus stultè credit, atque imprudenter obloquitur ex solo effectu ignorantia, sed & mutare consilium, ac moderari motiva, seu rationes dubitandi in simplici forma extrajudiciali; Adeo ut si favore ejusdem partis duæ vel tres decisiones in eadem instantia prodierint, priusquam deveniatur ad sententiæ vel decretum, causa adhuc integra, & indecisa esse dicitur; Neque decisiones prædictæ ponuntur in processu vel

in actis; minusque transeunt per manus Notarii Actuarius quoniam (ut præmissum est) sunt merè extrajudiciales insinuationes motivorum, quæ per causam Ponentem seu Commissarium extrajudicialiter per organum ejus Adjutoris studiorum fiunt; Ideòque irrisione digni sunt illi iudices de partibus, qui cupiunt hujusmodi decisionum sumptum authenticum, ut in actis producatur, ad effectum dignoscendi, quod ita in ea causa per Rotam sententiarum fuerit.

Et quamvis, expedita etiam causa, cum prolatione sententia, casus quandoque præbeat, ut in eadem Rota unius, vel etiam plurium sententiarum infirmitas sequatur, ita pro eodem stylo edendo decisionis, præcedentium revocatorias; Non tamen exinde sequitur id, quod idem vulgus opinatur, quod scilicet eadem Rota retractet ea, quæ gesserat, quoniam in alia instantia mutatur Judex, atque mutantur Correspondentes, unde propterea est revocatio, quæ sequitur à diversis Judicibus diversarum Aularum ejusdem Tribunalis, pro diversitate instantiarum, ac pro diversitate ingeniorum; Eodem modo quo indices ubique, unum Tribunal in gradu appellationis, revocat sententiam alterius Tribunalis prioris instantia.

57
58
Istius etenim Tribunalis qualitas non immutat causarum naturam, circa earum appellabilitatem, ac ordinariæ cursum, ideoque, perinde, ac si de quolibet simplici, & ordinario Judice agatur à sententiis, quæ de jure non sunt de sui natura executivæ, interponitur appellatio, quæ per Signaturam Justitiæ, vel Gratiæ respectivè juxta stylum in duobus discursibus præcedentibus enunciatis, causam appellationis committit quidem in eadem Rota (à qua causæ nunquam exeunt, sed ibi finem habere debent) sed diverso Auditori habenti diversos Correspondentes, perinde ac si (ut dictum est), essent tot distincta seu diversa Tribunalia; Idemque sequitur in causis executivis juxta modum describendi de quo eodem discursu præced. adeo ut non adsit aliud Tribunal superius appellationis, vel recursus. Nisi quando (licet nimium raro) Papæ, pro ejus suprema potestate videatur, causam à Rota avocare, atque alicui particulari Congregationi Cardinalium, vel Prælatorum revidendam demandare. præsertim in casu de quo sub titu. de benef. discursu 3.

39
Istud Tribunal, in illis causis, quæ in prima instantia agantur in Urbe, in Tribunali Auditoris Cameræ, & in illo Vicarii, aut coram aliis Judicibus ei subordinatis, est Judex appellationis, in causis tamen gravibus; Prophanis scilicet, quarum valor excedat summam scutorum quingentorum; Beneficialibus autem, quando beneficium excedat valorem viginti quatuor ducatorum; Sive ubi agatur de prima Dignitate; Et quandoque cognoscit etiam causas in prima instantia, vel ex partium consensu, vel ob commissiones, quæ obtineri solent ex remedio diffamationis, quod in Curia jactationum dicitur, vel quia sint causæ graves, quæ ad sensum ejusdem Concilii Tridentini, etiam in prima instantia, curiales esse debeant.

Extra verò Curiam in gradu appellationis à sententiis Legatorum, & Nuntiorum Apostolicorum, ac etiam Præsidentum & Gubernatorum, sive ab illis Ordinariis & Metropolitanis, aliorumque Prælatorum; Et præsertim ab utroque Consilio, Ordinario, & Completo Hierosolymitanæ Religionis, cognoscit quoque in secunda instantia; Dummodo pariter agatur de causis gra-

vibus, ut supra, ad appellantis arbitrium; Pro frequentiori autem stylo, causæ appellationis à sententiis de partibus introducuntur in Tribunali Auditoris, Cameræ, à quo deinde gradatim transeunt ad Rotam.

60
Cognoscit itaque istud Tribunal causas utriusque fori; Ecclesiasticæ scilicet per univèrsam Orbem catholicam, tanquam Tribunal Papæ uti Papæ, & Episcopi Ecclesiæ universalis; Et fori temporalis tanquam Tribunal Principis temporalis Status ecclesiastici immediati, qui ex notabili Italia parte constituitur; Ac etiam ex Statu Avenionensi & ex Comitatu Venetino in Gallia, quorum causas graves quoque, ex commissione eorum Legati, & quandoque etiam Papæ, cognoscere solet; Civiles tamen, non autem criminales, in quibus se non ingerit Const. 44. Pii IV. & Const. 70. Pauli V. super reformatione Tribunalium.

61
Antiquiori autem tempore, major erat numerus causarum spiritualium seu ecclesiasticarum, quam prophanarum, ex ea ratione quod illæ de prima specie pertinent ad univèrsam Orbem; De altera verò ad hunc solum principatum temporalem Ecclesiæ; Moderno verò tempore, longè major est numerus causarum prophanarum, seu temporalium Urbis, & Status ecclesiastici, ac etiam earum quas accidentaliter forus ecclesiasticus producit ratione clericorum, aliarumque personarum ecclesiasticarum, quamvis de sui natura prophanæ sint; Spiritualium etenim causarum notabilem diminutionem, plura accidentia produxerunt, Primo nempe plurium alias catholicarum regionum infectio ab hæresi, vel schismate; Secundo aliquorum Principum politica provisiones, ne extra eorum ditionem causæ trahantur; Tertio quod beneficalis materia, antiquiori tempore obfusa, hodie nimium explanata est; Et quarto fortius, erectiones tot Congregationum præsertim Concilii Tridentini, & Rituum, ac etiam Episcoporum, & Regularium & ecclesiasticæ immunitatis, quæ summariè, & extrajudicialiter multas decidunt causas, prius in Rota in forma judiciali disputari solitas; Undè propterea, ut decisionum Rotalium, mearumque adnotationum lectura doceat, omnium minor est pars causarum spiritualium, qui forensi more tractentur.

62
Hinc evidenter quoque elucet; ejusdem ignari vulgi exteri, verè irrisione digna ineptia, quæ stultitia, vel fatuitatis speciem redolet, opinandi scilicet, quod Rota, & Curia Romana solum, ecclesiastica, & spiritualia negotia tractet, non autem secularia, ideoque ejus Professores nullam, vel modicam habeant civilis facultatis peritiam; Dum non reflectunt ad negotia secularia ipsius Romanæ Civitatis, quæ omnium fortè Civitatum Europæ est ditior, ac alia quæ producit adeo confiderabilis Principatus secularis, qui plures habet conspicuas Civitates, & dioceses magnarum, & gravium litium productivas; Inter quas præsertim magnum occupat locum Civitas Bononiensis; Ultra alias causas seculares, quas univèrsus Orbis catholicus transmittit ratione fori ecclesiastici; Atque (ut dictum est) ad hanc stultitiam convincendam sufficit videre Rota decisiones; nec non metiendo ex ungue leonem, ponderare quot, feudales regales, fidei commissarias, aliasque merè seculares materias, & causas egerim ego solus inter Curia Professores minimus, qui nimium tardè ad Curiam accessi, cum tamen ea pars, quæ publicæ luci edita est, vix ad dimidiam ascendat; Ad eam, qui

qui calculos faciendi, & persequendi curam assumeret, utique inveniret, quod majora tractet, ac expediat negotia Curia Romana, præsertim per organum sacrarum Congregationum, in mente, quam quodlibet magnum Tribunal in anno.

63 **Iste** verò cumulus negotiorum utriusque fori ecclesiastici, & sæcularis in eodem Tribunali, ob utriusque principatus unionem, quod in Orbe Catholico est singulare, magnam exigere videtur utriusque juris aliarumque scientiarum peritiam, in iis qui in eo sedent; Ideoque merito Apostolicæ Constitutiones inculcant, ut non nisi literati valde famosi, nimiumque experti, ad hoc munus assumi debeant *Const. 3. Martin. V.* Idque omnium melius obtinere potest Curia Romana, cuius magnum peculium in spe consistit, ideoque sine competenti stipendio de facili trahere potest viros insignes, qui suo sumptu libenter illi interserviant, quod aliorum Principum Curis forte non ita facile redditur; An autem id practicetur, meum non est, nec agere, nec judicare.

64 **Enunciatus** stylus edendi, decisiones de necessitate, super quacumque resolutione antiquissimus est, ne dum quia (ut superius advertitur) etiam primi utriusque facultatis Professores, eas enunciant; Verum etiam quia Decretalium tenor ostendit, quod exceptis aliquorum Conciliorum generalium decretis, que in eis registrata sunt, reliqui Canones, ex Consistoriis & ex hujus Tribunalis (quod antiquitus Cappella dicebatur) decretis, ac determinationibus deprompti sunt.

Probabiliter ista introductione originata, non tam ex superius assignata ratione urbanitatis, certiorandi Partes de rationibus dubitandi, antequam ad sententiam deveniatur; Sed etiam ex ratione ita certiorandi in compendio Papam de iis, quæ per istos ejus Cappellanos in causâ discussione concludenda videantur pro eiusdem causæ determinatione; Sed quidquid sit illud est certum, quod istius introductionis origo non habetur.

65 **Quinimo** probabile nimium (pro meo sensu) videtur, ut idem stylus antiquior, etiam in antiqua in prophana triumphatrice Coma adisset; Quod scilicet illa Jurisconsultorum responsa, ex quibus leges Pandectarum extractæ sunt, juxta compilationem Justiniani, essent idem ac istæ decisiones; Adeo ut supra dictus Pontificum, & Canonum respectivè usus, importet solum quamdam transportationem de una specie ad alteram, de prophana scilicet ad spiritualem; Non solum etenim totius Orbis civilis, qui cum ratione vivat, sed etiam illius incivilis infidelium & Turcarum notoria praxis docet, quod in qualibet Metropolitana Civitate, non solum ubi de totius principatus vel Imperii, sed etiam parvæ ac subordinatæ provinciæ Metropoli agitur, Tribunalia suprema pro gravioribus causis peremptoriè terminandis erecta, collegiata sint, ex majori, vel minori numero constituta, prout provinciæ, vel principatus amplitudo exigat, cum iudicium unius tantum congruat parvis locis, vel etiam Magnis, cum subordinatione tamen magistratui vel Tribunali collegiato; Atque in ipsomet foro spirituali, quamvis de jure unus sit Judex, nempe Episcopus, vel ejus Vicarius generalis; Adhuc tamen, consultum est, ut superius

Card. de Luca. Relatio Curia Romane.

Judex qui peremptoriè decidat, non constituitur ex una persona materiali sed ex pluribus, unam intellectualem seu collegiativam constituentibus, ut est Rota, & sunt Sacræ Congregationes; Et nihilominus, ubi agitur de magnis diocesis, & præsertim magnarum, metropoliticarum Civitatum, in quibus causæ graviores contingant, adhuc inolevit commendabilis usus Congregationum, saltem consultivarum.

Cum itaque dicta Responsa Juris consultorum seu prudentum, contineant supremas, ac peremptorias judicaturas causarum graviorum antiquæ Romæ, adeo magnæ & ditissimæ totiusque eius Imperii, quo nullum hucusque majus sit, adeo ut talia responsa registrarentur in publicis voluminibus, atque legum potestatem seu venerationem haberent, ex quibus voluminibus, qui numerum duorum millium excedebat, leges pandectarum compositæ sunt; Hinc prorsus improbabile est, ut unius tantum jurisconsulti iudicio, hæc magna auctoritas, ac veneratio tribueretur, dum juxta antiquissimum dictum sapientis, Semper homines fuerunt iidem, Atque juxta alterum dictum Apostoli omnes homines sunt infirmi, vasa lutæ portantes; Potissimè verò dum antiquæ Romæ, magis, quam modernæ regimen collegiativum erat, ne dum in politicis, sed etiam in civilibus negotiis, ut antiquæ chronica docent, quod scilicet ultra Senatum, adessent Tribunalia, quorum unum Centum virale; Alterum decemvirale; Alterum triumvirale dicebantur; Ac etiam illud Tribunal quod Epulonum dicebatur, piarum dispositionum, juxta gentilium superstitiones, executioni deputatum quod erat septem officialium, cum similibus; Ideoque omnino probabilis est, ut; Vulpiani, Pomponii, Scevolæ, & alii similes, sub quorum nomine Responsa prodierunt, essent Judices seu Pontentes causarum, qui totius Tribunalis Responsa darent, ut hodiè quoque fit per Rotam, dum decisiones cantant sub nomine unius, & tamen sunt totius Tribunalis vel eius partis, ut supra.

Hujusmodi decisionum in Curia magna est auctoritas, *scacc. de iud. gl. 4. quest. 2. 7. Niger, de Laudem tom. 1. quest. 45* Non quidem ut faciant auctoritatem necessariam, apud inferiores Magistratus tanquam decisiones Papales; Ut (loquendo solum exemplativè) opinantur Regnicolæ quod faciant decisiones illius Sacri Consilii, utpote nomine Regio editæ, *Ass. dec. 96. & 190. Capp. Latr. consult. 6.* Adeo ut quandoque fiant decreta generalia per viam legis; Ut præsertim docet decretum quatuor aularum super beneficio inventarii, ad favorem hæredum, *tit. de dote disc. 28.* cum similibus; Hæc etenim auctoritas, Rotæ non tribuitur, neque ipse eam sibi assumit, dum solis declarationibus Sacrarum Congregationum Cardinalitarum ista prærogativa conceditur, quod eadem Rota, multo vero magis alia inferiora Tribunalia reverenter illas suscipiunt; *Bib. decisione 459. Cels. decisione 5. Orthob. decisione 220. adden. ad Buratt. decisione 479.* Bene vetum, quod istius utpote magni Tribunalis resolutiones per inferiores Judices ac magistratus, quinimò etiam per ipsamet superiores Sacras Congregationes, habeatur in veneratione, magnamque faciunt,

ciunt auctoritatem, ut ubique magnorum collegiatorum Tribunalium resolutiones facere debent, tanquam doctrinæ magistrales, plurium iudiciorum in idem tendentium prævia causæ cognitione; Undè propterea, etiam
 68 aliarum regionum professores, gravesque scriptores agnoscunt huius Tribunalis, ejusque decisionum magnam, ac venerabilem esse auctoritatem. *Franch. decisione 605. Gait. de credit. capite 4. questio. 7. numero 729. Fontanell. de pact. cl. 7. gl. 2. parte 3. numero 46. Borell. in summa decisione parte 2. in præfat. numero 207. & 211. & alii.*

Bene tamen faciunt auctoritatem necessariam, in eadem causâ, & inter easdem Partes illa decisiones, quæ editæ sint super uno
 69 dubio vel puncto, quo jam firmato, ad alterum transitus fiat; Quod scilicet, de recepto stylo Tribunalis, decisiones sunt præsupponendæ, illæque nunquam circumscribuntur, seu revocantur incidenter; *Bich. decisione 303. 2. 2. parte 12. rec. decisione 299. parte 11. & passim. ut Puta;* Proderunt jam decisiones firmantes existentiam, ac pertinentiam fidei commissi; Postmodum verò agatur de diverso puncto de tractionum, seu melioramentorum, aut separationis bonorum &c. Tunc in disputationibus super hoc diverso puncto, non licet amplius controversare ea quæ super alio puncto jam decisa sunt, dum debent decisiones præsupponi; Atque si relevantiæ motiva in contrarium excitentur, tunc ipsa Rota demandare solet decisionum revisionem; Adeo ut earum revocatio non sequatur, nisi cum confecto dubio particulari, an ab eis recedendum sit; Verum iste stylus non inducit necessitatem præsupponendi, neque afficit tertios, in diversis causis; *decisione 226. parte 9. rec. numero 3.* Adhuc tamen, quando agatur de decisionibus, quæ ex professo aliquem juris articulum determinaverint, quandoque earum revisio particulariter quoque demandari solet, sed est arbitrarium, pro causarum seu decisionum qualitate.

70 Problematicæ verò quæstiones, inter Iuris Professores, aliosque literatos, esse videntur istæ, nempe circa hunc stylum edendi decisiones super quibuscumque resolutionibus, quamvis essent super incidentibus, ac provisionalibus; Aut super concernentibus ordinatoria ut supra; Illum enim improbant dicunt, ut id potius Tribunalis Majestati ac existimationi præjudiciale videatur, dum; Vel ob dubiorum exiguam qualitatem; Vel quia non omnium in Tribunali sedentium, idem sit talentum, vel idoneitas, seu scribendi felicitas, ita casus præbeat, ut edantur decisiones, quandoque debiles; Ac etiam quia, licet omnia Tribunalia eorum judicia varient, præsertim verò ubi de provisionalibus, aliisque incidentibus agatur; Non tamen reportant illam famam volubilitatis, quam istud Tribunal apud ignarum vulgus habet, eo quia revocationes, quamvis fortè frequentiores, non innotescunt; Adhibendo quoque illud vulgare juridicum axioma, quod fatuus est Judex, qui ejus determinationis rationem assignat.

Improbant quoque iidem censores pro ingeniorum varietate (alterum Curie stylum, de-

ferendi decisionibus, earumque studio solum vacandi, adeo ut plures dignoscantur professores, tam iudices, quam defensores, qui fortè libros, Pandectarum, Codicis, & Authenticorum, ac Decretalium, vel Conciliorum; Quinimodò nec illos utriusque juris institutionum, Sive illos utriusque Juris antiquorum Repetentium nunquam viderint, vel nec quidem apparuerint, aliquarum decisionum tantum scientiam, quasi per traditionem habentes, ignorando quare, in eis ita statutum sit.

E converso autem alii, utrumque stylum approbantes; Quatenus pertinet ad primum edendi decisiones; Ultra motivum generale venerationis, quæ antiquitati apud humanum genus haberi debet, dum ex legum & Canonum monitis, non de facili immutanda sunt ea, quæ longam habuerunt durationem, ac observantiam; Considerant nimium commendabile, ac virtuosum videri, ut adeo magnum Tribunal, ita Partibus succumbentibus, torique Orbi, publicè se constituat debitorem, reddendi rationes suarum determinationum, tanquam per speciem continui syndicatus, atque ut ita detegi, ac elucidari valeant illa, facti, vel juris æquivoca, cum quibus procedi poterit; Ac etiam quia (ut præmissum est) idem videtur antiquissimus stylus, etiam prudentissimæ ac maximæ antiquæ Reipublicæ Romanæ prophæta, per alteram sapientissimam Republicanam Romanam Ecclesiasticam; tam diu continuatus; Idèdque dicunt, quod magna temeritas, atque manifesta petulantia est, aliquorum modernorum, redarguendi id, quod tam diu, tot prudentes, ac sapientes viri servarunt.

Respondendo autem ad superius insinuata inconvenientia dicunt (& bene) quod in rebus scientificis, rem literariam concernentibus; Non ignaro vulgò, cujus vox, qualis qualis sit, juxta *Seneca* dictum, semper crepitæ speciem ac fetorem habet; Sed satisfaciendum est viris prudentibus, ac literatis, apud quos reflectentes ad stylum, atque scientes quidnam istæ decisiones contineant, utique scandalum concipiendi occasio deest, cum illud reverè proveniat à purâ ignorantia, ut supra animadvertum est.

Et quoad alterum stylum deferendi decisionibus, quasi quod, cum solis textibus, & glossis, ac antiquorum auctoritatibus, procedendum sit, Respondent, quod iste quoque manifesta ignorantia effectus esse, dignoscitur; Siquidem si decisiones ponderentur, in eis potissimum primis, cum quibus tanquam receptis, ac magistratibus aliæ prætransunt, deducuntur, ac examinantur textus & Glossæ & antiqui repetentes; Sed quoniam, (pro ea ingeniorum varietate quæ omni tempore conaturalis fuit, & est) etiam inter leges contrarietates seu antinomias habentur; Majores verò inter earum Glossatores, & Interpretes, unde propterea, divisim modernioribus in factiones, adeo involutæ quæstiones exortæ sunt, quod plurium scriptorum dicendi consuetudo est ut cum gladio, vel cum Imperiali auctoritate, eas decidere oporteat;

Hinc

Hinc proinde, quando magna Tribunalia, plures unam ex controversis opinionibus, tanquam probabiliorum canonizarunt, congruum, ac rationale est, ut cum huiusmodi plurimum sapientum concordia iudicio procedatur, ne perpetuo veritas incerto sit; Unde propterea stylus iudicandi, ab omnibus commendatur, atque speciem legis habet. *infra discursu 35.*

74 Pro huiusmodi autem problematum decisione; Alii credunt, ut congruere videantur eadem, quæ superius, agendo de congregatione examinis Episcoporum, sive de illa Fabricæ Sancti Petri, intinuatæ sunt; Ac prius in materia feudali, agendo de Bulla Baronum *supra discursu 20. & 21. & titul. de feud. discursu 73. cum pluribus sequentibus*, cum similibus; Ut scilicet generaliter, ac in abstracto, verè ista posterior opinio, quæ utrumque stylum approbat, atque commendat, probabiliori censi debet, ac sequenda sit; Inconvenientia verò considerata per sequaces primæ opinionis, proveniant potius ab ea utriusque styli corruptione, malaque praxi, quæ omnibus humanis rebus, est connaturalis, ac inevitabilis.

75 Quatenus enim pertinet ad primum; circa editionem decisionum; Ille habet quidem, rationabilia motiva superius recensita, quæ sine dubio præponderant aliis in contrarium ponderari solitis; Verum dicunt illi, qui conciliativam opinionem sequuntur, quod inconvenientia resultare solent ex modo illas edendis; Potissimè verò ubi verificaretur id quod supponi solet (quod tamen ego affirmare non possum) quod scilicet, quandoque fortè non extendantur decisiones ab iis, qui sedendo in Rota, & audiendo sensum Tribunalis, rectè sciunt quænam fuerint fundamenta, quibus innixa sit resolutio, & quæ fuerint rejecta, seu non discussa, ut ita explicent, in quibus revera decisio consistat.

76 Advocatorum enim, & Procuratorum stylus, potius commendandus, quam damnandus; cumulandi plura motiva, ob ingeniorum diversitatem atque ad instar dapiferi, qui plures cibos apponere debet in mensa, ut ob varietatem gustuum ac stomachorum omnibus satisfaciat; dum sapius illi cibi, qui sibi videntur meliores, non placent aliquibus, qui eos nauzeant, gustant autem cibos leves, vel ignobiles, aut perniciosos; Idem etenim in motivorum electione quotidiana praxis docet.

77 In extensione igitur decisionum illi, qui de his non sint informati, reassumendo informationes Advocatorum, omnia cumulare, quandoque solent; Quinimmo ex proprio ingenio vel sensu, ea magis exornare, ac alia superaddere, quæ in Rota discussa non sunt, immò fortè rejecta; Ideoque istud reputant abusum, quoniam cum decisio edatur, ad effectum ut succumbens sciat causam quare contra eum dubitetur, ut ita determinare valeat, an debeat acquiescere, vel contendere? Hinc sequitur ut iste effectus non resultet, quoniam videntes defensores canonizari motiva insubsistentia, non possunt captivare intellectum, & acquiescere.

Card. de Luca. Relatio Curia Romana.

Credunt proinde iidem conciliatores, quod verus decisionum modus videretur ille, qui adhibitus est per aliquos antiquiores; Et præsertim per Franch. (qui in magis communi sensu reputandus videtur decisionantium idea;) Ut scilicet in forma discursiva, examinando omnia motiva, quæ hinc inde in causa deducebantur, referat quænam rejecta fuerint, & quænam amplexa, cum in istis propriè decisio consistat; Quod etiam pleræque decisiones Rotæ, antiquæ, & modernæ bene servant, ut *infra.*

78 Id etenim, alia multa, & quidem notabilia, producit inconvenientia pro determinationibus aliarum causarum, apud Iudices inferiores, qui frequentius, pro moderno inepto stylo pragmatico, absque alio discursu, vel ratiocinio, super diversitate casuum, seu circumstantiarum, quidquid legunt in decisionibus, attendunt, ad literam (ut nostri dicunt) tanquam Evangelium, non reflectendo quænam sint partes substantiales, & quænam cumulata sint ad ornatum, sive incidenter, ac indigestè.

80 Et quamvis perpetuò Rota, antiqua, media, & moderna protestari professæ sit, quod decisiones, verè, & propriè consistere dicuntur in eo puncto, qui principaliter discussus, ac decisus fuit, atque in illis conclusionibus vel motivis, quæ fuerint causa resolutionis; *Seraphin. decisione 299. decisione 17. par. 7. rec. Eich. decisione 480.* Attamen ista est medicina, quæ parum prodest; Tum quia inexperti iudices, ad hanc distinctionem non reflectunt, idque reputant Advocatorum ratiocinium, seu acumen; Tum etiam quia frequentius decisiones id non distinguunt, unde propterea dignosci non potest, quænam fundamenta, fuerint causa resolutionis, dum juxta stylum illorum Consulentiæ, qui ad causæ oportunitatem quandoque omnia motiva pariformiter cumulant, id sequi solet in decisionibus, non explicando, quale reputatum fuerit bonum, & quale malum.

81 Alterum observant abusum, qui incidit in idem; Quod scilicet (ex quodam huius Tribunalis stylo, qui est singularis, non solum comparative ad alia magna Orbis Tribunalia, sed etiam ad illa ejusdem Curie) ille, qui causam proponit, tanquam Ponens, vel Commissarius, nullum habeat votum; Exinde siquidem inolevit usus, ut iste sciat solam intitulationem causæ, nullam verò eius informationem habeat, quasi quod superfluum sit studium in illa causa, in qua votum proferre non debeat; Hinc enim sequitur, ut percipere, atque memoria retinere non valeat, quidnam propriè, ac præcisè fuerit causa resolutionis, quæ frequenter manat ex aliquibus motivis, quæ in ea discussione excitata fuerint, vel maturius tunc examinata, non autem ex votis, quæ domi singulariter extensa sint; Igitur partes Ponentis esse deberent, ut præ cæteris, melius de causæ meritis informatus, tunc id diligenter adnotaret, atque super illis

illis motivis, vel fundamentis stricte tanquam recte conficius sensus Tribunalis, decisionem extenderet, respondendo omnibus aliis motivis hinc inde deductis, ac solum deducendo illas auctoritates ac rationes, quae necessariae videantur, & super iis, in quibus cardo difficultatis resideat, non autem immorando in superfluo apparatu, atque in exornatione, vulgarum regularium, & conclusionum super quibus nulla sit inter scribentes hinc inde controversia, utpote receptis, ac indubitatis.

Indecorum etenim à plerisque reputari solet, ut adeo magnum Tribunal, pro tyronico stylo, immoretur super inani chartarum repletionem, exorando cum allegationibus eas nimium vulgares & receptas propositiones, ac regulas, quae hodie sunt planae & notoriae, Ut putà, quod confitit de possessione anteriori, ea debet esse manutenibilis; Sive quod literae Apostolicae iustificatae debeant executioni demandari; Aut quod accedente relevancia, atque non docto de calumnia, in prophanis danda sit remissoria; Vel quod confitit de fideicommissis, eiusque purificatione, iustificatisque aliis iustificandis; nempe legitimatione personarum, identitate bonorum, & non competentia detractionum, fideicommissario danda sit immissio; Aut quod praesentato ab omnibus, vel à majori parte eorum, quos confitit legitimos esse patronos, debita sit institutio, cum similibus, in quibus nulla penitus cadat quaestio quae solum resideat in verificatione praesuppositi, ex quo huiusmodi propositiones, vel consequentiae manant cum etiam in ipsismet Advocatis, vel Consulentibus indecorum videatur, ac damnabile sit, ut infra agendo de Advocatis advertitur; Igitur super eo insistendum est, atque huiusmodi propositiones vel consequentiae, tanquam jam notoriae & non controversae, debent praesupponi, scribendo more magistris, non autem more discipuli, vel tyronis.

Displicent etiam aliquibus (& non immerito,) nimiumque praediciales reputantur illae digressiones, quae absque aliqua necessitate fiant in decisionibus; quae super incidentibus, edantur circa merita negotii principalis, de quibus incidenter solum, & pro gustu, non autem principaliter, & ex professo actum sit, ita apertendo sensum Tribunalis, qui verò adhuc maturus non adsit, atque incidenter firmando ea, quae revera formiter discussa non sunt; Ut puta; in disputatione remissoriae deducuntur aliqua tangencia merita negotii principalis, pro sola notitia superficiali, ad effectum gustandi de relevancia vel irrelevantia, & ad quem effectum, sufficit levis cognitio, dum sola dubietas vel possibilitas relevanciae pro concessione sufficit; Et tamen (ut pleraque decisiones ostendunt) per viam plenam, ac formalis tractationis, ex professo firmatur totum id quod, factis probationibus, superest formiter disputandum; Unde propterea, mea semper fuit consuetudo consulendi, ut huiusmodi incidentium disputationes non assumantur, sed quod petitionibus darentur manus, ad evitandum dictum inconveniens, vel praedictum, quod longè gravius est altero, quod resulset ab aliqua dilatione, sive causa pro-

tractione in longum. *titulo de iudicis discursu 31.*

Sive, ubi quaestio sit in solo possessorio adipiscenda, vel retinenda; Si ad eius effectum, incidenter solum, & pro gustu deducantur ea quae respiciunt merita, ad colorandam scilicet possessionem, ut facilius censej debeat manutenibilis, vel ad reddendam rem turbidam, ut oppositor dici non valeat legitimus contradicior, (& ad quem effectum sufficit talis qualis turbiditas;] Utiq; erroneum est incidenter firmare ea, quae respiciant petitorium, perinde ac si de illo principaliter, & ex professo actum esset, dum postea in disputatione negotii principalis, huiusmodi decisiones magnam faciunt impressionem, magnaque parant praedicia; Et de consequenti, dicunt iidem, quod iste quoque sit abusus considerabilis, cum decisio stricte percutere debeat punctum decisiu in sinuando solum superficialiter dubitandi rationes, quae superesse possunt, & quod sufficit, ad effectum huiusmodi incidentium, nihil tamen desuper firmando.

Contingit quoque aliquando, quod in decisionis revisione, Advocati, qui eam impugnant, aliquorum eius fundamentorum fallaciam clarè convincunt, idque Rota agnoscat; Verum ex aliis solidis motivis, (justè quidem) persistit in decisis, unde propterea ipsa resolutio verè justa, beneque fundata sit, sed in secunda decisione confirmatoria, deducendo solum ea solida fundamenta quae fuerint causa resolutionis, alia negliguntur; praesertim in casu de quo *titul. de testament. discursu 31. & in aliis.* Id autem errorem redolere videtur, dum debet fieri mentio de eorum insubsistentia, ad evitandum illud inconveniens, quod ita prima decisio firma remaneat, circa ea fundamenta, quae verè fallacia sunt, utpote non revocata, vel non declarata, pro aliarum causarum decisione apud Iudices inferiores, & quandoque apud eandem Rotam in diverso turno, seu tractu temporis, mutatis iis, qui tunc sedebant, ac informati erant, ut pluries expertus sum.

In idem quoque tendit, non invigilare cum peculiari studio, summaque applicatione, ne per Collectores, bene non informatos, utpote fororum non versantes redigantur in volumina decisionis revocatae, vel declaratae, saltem non adjectis ibi proximè aliis decisionibus revocantibus vel declarantibus, dum cum auctoritate earum, quae jam revocatae vel declaratae sunt, per hanc notitiam non habentes procedi solet; Atque in hoc revera Curia negligentiam inexcusabilem adhibet, ut etiam supra occasione agendi de impressione Bullarum Apostolicarum advertitur; *supra discursu 27.* Alioquin similes usus adesse plures sensati viri opinantur in hac decisionum impressione, ideoque cupiunt ut magis accurate ad id reflecti deberet; Ac propterea concludendo laudant styllum in genere, sed quandoque non laudant ejus praxim, ex qua potius quam ex ipso stylo, resultant inconvenientia, quae per alterius opinionis sequaces ponderari solent.

Quo

86 Quo verò ad alium stylum deferendi decisionum auctoritati; Pariter malum non consistit in substantia, sed in modo; Certum etenim est, quod decisionibus supremorum collegiatorum Tribunalium, inter omnes doctrinas, ac auctoritates, dignior, ac primus, longeque major locus tribuendus est, ex jam insinuata ratione, quod est cumulus plurium judiciorum pro veritate, in idem prævio lumine quod à dispositionis tritina, & ab Advocatorum acumine recipitur; Unde propterea stultitiæ species est, privatorum scribentium auctoritatem, huic auctoritati & exæquare. Præsertim verò ubi agatur de eodem Tribunali, cuius commendabilis quidem stylus est, quando vehemens ratio non urgeat, non recedere, à receptis eius opinionibus, antiquitati, ut decet, deferendo. *Burrat. decis. 863. nu. 13. & tit. de iudic. disc. 35.*

Verum abusus consistit, in eiusdem styli mala praxi attendendo scilicet decisiones, quæ in aliis causis prodierint, in sola litera, sive in sola generalitate, non bene reflectendo ad circumstantias casuum, in quibus illæ decisiones prodierint, ad illos casus, de quo sit controversia, faciendi illarum combinationem pro congrua applicatione; Præsertim verò ubi agatur de questionibus ambiguarum voluntatis, & similibus, quæ facti potius, quam juris dicendæ sunt, quoniam ut frequenter, in materia fideicommissaria, fereque in omni alia advertitur, stant bene simul, ut eadem conjecturæ & argumenta, in uno casu approbari, & in altero reprobari mereantur; Sive quod in uno sufficiant & abundant; In altero verò, eadem ac alia longè majora insufficientia reputanda veniant, quia sic unius, ac respectivè alterius casus circumstantiæ exigant, ob diversitatem personarum, locorum, & temporum; sive ob alia accidentia, quæ in uno casu considerabilia sunt, in altero autem non.

87 Id autem generaliter in omnibus aliis doctrinis procedit, præsertim verò in illis Consulentiis, etiam ubi ipsa Consilia seu Responsa ad veritatem edita sint, adeo ut decisionum quamdam speciem seu imaginem habeant, quoniam possunt bene simul stare, quod in eo casu, ob eius circumstantias, illæ conclusiones bene adaptentur, quæ tamen non congruant casui controverso; Sive quod aliqua propositiones in eo Responsa adornatum potius ac superabundantiam more externorum consulentiis deducantur, vis autem Responsi consistat in aliis solidioribus fundamentis, cum quorum associatione, alia leviora bene procedant, quæ tamen sola, & de per se nihil valent; Ac propterea manifestus error est capere seu attendere decisiones, vel Responsa, per partes, cum attendi debeant unitim, ita combinando, (ut dictum est) omnes circumstantias pro congrua applicatione, in qua tota est vis judicantis.

88 Ut enim in omni fere materia, frequens, ac fortè fastidiosa (semper tamen oportuna) mea est dicendi consuetudo; præsertim sub tit. de fideicommissis. Apud antiquiores quam plures pendebant controversæ questiones, habentes Doctorum classes hinc inde, unde propterea Judicis labor, ac studium erant in perquirendo, quanam opinio, magis communis, vel magis probabilis esset, quam ipse sequi deberet; Hodie verò, nulli, vel nimium rari sunt isti casus, quoniam per magnorum Tribunalium decisiones, ac modernorum magis receptum sensum, omnes huiusmodi questiones; jam sopitæ sunt, sta-

tuta una opinione pro regula, & altera pro limitatione, unde propterea totum pendet ab applicatione, quæ regulanda est, ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, inspiciendo, an in casu regula, vel in altero limitationis versetur; Et consequenter erroneum est, cum generalitatibus procedere. *de his agitur etiam infra agendo de Advocatis eorumque modo scribendi, disc. 46. & tit. de iudicis disc. 35.*

Hinc proinde, agendo (ut dictum est) occasione istius Tribunalis, generaliter de boni, ac sensati Judicis idea; Concors est Juristarum, ac Mora- 89 lium sensus, ut copulativè in eo requirantur doctrina, & morum integritas; Questione cadente, quænam potius desideranda sit; Atque Juristæ præsertim, magis communiter desiderare videntur doctrinam, ex eo quod minus malum sit Judicem esse doctum cum malis moribus, quam bene morigeratum, sed indoctum; *Rovir. pragm. in rubr. de sale vendendo.* Verum hæc opinio sustentabilis est, quando mali mores sint privati, id est circa eius vitam, seu propriam conscientiam tantum, non autem ubi sint publici, nempe circa corruptelam, seu aliam justitiæ violationem, adeo ut mali mores insuant in ipsam Judicaturam, cum tunc agendo de illo qui solum partes Judicis gerere debeat in causis de justitia decidendis, præsertim in huiusmodi Tribunalibus, magis integritas, quam doctrina desideranda videatur, quoniam lex permittit Judicem imperitum; *tit. de iudic. disc. 3. & 4.* Et tamen non permittit Judicem non integrum, & corruptibilem; Ex ea congrua ratione, quod imperitia bene suppleri potest per Assessores, & Consiliarios vel alios Adjuutores peritos, ut frequens, & quotidiana praxis docet, sed altero malo occurri non potest; Adeo ut Apostolus moneat, ut indocti & contemptibiles potius in Judices eligantur; *Apostol. Epistol. 1. ad Corinth.* Ideoque non mirum si quandoque id servari videmus; Licet enim id mysterium contineat, atque in sensu allegorico potius, quàm literaliter intelligendum veniat, monendo scilicet viros religiosos, & ecclesiasticos, ut potius inter se ipsos, ab indoctis, & contemptibilibus judicentur, quam quod iudicum secularium forum strepitosum adeant; Sive quod iudicium sæculare pariantur; Adhuc tamen dici potest, quod Apostolus non improbat iudicem indoctum, non tamen scriptum reperitur, ut approbetur Judex corruptibilis, & non integer.

Dictus autem magis communis sensus juristarum, intelligendus venit de iudice, in magis lata significatione, id est de Rege, seu Præsidente, aut Governatore, vel Rectore, Provinciæ vel Civitatis, cui incumbat regimen politicum, ac civile, pro quo expedit, ut Rector sit potius sagax, & diligens cum malis moribus, quàm timoratifsimæ conscientie, magnæque probitatis, sed indoctus vel alias parum aptus.

Verum posita utraque qualitate; Quatenus pertinet ad doctrinam, seu literaturam; Licet illa principaliter desideretur in utroque jure, sive in eorum uno, pro muneris, vel judicaturæ qualitate, quod scilicet Judex secularis sit magis versatus in jure civili, ecclesiasticus autem in canonico; Quod tamen rarè est practicabile, ex communi dictorio, quod legista sine Canonibus parum valet, Canonista verò sine legibus nihil. *lib. 14. in adnot. ad Consil. Trid. disc. 31.*

Non tamen ista sola literatura sufficit scholastica seu Rhetorica, nisi accedat etiam practica seu forensis, quoniam magis ista quam illa, melius tamen utraque simul juncta; Et tamen neque ista literatura sufficit, quinimo ubi magna nimiumque ingeniosa est, judicaturæ præjudicialis esse solet, præsertim verò, ubi sit judicatura talis quæ admixtum habeat regimen politicum seu civile; Ut (ex. gr.) est illa Episcopi, vel Gubernatoris; Unde propterea in Curia circumfertur opinio, quod eximii, & ingeniosi Advocati, non solent esse boni Judices, vel boni Episcopi seu Gubernatores; Ex ea scilicet ratione, quod ii qui toti dediti sunt literarum studio, atque acuminis ingenii, non autem judicio principaliter vacant, in isto, atque in prudentia deficiere solent, istæque partes cum ingenio magis plano ac moderato Judici congruere videntur, dummodo tamen adsit sufficiens literatura, dum præsertim in magnis Civitatibus, magnisque Tribunalibus, in quibus adest copia eximiorum Advocatorum, aliorumque literatorum, omnia, quæ in jure disposita sunt, promouentur, ac proponuntur, unde propterea requiritur quidem in Judice talis literatura, ut utriusque juris terminos ac principia bene calleat, atque propositiones juridicas, quæ hinc inde deducuntur percipiat; Sed magis necessarium est bene adæquatum judicium, ut distinguat, sive ut reflectat ad circumstantias facti, earumque judiciousam combinationem faciat pro congrua applicatione, ad quam hodie boni Judicis partes unice restringuntur, quamvis etiam magna literatura nimium proficua sit, ut Judex supplere possit ea, quæ defunt Advocatis, sive pro casibus, in quibus contra contumacem se non defendentem, una tantum parte informante procedatur; Ideoque merito non dicitur juris scientia, sed juris prudentia, quæ propterea quoque nimium, ac principaliter necessaria est, eaque absque longa rerum experientia non de facili obtinetur, vel ut partes ad concordiam inducat, ut Partibus suspectum non se reddat; *Bovadill. lib. 1. politic. cap. 6.* Atque sicuti antiqui artis oratoria magistri; in Oratoribus, historiarum, ac politica peritiam desiderant, ut infra agendo de Advocatis, aliisque causarum defensoribus advertitur; Ita magis in Judice, cum ex his prudentia manet, ideoque in Judice major, quam in Advocato idoneitas desideranda videtur, *Bovadill. ubi supra.*

Hinc ad majores, ac primarias judicaturas in supremis præsertim Tribunalibus, commendabilis, nimiumque proficua est transitus per gradus; Improbabilis verò est, ac damnata promotio per saltum, sine experientia, quamvis etiam adsit literatura; Multo verò magis ubi utraque desit; Quinimò pro meo sensu (in magnis præsertim Tribunalibus) etiam peritia in rebus concernentibus mercaturam, & negotiationem, desideranda venit; Ideoque plurimum partium cumulativus concursus desideratur; Atque ad istum concursum potius, quam ad ingenium, vel ad solam magnam literaturam est reflectendum; Adinstar eorum, quæ habemus in prælectione facienda per Episcopum in concursu ad Ecclesias parochiales ad formam Concilii Tridentini, ut in sua sede advertitur, *in annotat. ad Concil. Trid. disc. 32. & tit. de Paroch. disc. 37. & in aliis.*

Et per consequens, Aliqui, commendantes quidem prætensionem antiqui styli publicarum ac privatarum disputationum faciendarum per eos, qui

Auditorum Rotæ, vel Advocatorum Consistorii collegiis cooprandi sunt, (ut supra) pro sola majestate Curie, non tamen id commendant pro fine, ad quem huiusmodi functiones peragi dicuntur, cum nil commune habeat ista scholastica, vel potius tyronica functio [congrua quidem iis, qui ad Cathedras assumendi sunt] cum partibus Judicis vel etiam Advocati in Principis consistorio.

Quamvis autem aliquando in iis, qui eximii, ac magni Advocati fuerint, munus Judicis, vel Episcopi, aut Gubernatoris, parum felix esse praxis docere solet; unde propterea contra genus Advocatorum ista traditio apud aliquos in Curia volitare solet; Error tamen est manifestus, id ita generaliter, ac indefinitè asserere, cum id sequi soleat, potius pro limitatione regulæ, in uno ex duobus Advocatorum generibus; Vel scilicet in iis, qui cum solo ingenii acumine, atque cum merè leguleicis rigoribus, in omnibus casibus, omnibusque personarum generibus procedunt, non bene distinguendo, personas, loca, tempora, & negotia; vel in iis pejoris conditionis viris, qui ob consuetudinem ab eis contractam, indies manus habendi plenas muneribus, & pecuniis clientium, talem consuetudinem etiam in statu judicaturæ retinere fatagant, ut in aliquibus partibus praxis quandoque docet; Id autem in Mundo antiquum fuisse, docemur ex antiqui Græci Poëtæ versibus, quos in latinum traduxit eruditissimus Juris professor, *Alciatus lib. 12. patergon. C. ult.*

*Imperium quæ servas fuit, ne sumat berile.
Hoc veteris est, aliud nunc tibi dico novum.*

Quisquis causidicus fuit, is ne judicet unquam,

*Rhetore sit quamvis doctior Isocrate.
Veniali vir lingua, & opes acquirere suetus,
Judicium haud unquam sordibus absque feret.*

Istud verò secundum genus certè non datur in Curia, quoniam cum Advocatorum honorarium sit jam taxatum in summa valde moderata, quæ solum à sponte dantibus, recipitur, ab invitis autem non exiguntur; ut infra in Curialium sede advertitur; Hinc sequitur, ut ista mala consuetudo excoriandi non verificetur; Solet autem aliquando verificari prima, sed raro tanquam limitatio regulæ, verè est in contrarium, quoniam jam versatus Advocatus longè magis alienus est ab æquivocis, atque à defensorum fallaciis, longèque facilius negotia percipit, & expedit, cum eius idoneitas sit absque dubio magis scientifica, & fundata.

Redeundo autem ad Rotam, (à qua præmissa neque extranea sunt;) Ea quam plures habet stylos particulares quorum aliqui sunt commendabiles, alii verò commendatione digni per aliquos non reputantur, in hoc autem relatoris partes solum me explente.

Inter quam plures autem stylos, quos omnes reassumere nimis laboriosum ac fortè tædiosum esset, istisque verè furtivis subciviarum horarum adnotationibus omnino incongruum; Illi præsertim dignoscuntur, ultra eos, qui jam supra insinuat sunt circa dubiorum disputationes, & decisionum editiones, & novas audientias, ac alias.

Primo nempè (& quidem commendabiliter) quod

92 quod aliorum Tribunalium vel Judicum res judicatas non attendit, neque exequitur, nisi de earum iustitia gustet, *Cavaler. decis. 62. & 270. decis. 132. par. 6. rec. Merlin. decis. 38. & sequius.*

93 Secundò quod proficitur attendere potius rationes, quam majorem cumulum doctrinarum; *plura cumulant add. dec. 460. par. 4. rec. tom. 2. num. 18.* Ut revera decet magna Tribunalia; Quamvis aliquando non bene fervetur; Summam etenim rationem iste stylus habet, ideoque pro meo sensu, ab omnibus Judicibus servandus esset, quoniam ubi non agatur de lege expressa, & præcisa proprii Principis, quæ in ratione auctoritativa, præcisa, ac necessariam faciat auctoritatem, sed agitur de articulis in jure controversis, habentibus auctoritates, ac opiniones hinc inde; Sive etiam de interpretatione legum civilium, quas in ratione voluntarii usus potius habemus, quam ex præcisa, & necessaria auctoritate juxta legalem historiam alibi recensitam. *dicto disc. 1 de servit.* Hinc nimis improprium ac indecorum est, ut magnum Tribunal, quod est præsupponendum, ut constituatur ex pluribus eximis Jurisconsultis, sequi debeat, cum cæca fide, traditiones frequenter indigestas eorum, qui potius ex otio, tanquam pro forentibus rebus inepti, volumina ediderunt; Potissimè quia, ubi etiam super aliqua traditione, magnus habeatur scriptorum cumulus, adhuc tamen si diligenter advertatur ad segregationem eorum, qui in diverso casu, vel cum diverso præsupposito loquantur, ac eorum quæ sine aliquo discursu, sunt puri collectores, vel transcriptores ita invenietur, quod ad valde exiguum numerum reducantur illi, qui numerat, merentur; Fortius verò si bene perquiratur origo, seu principium, quia nempe traditio desumpta sit ex dicto alicuius antiqui gravis Auctoris, cuius nunquam in animo fuit asserere id quod supponitur; Ideoque plures ex iis dicendi sunt testes de auditu auditus; Et alii de auditu ab iis, qui non dixerunt, ac propterea congruentius est rationes, & principia perquirere.

Tertiò, ubi etià agatur de propriis exequutorialibus, & in vim propriæ rei judicatas, si exequutio per longum tempus neglecta sit, illaque petatur post decem annos, concedi non solet, nisi Pater iterum audita, cum disputatione dubii; Commendabiliter quidem, quoniam, tam diuturna & inverisimilis negligentia, aliquam redolet probabilem suspicionem, *titul. de jurisdict. disc. 2. & titul. de judic. disc. 40. in quo agitur de exequutorialibus.*

95 Quartò, ubi procedit per contradicatas contra absentes, & præsertim contra eos, qui sint in remotis regionibus, de commendabili stylo, quamdam facere solet cumulationem, saltem virtualem, possessorii cum peritorio, quod scilicet non determinat possessorium, non bene gustato de bono jure in peritorio, *Leodiens. dominii 10. Januarii 1650. coram Cerro, quamvis regulæ juris sint in oppositum quod scilicet possessorium nil commune habeat cum peritorio, atque prius illud est terminandum, ut in judiciorum sede advertitur agendo de possessorii.*

96 Quintò, quando agitur de judicio possessorio præsertim summarissimo retinenda: quod est executivum, & non retardabile per appellationem, sive de revocatione attentatorum solet quandoque demandare, ut videatur de bono jure sine præjudicio dicti processus, ad eundem effectum manu-

tionis vel revocationis attentatorum; Idque commendabile reputatur, cum bonos effectus quandoque producere soleat. *Bich. decis. 605. & sequius.*

Sextò in causis dubiis, sive ubi alias timeri valeat, quod inconvenientia producenda sint, innuere solet concordiam, atque in ea nimium cooperari, & quandoque etiam illam præcipere, *Caput. decis. 214. par. 2. Cavaler. decis. 132. & sequius.* quod de jure fieri posse immò debere apud DD. est receptum, licet quandoque id transire soleat in abusum, unde propterea, Tribunalibus Regni Neapolitani per legem particularem id prohibere oportuit. *Rovin. dec. 95. Ioan. Baptistæ de S. Georg. de transact. quest. 20.*

Septimò quando adversus resolutionem concessit, novam audientiam, stylus est, quod super jam edita decisione expeditionem non decernit, quamvis ea Pars succumbens, quæ audientiam obtinuit, informare negligat; Unde propterea, victore solum informante, disputatur dubium, an sit standum in decisis; *Bich. decis. 417. decis. 343. par. 10. rec.* Et quandoque (licet raro) pro recessu contra informantem respondere solet.

Octavò in causis præsertim beneficalibus, quando causa reperitur jam introducta in Rota, non datur alter exequutor vel institutor an collator sine vitio attentatorum, sed ipsa Rota assumit has partes, atque ei, cui beneficium debitum sit, confert vel instituit, ita subintrando in locum collatoris, *ut. de benef. disc. 52.*

Nono, licet in Curia exequutio obligationis cameralis pertineat ad Auditorem Camera privativè ad alios; Unde propterea ut supra advertitur, ac etiam *discursu præcedenti*, necessaria est communicatio, huiusmodi facultatum; Attamen rectè procedit jure suæ delegationis, ubi agatur de obligatione dependente ab iis, quæ jam pendent in Tribunali, *decis. 332. par. 10. rec. Dunozett. decis. 349.*

Decimò licet non soleat aliquid decernere non prævia disputatione dubii, & editione decisionis; Attamen in expensis, & fructibus, id agit sine hac formalitate, *Bich. decis. 468. Roj. decis. 385. & in aliis.*

Undecimò, quando Rota mutat opinionem, ut frequenter contingere solet, non per hoc admittit retroractionem præjudicalem rei judicatas, vel concordias sequutæ de tempore, quod altera opinio tenebatur, *Martin. Andr. decis. 48. & in aliis pluries.*

Duodecimò condemnat semper in expensis victum non reflectendo ad distinctionem, quæ desuper per DD. traditur inter justam, & injustam causam litigandi; Illeque stylus videtur in Curia generalis. Verum non omnes expensæ reficiuntur nisi vivæ, præterquam in certis casibus, ut in sua materia judiciorum advertitur in particulari sede refectionis expensarum.

Ille autem videtur stylus particularis Rotæ, quod non mandat refectionem propinarum, quæ ipsimet Rotæ solvantur; Illeque stylus parum commendabilis reputatur, ideoque reformatione dignus.

Profitetur item tenaciter sequi opiniones antiquas, Idque regulariter commendabile quidem est, ut superius quoque advertitur; Sed quandoque videtur modica commendatione dignum quando

quando dignoscatur quod antiqua opinio non habeat probabile fundamentum; Ut ex. gr. contingit in retentione opinionis *Alexandri* contra illam *Angelii*, super denegatione viæ executivæ pro legatis, dum omnia alia Tribunalia sequatur opinionem contrariam ut in iudiciorum sede advertitur, agendo de iudiciis executivis; *tit. de iudic. disc. 37. & 24.* ac etiam circa opinionem *Bartoli* ut ius patronatus non transeat in fideicommissarium, ut pariter in sua sede, *sub tit. de iurepatr. disc. 36.*

Habet quoque quemdam stylum particularem, qui exorbitans, parumque commendabilis videtur, quod scilicet ille terminus, qui de stylo generali Curie habitus pro servato durat per decem dies, & in Rota per quindecim, ut in iudiciorum sede advertitur; Quando habeatur pro servato in ultima Rota memorialium, in qua indicuntur generales vacationes æstivæ, durat usque ad primam Congregationem generalem, quæ ut supra, habere solet circa finem mensis Julii vel principium mensis Augusti, cum tali exorbitante retrotractione ad diem termini habiti pro servato, quod si victus non appellaverit infra decem dies, vel appellando non curaverit committi causam infra alios decem, intret res iudicata; Id enim exorbitans videtur, ut transeat in iudicatum sententia, quæ revera tunc non aderat in rerum natura; Immo quando neque prodierat decisio, ex cuius lectura victus determinare possit, an deberet acquiescere, vel appellare; Ac etiam erat incertus, an demandanda esset expeditio; vel potius concedenda nova audientia, *tit. de iudic. agendo de appellatione, & de re iudicata disc. 37. & 38.*

De Rota Decanatu quomodo eius optioni locus sit latè discribit ille, qui in hoc munere diu vixit & obiit; *Coccin. not. bil. 261. post primum vol. à decisionum.* Et an causæ Judex seu Ponens sequi debeat votum correspondens, si resolutio sibi parum iusta videatur, esse solet in questione; *Coccin. dec. 399. num. 5.*

In causis in hoc Tribunali pendentibus, nullæ penitus sunt expensæ pro iudicibus per litigantes, præsertim externos, cum quædam exigua nimiumque moderata munuscula superius recensita in candelis cereis, & saccharo tradi solita in vigilia Nativitatis Domini vel in Kalendis Augusti, ut plurimum præsententur per Magnates, & nobiles præsententur in Urbe, non autem, vel nimium rarè, per litigantes externos, qui aliquando id agunt solum in causis valde gravibus; Aliudque non adest emolumentum pro iudicibus, nisi illud propinarum in expeditione sententiarum diffinitivarum nempe; In causis prophanis usque ad summam scutorum mille, scuta decem auri; A mille verò usque ad decem mille, scuta viginti quinque pariter auri; A decem millibus usque ad viginti mille scuta, quinquaginta; Ab inde verò supra, ad quæcumque summam ascendant, centum, neque excessus huius summæ datur.

In causis autem beneficiabilibus; Si valor non excedat summam centum ducatorum, est decem; A centum verò usque ad mille, viginti quinque; A mille usque ad tria millia, quinquaginta; Et ab inde supra centum, absque excessu.

Ubi verò agatur de causis jurisdictionalibus, vel aliis quæ valorem certum non habeant, tunc fieri solet taxa moderata, pro causarum qualitate; Atque ad hunc effectum deputari solet unus ex se-

nioribus, magisque peritis, ac probis Procuratoribus Collegii, pro huiusmodi sportularum cura, & taxa; Ultra quas solvuntur quædam emolumenta Notario pro registro actorum, quæ pariter suam habent taxam; Et de aliis expensis Protonotario Advocatorum, & Procuratorum, habetur infra in Rubrica Curialium; Eisque accedunt stipendia sollicitatorum, & copistarum; Nil autem ulterius extraordinarium expenditur, præter illud emolumentum quod victor solvit Adjutori studiorum Ponentis, quando sibi communicat decisionem jam editam, quod de stylo importat id, quod importet honorarium Advocati vel Procuratoris in qualibet informatione, quod ad summum est duorum scutorum auri, frequentius verò minus, & iuxta valorem antiquum dictorum scutorum auri, ut in dicta Curialium sede habetur; Unde propterea reliqui sumptus qui poni solent in litis eorum, qui negotiorum curam habent, minus veri sunt, cum principalium deceptione.

Ab antiquo tempore, Auditores Rotæ habuerunt locum in Cappella Pontificia, cum prærogativa, quod Decanus teneat Papæ mitram, seu trirregnum; Atque inter eos primum locum occupabat, post Decanum, Magister S. Palatii, ut de ipso agendo superius in plurimum eiusdem Palatii officialium Rubrica advertitur; *supra disc. 8.* Hodie verò, post eiusdem Cappellæ reformationem sub Alexandro VII. sequutam, iidem Auditores tanquam effecti subdiaconi, aliquem digniorem occupant locum, unde propterea sequutum est, quod Magister S. Palatii, sedet post eorum ultimum; Atque eorum unus in maioribus solemnitatibus, deferret crucem Papæ, duoque alii eidem interserviunt, elevando fimbrias vestium, quando Pontificaliter incedit; Decano continuante delationem mitræ; Atque ita sopita fuit antiquæ præcedentiæ quæstio inter Auditores Rotæ, & Clericos Cameræ, favore Auditorum, qui tanquam subdiaconi, præcedunt Clericos; Idque causavit etiam in eis mutationem habitus, qui prius erat nigri coloris, eo modo quo est ille simplicium Referendariorum Signaturæ, quæ nullum aliud minus annexum habeant; Nunc verò est magis qualificati coloris violacei, ad instar Episcoporum, & Archiepiscoporum, ac Protonotariorum, atque istorum prærogativam habent, deferendi in pileo signum, seu cordulam violacei coloris, quod non conceditur Clericis Cameræ, aliisque Prælatibus, qui ratione officiorum, vel munerum, vel familiaritatis Papæ, eiusdem violacei habitus usum habeant; Ista verò prærogativa mutationis habitus, rotæ potius displicuit, eo quia major prærogativa iudicabatur, ut illi qui violacei habitus usum jam habebant, ambirent, (eo derelicto) obtinere istum nigrum, tanquam longè majorem gradum, purpuræ proximum, & etiam in ipso statu, longè majoris existimationis.

Quam plura quoque munera huic Auditorio fixa esse videntur; Illud præsertim supra insinuatum in Rubrica magni Penitentiarii, Regentis Penitentiariæ; *supra disc. 12.* Ac alia pariter occasione aliquarum Congregationum jam enunciata; Quod scilicet in illis Congregationibus Rituum, quæ sunt pro canonizatione vel beatificatione servorum Dei, interveniunt tres seniores Rotæ Auditores tanquam periti Canonistæ, & Consultarii; *supra disc. 18.* Ac etiam eorum unus intervenit in Congregatione immunitatis Ecclesiasticæ; *supra disc. 17.* Et alter in Congregatione fabricæ S. Petri

S. Petri; *supra disc. 20.* Atque ubi Papæ placeat assumere Prælatum ad officium Datarii, pro frequentiori usu, assumit unum ex Rotæ Auditoribus, *supra disc. 9.* Quod etiam sequi solet in munere Datarii, apud Cardinales de latere ad Reges, magnosque Principes, aliaque officia eis committi solent pro Papæ Arbitrio.

111 Ex hoc Tribunali, ultra tot supra enunciatis, Pontifices, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos; Multi quoque prodierunt scriptores in utroque jure, aliisque facultatibus quorum labores ad posteritatis instructionem habemus in voluminibus publicæ luci datis, præter tot volumina decisionum, quæ sub nominibus peculiaribus, ipsorum Auditorum, vel in confuso collectæ fuerunt per Prosperum, Farinacium, & Paulum Rubicum, qui non fuerunt Auditores Rotæ, sed collectores aliquarum decisionum huius Tribunalis, eas ad publicam utilitatem in volumina redigendo.

Ex isto etenim Tribunali fuerunt, præ cæteris, Authores, in infra scripta serie recensiti. Videlicet.

112 *Sandus Raymundus*, qui ex commissione Gregorii IX. fuit compilator quinque librorum Decretalium, quorum notabilis pars ex huius Tribunalis decisionibus desumpta est, ut supra.

S. Antonius Archiepiscopus Florentinus
Guilielmus Durandus, qui speculator nuncupatur.

Oldradus de Ponte,
Ludovicus Pontanus, seu *Romanus*,
Lapus,
Zabarella,
Turrecematæ,
Abbas Panormitanus,
Fœlinus,
Bellamera,
Jo. Antonius de S. Gorgio,
Decius,
Gammaus,
Antonius Augustinus,
Pavinus,
Gomesius,
Corsetus,
Bellincinus,
Jacobatus,
Simonetta,
Palcottus,
Mantica,
Penia,

Et alii quorum notitia non habeatur, vel quod memoria non suppetat; Unde liquet quale feminarium sit istud Tribunal.

De aliis autem circa sanationem terminorum, vel circa prorogationem fatalium, sive circa nullitates, quas attendere, vel rejicere debeat, ac similibus concernentibus ordinaria iudicii, habetur sparsim infra in suis Rubricis, occasione agendi de terminis substantialibus, ac de nullitatibus, & de appellatione, aliisque concernentibus, istam materiam processus, & actorum; Aliaque studiosus perquirat, & addat, cum non uni omnia.



DISCURSUS XXXIII.

De Tribunali Camerae Apostolicæ.

S V M M A R I V M.

- 1 DE origine, seu introductione huius Tribunalis.
- 2 De numero præfinito Clericorum, & quando id sequutum sit.
- 3 De statu hodierno Tribunalis, & ex quibus illud constituitur.
- 4 De Cardinali Camerario, & de aliis Cameralibus, qui sedent in Camera ultra Clericos.
- 5 In quibus diebus Camera teneatur, & in quo loco.
- 6 De Camera tributorum in vigilia Apostolorum.
- 7 Quale votum habeant Camerales, & in quo differant à Clericis.
- 8 De prærogativa Advocati, & procuratoris fisci.
- 9 Habetur usus contradictoriorum.
- 10 Quomodo fiat communicatio informatio- num, & de prærogativa fiscalium.
- 11 De modo votandi, & de quibusdam stylis qui non laudantur.
- 12 Laudatur stylus, ut Ponens, vel Commissarius cause votet, & habeat plenam, ac exactam informationem processus.
- 13 Quomodo fiat distributio causarum inter Clericos.
- 14 Hoc Tribunal habet Signaturam in venire, & Decanus gerit partes Præfetti.
- 15 Quarum causarum cognitionem habeat, & in qua instantia.
- 16 Propositio quæ fit in Camera est loco commissionis vel libelli.
- 17 Quomodo regulariter rescribi soleat in causis exequentiis præsertim à sententiis, vel decretis Thesaurarii, & de cautela impediendi executionem.
- 18 De modo firmandi dubium, & proponendi resolutiones, ac etiam de stylo concedendis novis audientias, & recedendi à decisis absque decisione editionis.
- 19 Appellatur etiam ab eius sententiis, & causa committitur per Decanum in eadem Camera.
- 20 De proponis, aliisque expensis, & muneribus.
- 21 De Auditoribus Clericorum.
- 22 De istorum officiorum venalitate, eorumque pretio.
- 23 Qualis sit huius Tribunalis jurisdictio, & in quibus generibus causarum.
- 24 Est tribunal seculare principaliter, sed habet etiam admixtam aliquam juris- dictionem Ecclesiasticam.

- 25 *Agebat prius causas communitatum quas nunc agunt Consulta, & Congregatio Boni regiminis.*
- 26 *De potestate huius Tribunalis, eiusque Clericorum sede vacante, quando in aliis fiet.*
- 27 *De solemnitatibus circa admissionem Clerici noviter assumpti.*
- 28 *Quod hoc officium habeat annexam Prælatam qualiscumque.*
- 29 *Quod ex hoc Tribunali prodeant Summi Pontifices, & Cardinales multi.*
- 30 *De venalitate, unde proveniat remissivè.*
- 31 *De pluribus officiis, & Præsidatibus que per Clericos exercentur singulariter.*
- 32 *Vnde proveniat major, vel minor copia causarum in hoc Tribunali.*
- 33 *Cognoscit etiam causas retractuum, & servitutum in Vrbe.*
- 34 *De Congregationibus Barorum, & montium, & Consultæ, ac Boni Regiminis, que huic Tribunali præiudicant.*
- 35 *De Congregatione computorum, & alia Congregatione Camerali, quid agant.*
- 36 *In qua instantia cognoscantur causæ retractuum, & servitutum.*
- 37 *De exceptionibus, & franchitiis quibus potiuntur sedentes in Camera.*
- 38 *Quid in Camera Rationatoribus.*
- 39 *De loco in Capella.*

Retenta, seu præsupposita eadem facti serie superius recensita in rubrica Cardinalis Camerarii; *supra disc. 11.* Quod scilicet in antiquis primitivæ Ecclesiæ temporibus sub tyrannorum persecutionibus Pontifex, utpote divinis intentus peculii, vel thesaurorum Ecclesiæ curam, & administrationem, commisit ei Archidiacono, ut acta martyrii SS. Laurentii, & Sixti docent; Quodque postmodum restituta Ecclesiæ tranquillitate, oportuerit Archidiaconi officium, vel dignitatem suppressimè; Hinc idem Pontifex, quemadmodum publicas, vel privatas causas, quæ gratiam, vel iustitiam concernent, cognoscebat, partim in Consistorio cum ope Cardinalium, & partim in Cappella cum ope eius Cappellano- rum, ut in utriusque Rubricis superius advertitur, aliaque negotia per organum Referendariorum expediebat; Ita ea quæ concernebant eius Camera seu fisci administrationem, quæ penes Archidiaconum prius existerat, cognoscebat cum adiutorio, & opera aliquorum eius clericorum, quibus tractu temporis, tanquam eius Vicarium, unum præfecit Cardinalem, cui Camerarii nomen tributum est, unde propterea irrepit hoc Tribunal, quod constitutum est ex Camerario, & Clericis, ac aliis eiusdem Camerarii officialibus, in eadem eius rubrica insinuat.

Cum autem Clericorum numerus indeterminatus esset, illeque nimium crevisset, unde propterea, confusiones, aliæ inconvenientiæ resul- tabant; Hinc proinde Eugenius quartus, *Const. Egen. quarti,* eorum numerum septenarium determinavit, & qui solum Clerici ordinarii,

ac participantes, & causarum Camerae Judices esse deberent, præsupponendo existentiam aliorum Clericorum supranumerariorum, qui in Camera intervenirebant, quando negotia discutebantur, non tamen emolumentorum participationem haberent, neque remaneret in Camera post eius clausuram, pro causarum, ac negotiorum determinatione; Idemque confirmarunt, Innocentius VIII. & Pius IV. *Constit. 1. Calisti 3. & Constit. 55. & 88. Pii IV.* aliique successores Pontifices, qui ordinarunt reformationem huius Tribunalis, cuius Statuta ab eodem ordinata, approbarunt; *Ista statuta sunt inserta in constit.* Atque auctus postea fuit eorum numerus ad duodecim, cum longè majorum emolumentorum ac præminentiarum additione, juxta statum præsentem.

Attento itaque huius Tribunalis hodierno statu; illud constat, ex duodecim Clericis, qui sunt de genere Prælatorum utriusque Signaturæ, ac de sphaera prælaturæ nimium conspicuæ, quam ipsum officium habeat annexam; Eorumque Præsides seu Præfectus est præfatus Cardinalis Camerarius, qui volens potest, sed non solet, vel raro, sedere in Camera, in qua cum præfatis Clericis, in mensa circulari, sedent quoque plures alii officiales, qui ad differentiam Clericorum, Camerales appellantur; Nempe; Gubernator Urbis, tanquam Vicecamerarius; Auditor Camerae; Thesaurarius Generalis; Et Præsides Camerae, qui omnes pariter in Prælaturæ statu constituti sunt; Ac etiam Advocatus fisci, Advocatus pauperum, & Procurator generalis fisci in civilibus, qui Camerae Commissarius appellatur.

Hoc autem Tribunal congregatur in Palatio studiorum, quod Sapientiæ dicitur, bis in hebdomada, in eisdem diebus, in quibus congregatur Rota, in feria scilicet secunda & sexta; Cum ea differentia, inter unum, & alterum Tribunal, circa huiusmodi dies ac tempora, quod de mense Martii, quamvis Rota habeatur in feria sexta; Attamen Camera habeatur in feria quarta, dum feria sexta illius mensis habeatur tanquam dies festivus. Atque in vacationibus generalibus activis, semper quod Papa tenet Consistorium, convocatur, seu tenetur etiam Camera, quæcunque dies illa sit; Quod etiam in reliquis anni temporibus contingit, in quibus tamen rari sunt casus huiusmodi convocationis Congregationis extraordinariæ, ratione Consistorii, dum istud pro eius ordinario, & consueto cursu, haberi solet in feria secunda, quæ est dies ordinaria Camerae.

Alia item Camera insolita, seu extraordinaria habeatur in palatio Vaticano, seu pro temporum contingentia, in Quirinali in vigilia SS. Apostolorum Petri, & Pauli; Non quidem pro decisione causarum, sed ad effectum recipiendi tributa, & census, aliæque responsiones, quæ Camerae debentur ratione feudorum, aliarumque concessionum; Ideoque pro forma Tribunali, summariè examinatur, an & quorum tributorum vel præstationum solutiones, vel oblationes recipiendæ sint, & quæ respuendæ, vel conditionaliter seu cum clausulis præservativis recipiendæ; Idem non solum pro iuribus ac respectivè præiudiciis ipsius Camerae conservandis, vel præservandis; Sed etiam inter partes, quæ de possessione, vel de pertinentia feudorum, vel alio-

rum honorum contendant, unde propterea, earum, qualibet tributum, vel responsum Camere, pro sui iuris, vel possessionis conservatione præstare satagat.

7 Ea verò inter Clericos, dictosque alios officiales, & Camerales differentia dignoscitur, quod eis in dicta mensa circulari, sedentibus à diversis lateribus Cardinalis Camerarii tanquam per distinctionem Clerici votum habent decisivum; Camerales verò, super causis, quæ proponuntur, discurrere quidem possunt, ac solent, non autem votum proferunt; Et quatenus proferre velint, eorum omnium votum, pro unico decisivo numeratur, ita suppleto votum Camerarii, cuius nomine, ac vice ibi intervenire dicuntur, adeo ut interveniunt Gubernatoris Urbis, Auditoris Camere, Præsidentis, & Advocati pauperum, quodammodo ceremonialis videatur; Ille verò Thesaurarius, ac Advocatus Commissarii Camere, considerabilem habet finem, pro iuribus Camere tuedis; Ea etenim dignoscitur differentia inter Advocatos, & Procuratores partium, & illos fisci, quod primi postquam iudices informantur, exeunt à loco Tribunalis; Isti verò remanent, atque assistunt, quando vota proferuntur, cum facultate respondendi difficultatibus ac motivis, quæ inter votandum per iudices fiunt; Bene verum quod, neque Advocati, & Procuratores partium in hoc Tribunali, præsertim primum interventum informativum habent, dum pro eodem stylo Rotæ, ac etiam Signaturæ, aliorumque Tribunalium collegiatorum, & Congregationum (exceptis illis Montium, Baronum, & Computorum, & Auditoris Camere) in Curia non habetur usus contradictoriorum, coram ipso Tribunali congregato, sed singuli Clerici, alique officiales, pro causarum qualitate, à partibus, earumque Advocatis & Procuratoribus, ore tenus & in scriptis informantur cum eodem adamussim ordine, qui in rubrica præcedenti, agendo de Rota recensitus est, adeo ut nulla dignosci videatur differentia circa modum 10 informantium; Nisi quoad aliquam inaequalitatem, ubi agatur de causis fiscalibus, quod scilicet Advocatus, & Procurator fisci exigunt communicationem informationum partium per aliquos dies, antequam ipsi edant eorum informationes, quæ responsum potius quam informationum speciem habent ideoque non est illa coequalis, & contemporanea communicatio, quæ inter partes in ipsa die informationis de se fieri; Ac etià ista communicatio inter partes in hoc Tribunali non ita exactè servatur, sicuti in Rota, dum quandoque aliqui litigantes id agere renuunt; Adhuc tamen licet cum aliquo majori incommodo, idem resultat effectus, quoniam ipsimet iudices, libenter informationes ei datas accommodant, ut sumptum exinde defumatur, ad effectum respondendi, pro eodem laudabili fine, elucidandi veritatem, atque tollendi æquivoca, seu fallacias informantium.

Super modo autem votandi, diversus est huius Tribunalis stylus, ab illo Rotæ, cum in hoc non addit ibi enunciata divisio turnorum, sed omnes, in singulis causis, votum proferant; Cum duplici tamen particulari stylo quorum uterque est exorbitans; Primum nempe, quod major pars votorum, non constituitur ab excessu supra medietatem, juxta regulam electionum aliorumque actuum

Card. de Luca. Relatio Curie Romanae.

comitialium, seu collegiatorum, sed dicitur major ea, quæ sit talis comparatione aliarum; Unde propterea si (ex. gr.) ex duodecim Clericis; Duo in unam sententiam abeant; Duo in alteram; Tres in alteram; Et quatuor in alteram, tunc juxta istam ultimam tanquam pro majori parte, capitur resolutio, quod à juris regulis exorbitat, ideoque non videtur commendatione dignum, ita sequutum est in casu de quo sub tit. de Regal. disc. 136.

Alter stylus est, pariter exorbitans, quod cum huiusmodi Clerici plures habeant inter se distributas præsentias, ut infra, in quibus gerunt partes Judicum primæ instantiæ, unde ab eorum sententiis appellatur ad Camera; in disputatione quæ habeatur, an illius Præsidentis sententia confirmanda vel infirmanda sit, implet votum quoque habet decisivum, aliis clericis coequalis, quod à juris regulis etiam exorbitat, ideoque non videtur commendabile, *ibidem*.

Ille verò est huius Tribunalis stylus nimium commendabilis, quod Ponens seu Commissarius causa, habet votum decisivum, quod eodem modo, quo in Sacris Congregationibus, ac generaliter in omnibus aliis Orbis Tribunalibus, pro frequentiori contingentiâ, omnium ponderosius esse solet; Non quidem, ut majoris roboris sit de jure, sed quia, meliorem, magisque distinctam habet informationem facti, ex quo jus oritur, atque major pars decisionum pendet; Ponenti etenim in hoc Tribunali, quædam stricta, & rigorosa incumbit obligatio, habendi distinctam notitiam facti, totiusque processus, quem sectum asportare debet in plena Camera, ut in relatione causæ, quam ipse faciat, sive in discussione, ad singulorum Votantium, requisitionem promptè docere valeat de iuribus, quæ in eodem processu contingantur, ad effectum inspiciendi, an fideliter à Partibus data sint in summano, sive inspiciendi ea, quæ ab ipsis Partibus neglecta fuerint.

Distributio verò causarum fit, eodem modo, quo de Rota dictum est, inter singulos Clericos, absque tamen aliqua aliorum officialium cameralium participatione; Cum ea tamen differentia, inter dictum Tribunal Rotæ, & istud Camere, quod in Rota causæ distribuuntur cum commissionibus utriusque Signaturæ, Gratiæ, vel Justitiæ, ac propterea idem Tribunal subjacet præfato Tribunali Signaturæ Justitiæ, circa modum committendi, & rescribendi ut jam de eo agendo, insinuatum est, adeo ut eius Decanus, aliam non habeat potestatem, nisi illam subrogandi; Illud verò Tribunal habet (ut Practici dicunt) Signaturam in ventre, id est quod non subjacet Signaturæ justitiæ, neque eius jurisdictio pendet à commissionibus, earumque forma; Ex ea ratione, quod est Tribunal ordinarium ad certum genus causarum, unde propterea singulæ causæ, singulis Clericis potius distribuuntur, quam delegantur; Istaque distributio fit per eorundem Clericorum Decanum, id est antiquiorem, adeo ut non sit officium particulare, sed sit præ-eminentiâ antianitatis, atque habeat quamdam imaginem Præsæcti Signaturæ, 14
M m justitiæ,

justitiæ, tam circa dictam distributionem seu commissionem causarum singulis Clericis, quam circa recursum, qui per appellatam ad eum habeatur, ut demandetur suspensio executionis, seu concedatur supercessoria usque ad primam Cameram, in qua commissio sequi debeat, cum rescripto suspensivo executionis, vel preservativo, eo modo quo de Signatura justitiæ est dictum.

- 15 Est etenim istud tribunal, juxta eius ordinariam, ac regularem naturam, Judex appellationis, à sententiis, & decretis Auditoris Camerarii, & Theaurarii generalis, ac Praesidium, de quibus infra, adeo ut rari sint casus, in quibus cognoscat de causis in prima instantia ex consensu partium; Vel de mandato Papæ; Aut ex capitulis appaltuum; Vel quod ita exigat causæ qualitas, ut præsertim contingit in causis devolutionis vel caducitatis feudorum; Cumque Theaurarius ex Apostolicis Constitutionibus, illa præsertim Sixti V. *Const. 100. Sixti V.* habeat in facultatibus procedendi executivè; Hinc proinde appellantes, ad impediendam executionem, quæ appellatione non obstante, vel durante eius termino, fieri potest, recurrunt ad Decanum, pro supercessoria eodem modo, quo
- 16 recurritur in aliis casibus indifferentibus, ad Praefectum Signaturæ Justitiæ, ut ita executio impeditur usque ad primam Cameram, in qua appellans faciat propositionem, quæ de stylo hujus Tribunalis, est idem, ac commissio in Rota; Et quoniam in causis executivis, & præsertim Tribunalis Theaurarii, quando incontinenti non doceatur, de nullitate, vel injustitia, rescribi solet cum clausula *servata forma*, id est admittendi appellationem ad devolutivum tantum, sine præjudicio executionis; Idcirco appellantes in prima Camera curant docere de nullitate vel injustitia clara; Atque ubi Tribunal agnoscat, quod appellantium quærelæ aliquam habeant faciem probabilitatis, tunc demandare solet supercessoriam, quoque disputetur in prima, vel alia oportuna Camera dubium. An, & quomodo sit inhibendum; Sive an mandatum sit exequendum, quod quandoque appellantes prævenire solent, ut in ipsamet prima Camera id disputetur; Et in summa istud Tribunal facit ea, quæ conjunctim faciunt Signatura Justitiæ, & Rota, quando in causis de sui natura executivis rescribatur cum clausula translativa executionis, non tamen præjudiciali processui executivo, juxta exemplificata in dicta rubrica Signaturæ.

- Firmato igitur statu causæ, eaque distributa uni ex Clericis, qui pariter. Ponens dicitur, firmatur etiam dubium, eodem modo quo de Rota dictum est; Cum ea differentia, quod in hoc Tribunali non proceditur cum solis intimationibus, quas una Pars alteri faciat super propositione dubii in certa designata die, sed causæ Ponens declarat quando causam proponere intendat, subscribendo schedulam, quæ *dignemini* appellatur, per quam Ponens monet Collegas, quod ipse causam est propositurus tali die, ideoque dignentur partes, oretenus & in scriptis audire, idque notificatur etiam parti; Illeque stylus provenit ex alio supra insinuat, quod scilicet cum Ponens teneatur videre processum, & acta, ideoque esse debeat bene informatus de statu causæ ac omnibus, quæ in facto consistunt; Idcirco non concedit dictam declarationem,

nisi postquam ipse hanc informationem obtinuerit.

Quoad modum informandi (ut præmissum est) servatur ad amissum idem quod de Rota dictum fuit; Atque ubi proposita causæ, capitur resolutio, 18 quamvis ea publicetur, adhuc tamen eodem modo quo in Rota, illa remanet in terminis actus extrajudicialis, seu cuiusdam publicationis voti, donec Parte denuò citata per eandem Cameram, collegialiter in forma tribunalis congregatam, demandetur expeditio, cum pariter peti, atque pro frequentiori stylo, concedi soleat nova audientia, & sæpius sequi soleat idem recessus à decisio, ad amissum ut de Rota dictum est, adeo ut alia non dignoscatur differentia, nisi quod in Rota, Ponens tenetur præcise, super fundamentis resolutionis edere decisionem, quod non servatur in Camera; Licet quandoque in causis gravioribus, vel curiosis, Ponens, pro eius arbitrio, vel genio, ad instar eius quod facit Rota extendere quoque soleat decisionem, cui Voti potius vocabulum tribui solet.

Sequuta expeditione per sententiam, intrat idem, in hoc Tribunali, quod dictum est de Rota, 19 quod scilicet causæ non mutant suam naturam, ideoque eodem modo, ac si tractarentur coram quocumque alio iudice inferiori, quando illæ sine de sui natura appellabiles; Unde propterea si de jure communi, vel statuario, exigunt tres, vel duas conformes, cum tunc habent suum cursum, cum eodem ordine Rotæ, quod scilicet committuntur denuò in eadem Camera per decanum alteri clerico, adeo ut causæ non extant ab ipso Tribunali, in quo finem habituræ sunt, cum alter non adfit Judex appellationis, nisi quando alter Papæ videatur, in Signatura Gratiæ, cui solum hoc Tribunal subest.

Et quoad litigantium expensas, tam circa propinas, quam alia, servatur ad amissum idem, quod de Rota dictum est; Eademque dignoscitur summa integritas; Atque munera, exigua in cera & saccharo, seu pullis, in hoc Tribunali prodeunt potius ex obligatione Appaltatorum adjecta in capitulis appaltuum, quam ex urbanitate; ea vero dignoscitur duplex differentia circa propinas; Primo nempe, quod in expensarum refectione, quam victus victori facere tenetur, propina veniunt in taxa, seu lista expensarum. Quod Rota non servat; Et secundo quod non ponuntur in massâ pro earum distributione inter ipsos Judices faciendâ, ut Rota servat, sed distribuuntur; Vel singulariter in expeditione causarum; Vel ab aliquo moderno tempore, cum eodem ordine massæ distribuendæ inter ipsorum Clericorum Auditores, qui expliant easdem partes, quas in Auditoribus Rotæ, explent Adjutores studiorum, adeo ut 21 sola nominis differentia dignosci videatur; Ac etiam quia Auditores Clericorum, in pluribus officiis, quæ singulariter administrant, eorumdem Clericorum commissione tenent audientiam, & aliqua decernunt; Cumque in Aujutoribus studiorum Rotæ, stipendium, seu aliqua merx laboris, proveniat ab emolumentis decisionum, ultra stipendium quod à Prælato præstetur pro congrua subhastatione; Idcirco in Camera subrogatæ sunt propinæ,

Hinc

Hinc proinde, istis Prælati rectè congruere videntur ea, quæ (agendo de Sacris Congregationibus, ac etiam de utraque Signatura) insinuata sunt de Cardinalibus, & Referendis, quod scilicet valdè laboriosum præstant Curie servitium gratuitum, absque ulla mercede pecuniaria ratione huius administrationis, ac laboris.

Quamvis etenim ista officia Clericorum Camerae, sint valdè lucrosa, ob quædam emolumenta eis assignata, in plurium millium scutorum redditu singulis annis; Attamen iste est fructus pretii, quod solvitur, eodem modo quo contingit in aliis officiis vacabilibus ac venalibus, quæ nullum laborem studiorum, nullamque administrationem habent, dum sunt officia venalia, quorum valor prius erat scutorum triginta sex millium auri stanparum, nunc verò est scutorum 42. millium, pariter auri, dum omnium aliorum officiorum valor, adinstar omnium aliarum rerum, notabile augmentum recipit. *tit. de Regal. disc. 2.*

Jurisdicção autem huius Tribunalis, restricta est ad certum genus causarum fiscalium, in quibus scilicet, uterque fiscus ecclesiasticus, & temporalis Papæ, immediatum, vel mediatum habeat interestè, adeo ut, quamvis in quæstione sit apud DD. quibus nam antiquis Romanæ Reipublicæ officialibus vel magistratibus illi Clerici exæquandi sint; Nihilominus probabilis videtur, ut verè, & propriè exæquari mereantur antiquo officio Procuratoris Cæsaris, non autem Quæstoribus, ut alii opinantur, cum istorum partes munus potius gerere videantur, Thesaurarius Generalis, alique Collectores, & Thesaurarii generales provinciarum; Alii enim sunt Præfeti ararii, alii eiusdem ararii iudices; Et alii sunt Quæstiores; *de hoc agitur in Neapolitana præcedentia tit. de præmient. in supplemento.* Unde propterea principaliter est Tribunal potius sæculare, ratione scilicet fisci, & Camera principatus temporalis, quamvis admixtam habeat aliquam jurisdictionem ecclesiasticam, ratione spoliatorum clericorum, ac fructuum Ecclesiarum, & beneficiorum vacantium, aliorumque jurium spectantium ad fiscum ecclesiasticum Papæ, quorum cognitionem habent in priori instantia Camerarius, & Thesaurarius, qui extra Curiam sint Iudices appellationum, à Nuntiis, & à Collectoribus Apostolicis provinciarum, deindeque ab his appellatur ad Cameraam.

Antiquiori tempore, agebat omnes illas causas communitatum, quas nunc agunt, pro diversa qualitate negotiorum, duæ Congregationes, Consulta, & Boni Regiminis, per quarum erectionem, istud Tribunal, notabilem negotiorum diminutionem passum est; Adhuc tamen quandoque de causis communitatum cognoscit, dum in eis, præsertim ubi agitur de collectis, & gabellis, fiscus aliquod interestè habere dicitur. *tit. Regal. pluries.*

Major est istius Tribunalis potestas, & jurisdictione de tempore Sedis vacantis circa administrationem Palatii Apostolici, ac alia de quibus actum est supra, agendo de conclavi tempore Sedis vacantis, ac etiam agendo de Cardinali Camerario, sed in cognitione causarum silet eodem modo quo faciunt etiam Rota, & Signatura, & Iudices commissarii, *supra disc. 4. & 11.*

Noviter electi, in locum deficientium, nullas *Cord. de Luca. Relatio Curia Romana.*

servant solemnitates, nisi illam præstationem iuramenti, quam generaliter ex dispositione juris communis, atque ex omnium Christiani Orbis Tribunalium communi usu, facere debent noviter assumpti ad magistratus & officia, quibus Justitiæ administratio incumbat, *tit. de præmient. disc. 28.*

Ex hoc autem Tribunali, pro frequentiori usu, (qui rarum habet violationis exemplum,) assumi solent duo primarii Curie officiales in genere Prælatuæ, nempe Auditor Camerae, & Thesaurius generalis; Isteque clericatus reputatur munus valdè qualificatum, cardinalitiæ dignitati quoque proximum, quoniam in promotionibus, quas Pontifices faciunt, ex his duobus majoribus, & qualificatis Collegiis, seu Tribunalibus, Rotæ, & Camerae assumi solent personæ quæ Pontifici benemeritæ videantur, adeo ut, eodem modo, quo de Rota dictum est, istud quoque Tribunal, magnum sit seminarium Cardinalium, & Pontificum, dum (negligendo antiquas chronicas) atque loquendo solum de nostro decimo septimo sæculo currenti, intra minus spatium dimidii sæculi, ex hoc Tribunali prodierunt, duo nimium qualificati Pontifices, nempe Paulus V. & Urbanus VIII. magnusque Cardinalium numerus.

Huiusmodi autem officiorum venalitas, ignaro, vel maligno vulgo, obloquendi occasionem præbet, quod scilicet ad majores Ecclesiæ dignitates in Curia, ex titulo emptionis perveniatur; Verùm ignorantia, vel malignitatis effectus est, ut distinctè agendo de huiusmodi officiorum natura seu qualitate, agitur in fede Regalium, ubi videndum est, ne eorundem superflua repetitio fiat, *dicto disc. 2. de Regal.*

Quamplura quoque officia inter istos Clericos distribui solent singulis annis, licet eorum aliqua pro Papæ arbitrio immutari non soleant, ut sunt Præsidatus; Dohanarum; Riparum; Annonæ; Græciæ; Carcerum; Viarum; Zecchæ; Tulpharum, seu Aluminium; Terrarum, quæ dicuntur Arnolphæ; Et castri novi, & de quorum Præsidatum singulis distinctè inferius agitur.

Numerus causarum, quæ in hoc Tribunali disputari soleant, est varius, juxta rerum, ac temporum contingentias; Ubi etenim casus præbeat devolutiones feudorum, istæ multas, & quidem graves producere solent quæstiones, quæ in hoc Tribunali disputantur, ut præsertim docuerunt devolutiones Ducatum Ferrariæ, & Urbini; *titul. de feud. disc. 1. & 3. cum plur. seqq.* Idemque ubi temporum accidentia excitent in Appalitoribus prætensionibus defalchi, seu remissiones pensionis; Aut quod contingant bancheiorum, aliorumque mercatorum decoctiones, quæ producant concursum creditorum; His etenim casibus non contingentibus, cum istius Tribunalis jurisdictione limitata sit intra certum genus causarum, istæ raræ sunt, adeo ut frequentiores videantur illæ retractus coactivi, vel prælativi, vel ædificiorum, & servitutum inter vicinos ad præscriptum Constitutionis Gregorianæ super ornatu Urbis; *tit. de servitut. ad hanc materiam retractuum & servitutum pluries.* Et nihilominus etiam in hac materia non sunt hodie ita frequentes quæstiones, ut erant antea, cum ea clarior

effecta sit, ac etiam per duas instantias coram diversis iudicibus Camerarii & Præfidiis viarum prius tractari debeat, intra quas frequentius huiusmodi controversiæ finem habere solent.

34 Atque illum effectum huic Tribunali præjudiciale, quem in causis communitatum produxerunt præfata noviter erectæ Congregationes Consultæ, & boni regiminis, produxerunt etiam aliæ Congregationes montium, & Baronum circa concursus creditorum, ac venditiones castrorum, & bonorum, vel pertinentiam, & vincula locorum montium, de quibus, utpotè juribus cum Camera Apostolica ad istud Tribunal alias agere pertinebat.

Idemque à moderno tempore, à sequutum est in quæstionibus restauri vel remissionis pensionis inter Cameram, & Appaltatores vectigalium, & dohanarum, seu Thefaurariarum ob duas alias Congregationes, Unam scilicet, quæ dicitur Computorum, constitui solitam ex Thefaulario Generali, Advocato, & Commissario Cameræ, & aliis Clericis pro Pape arbitrio, una cum eiusdem Cameræ rationatoribus; Et alteram quæ dicitur Cameralis, ex præfatis Thefaulario, Advocato, & Commissario, & Rationatoribus constitutam, quoniam in istis congregationibus in forma extrajudiciali, ac more mercantili potius istæ quæstiones finem per viam concordiæ habere solent, adeo ut raro ad hoc Tribunal transcant decidendæ prout de jure.

35 Dicitæ verò quæstiones retractuum, vel adificiorum, & servitutum, primam habent instantiam in simul junctis Tribunalibus Camerarii, & Aedilium; Secundam coram Præfide viarum; Et ab isto in tertia ad Cameram, ideoque intra dictas duas instantias causæ frequentius finem obtinent.

37 Inter alias autem prærogativas, & utilitates, quas obtinent illi, qui sedent in Camera, ut supra, sive sint Clerici, sive alii officiales, qui sub nomine Cameralium appellantur, ea est notabilis, exemptionum, & franchitarum à gabellis, & dohanis, aliisque publicis oneribus, quoties in istorum impositione aliter non sit expresse cautum. Et quod magis est, præfertim Clerici, etiam post vacuum, per promotionem ad Cardinalatum, vel alias dimissum officium, easdem franchitias, & exemptiones retinent, quod est nimium considerabile.

38 Quæstione cadente in duobus Cameræ Rationatoribus, vel computistis principalibus, quoniam licet sint officiales camerales, non tamen sedent in Camera; Atque ex observantia pendere videtur decisio, de hoc agitur titul. de Regal. decis. 48.

39 Non habebant antiquiori tempore Clerici Cameræ locum in Cappella Pontificia, quem nunc habent, post eiusdem cappellæ reformationem sub Alexandro VII. cum eorum tamen displicentia, dum ita decisa fuit quæstio, quæ prius indecisa pendebat super præcedentia cum Auditoribus Rota.

55(0)50

DISCURSVS XXXIV.

De Auditore Cameræ, eiusque Locumtenentibus.

S V M M A R I V M.

- 1 DE origine seu introductione huius officialis.
- 2 Est Iudex omnium Prelatorum, ac etiam Cardinalium.
- 3 In Curia est Iudex in prima instantia, & habet cumulativam cum quibusdam aliis Magistratibus.
- 4 Sed privativè est exequutor obligationis in forma Cameræ, vel alterius pacti exequutivi.
- 5 Extra Curiam est Iudex appellationum generaliter in omnibus causis.
- 6 Sed non procedit in causis prima instantia.
- 7 Quas causas cognoscit etiam extra Curiam in prima instantia.
- 8 Est exequutor literarum Apostolicarum & quomodo.
- 9 Est etiam sententiarum exequutor, & quomodo.
- 10 Procedit exequutivè inter mercatores, & in omnibus casibus in quibus alter Iudex ita procedere potest.
- 11 Recipit appellationes interpositas ad Papam, omisso modo.
- 12 Quos recursus recipiat à Baronibus, & aliis etiam in prima instantia.
- 13 In quibus causis in Curia Auditor Cameræ se non ingerit.
- 14 Præfertim in causis beneficalibus, & quid in matrimonialibus.
- 15 In quibus causis spiritualibus se non ingerat.
- 16 Et quid in causis Regularium.
- 17 Ex quibus Tribunal constituatur.
- 18 Locumtenentes cum ipso Auditore constituunt unum Tribunal, & de effectibus.
- 19 Adhuc tamen unus inhibet alteri, vel ab eo reassumit.
- 20 Sed unus non revocat sententiam alterius.
- 21 Quid ubi recusantur suspecti.
- 22 Distinguntur Locumtenentes, ac etiam Auditor domesticus.
- 23 De Congregatione criminali, quam tenet qualibet hebdomada.
- 24 Habet Notarios & Barisellum cum familia armata.
- 25 De expeditionibus quæ subscribuntur in albo.
- 26 De monitoriis Auditoris Cameræ quid contineant.
- 27 De stylis, & facultatibus.
- 28 De stylo citandi in domo habitacionis, & quando debeant esse citationes personales.
- 29 An, & quando ad sit usus sportularum, seu propinarum.
- 30 Est officium venale, & de eius valore, & quando vacet.
- 31 Eius iurisdiclio durat vacante sede papali.
- 32 De censuris quæ ab hoc Tribunal relaxari solent.
- 33 De assiduis laboribus Locumtenentium, & Auditoris domesticæ, ac de modo audiendi causas.

De

DE huius Auditoris origine, siue introductione, jam habita est mentio supra, agendo de Cardinali Camerario, cuius iste officialis Auditor erat; *supra a disc. 11.* Improprium enim aliàs esset, quod appelleretur Auditor Camerae, quodque in Camera sedeat, dum in causis & negotiis cameralibus, nullam habet jurisdictionem, vel participationem; Antiquum autem est officium, dum de eo antiqui scriptores mentionem faciunt. *Geminian. consil. 149. Egid. Bellamer. decis. 196. 210. 305. & 508.*

Magna itaque est huius officialis auctoritas, ac jurisdictione, adeo ut primus Curiae Prælatus censetur, omnesque etiam Patriarchas præcedat, præter illum Prælatum, qui est Gubernator Urbis, ex ea prærogativa, quod ille est Vicecamerarius; Siquidem hic Auditor est Judex competens, & ordinarius omnium Prælatorum, etiam eorum qui Patriarchali, Archiepiscopali dignitate præfulgeant, illis exceptis, qui ex privilegiis exemptionem habeant, atque particularibus subsint Magistratibus, vel Judicibus; Ut ex. gr. sunt Prælati Camerales, Palatini; Immo etiam est Judex competens in causis Cardinalium, ut alibi in jurisdictionali materia advertitur. *tit. de jurisdic. disc. 80.*

In Curia itaque, atque in eius ambitu intra duas dietas, est Judex primæ instantiæ in omnibus utriusque fore ecclesiastici, & sæcularis causis, tam civilibus quam criminalibus, exceptis aliquibus, de quibus infra, adeo ut cumulativam habeat cum Gubernatore, vel cum Vicario, aliisque Judicibus ordinariis, inter quos propterea locus est præventioni.

In causis autem super executione obligationis Cameralis, ipse habet privativam quoad omnes ipseque est in Urbe unicus huius obligationis exequutor, quando partium consensus, vel aliquod particulare privilegium aliter non suadeat; *decis. 156. & 75 post Zach. de obl. cam. Buratt. dec. 462. & 537.* Ut etiam est Judex privativè ubi agatur de executione pactorum executivorum, in eadem Urbe. *Buratt. dicta dec. 537. & 837.*

Extra Curiam verò, est Judex ordinarius appellationis in quibuscumque causis ecclesiasticis, & prophanis, sine utriusque principatus pontificii, & temporalis, à quibuscumque Judicibus, & Magistratibus, pro regula generali; Aliquibus casibus exceptis, in quibus jurisdictionem non habet; *dec. 36, in prim. par. 10. rec.* Ideoque in causis extra Curiam, in prima instantia dicitur Judex incompetens, atque nulliter procedit, nisi partium consensus hunc defectum sanet; *decis. 49. & 54. apud Posth. de substat. dec. 150. par. 4. rec. tom. 2. dec. 181. par. 10. & pluries.*

Et nihilominus, adhuc aliqui habentur casus, in quibus, etiam in prima instantia, extra Curiam procedit; Puta in illis causis civilibus, in quibus Ordinarii locorum, vel non possunt esse Judices, vel sunt recusabiles, quia nempe agatur de interesse proprio, vel de illo mente Episcopalis, vel prælativæ, cum tunc passim causæ agantur in prima instantia in hoc Tribunali; Sive etiam in causis criminalibus ipsorummet Episcoporum, vel Ordinariorum.

Ac etiam in causis executionis literarum Apostolicarum, quarum ipse est exequutor generalis, quamvis etiam in literis aliis certis, & speciales exequutores deputati essent, quoties nullus eorum

Card. de Luca. Relatio Curia Romana.

manus apposuit; Et præsertim, si juxta frequentiore praxim, exequutor est illarum literarum in forma brevis, quæ dicuntur de capienda possessione nomine Camerae; Aut illarum, quæ expediuntur super pensionibus ecclesiasticis.

Quamvis enim, ubi non sit in ipsis literis deputatus exequutor, (ut pro frequentiori stylo deputari solet) adeo ut in hoc se ingerat in vim suarum facultatum generalium, retroactis temporibus, de hoc dubitaretur, quasi quod ista exequutoria generalis, restricta esset intra duas dietas, extra verò requiretetur commissio specialis; Atamen, ex facultatum ampliacione concessa per Gregor. XIV. & Clem. VIII. & declaratione Urbani VIII ista dubietas sublata videtur. *Buratt. dec. 909, Coccin. dec. 169. Volaterana Canonicatus 27. Aprilis 1654. coram Albergato, Rojas dec. 315. licet varia sit opinio & praxis signaturæ.*

Prout etiam est exequutor omnium sententiarum, & rerum judicarum aliorum Judicum, & Magistratum status ecclesiastici, non autem aliorum extra; *Coccin. dec. 776, in principio.* Et generaliter est exequutor omnium illarum obligationum, vel conventionum, quæ ex statutis & styli particularibus, in partium seu contrahentium locis processum executivum habeant, dum ipse procedit executivè in omnibus illis casibus in quibus alter Judex procedere potest in Urbe non autem extra; *Dunozett. decis. 405. add. ad Buratt. decis. 462.* Prout executivè procedit in causis mercatorum Urbis, dummodo inter mercatores hinc inde, adeo ut unus eorum non sufficiat, si altera Pars sit diversi status; *Gratian. discept. 569. dec. 170. post Zach. de obl. cam. dec. 120. par. 5. rec. & sepius.*

Appellatur quoque ad eum ab Ordinariis, omisso medio, eo modo quoad ipsum Papam, qui per se ipsum, vel per organum Signaturæ Justitiæ causas delegat Rotæ vel singulis Prælatis, dum in hac parte dicitur eiusdem Papæ Judex ordinarius appellationum & recursum; Unde propterea derivavit aliquorum opinio, quod hic esset Auditor Papæ, qualis spectato effectu ita esse dicitur.

Quinimmo respectu Judicum ordinariorum temporalium, & præsertim Baronum, ac domicellorum, recipit recursus eorum, qui præsertim in criminalibus coram eo se præsentent; Atque ex inde inferri prætenditur quoque ad subditos Episcoporum, aliorumque Ordinariorum ecclesiasticorum, quod tamen non videtur probabilem substantiam habere, *inul. de jurisdiction. discurs. 53.*

Causas autem, in quibus hæc ampla, & generalis eius jurisdictione coarctata est plures sunt; Primum nempe, ubi agatur de causis cameralibus utriusque fisci, pontificii, & temporalis, quæ in prima instantia pertinent ad Thesaurarium, vel ad Camerarium, & in secunda ad Cameram, aut respectivè ad præfatos Thesaurarium, & Camerarium à sententiis Collectorum, deindeque in tertia ad Cameram.

Secundo in illis causis, quæ camérales, saltem improprie dici possunt, ob demandatam earum cognitionem aliquibus Præsidibus, & Magistratibus, qui Camerae subordinati sunt, atque ad eam appellerentur, ut sunt Præsides, annonæ, gra-

Mm 3 sciz

sciz, dohanarum, riparum, viarum, & zecchæ; Ac etiam causæ retractum seu ædificiorum Urbis ad præscriptum Constitutioni Gregorii decimi tertii, cum similibus.

Tertio in illis causis, quæ habeant Iudices particulares, privativè ad omnes alios; Ut (ex. gr.) sunt in Curia tres Basilicæ patriarchales, & tot alia Ecclesiæ, vel loca pia, quæ habeant Protectores, cum plena jurisdictione ut infra; Ac etiam in illis causis, in quibus Cardinalis Vicarius, vel Gubernator Urbis, aut Senator, ex Constitutionibus, vel decretis Apostolicis, habeant privativam, tanquam per limitationem regulæ generalis, per quam intra Urbem, & districtum datur inter hæc Tribunalia cumulativa, cum eadem præventionē.

14 Quinto in causis beneficalibus, in quibus reputatur omnino incompetens, atque nulliter procedit; Quoties tamen dici merentur verè causæ beneficales, quales dicuntur illæ, in quibus questio sit de titulo, ac pertinentia beneficii, inter plures provisos; Secus autem si inter patronos de jure præsentandi, vel inter collatores de jure conferendi, quamvis illis qui ab eis præsentati, vel respectivè provisus fuerint, accessorie pro eorum interesse sint in causa. *Cocin. decis. 169. Gregor. & ad. decis. 118. Bich. decis. 312. repetit. decis. 99. par. 10. rec. & sapius.*

Sexto, juxta opinionem, cum qua per Signaturam procedi videtur, ubi agatur de causis matrimonialibus, quales propriè dicuntur illæ, in quibus agatur de fœdere matrimonii; Quinimodò praxis docet, quod ubi etiam agatur de separatione thori, in Urbe istam cognitionem privativè habet Vicarius, extra verò, causæ committi solent in Rota.

Septimo illativè ubi agitur de causis merè spiritalibus & ecclesiasticis, in quibus; Ubi agatur de negotiis Urbis vel districtus, pariter privativam habet Vicarius, Ubi verò extra, pertinent solum ad aliquas Sacras Congregationes; Puta in causis Fidei, sive in illis Rituum ecclesiasticorum, vel ecclesiasticæ Immunitatis localis, ad præscriptum Constitutionis Gregorii decimi quarti, quoniam in his causis se non ingerit Auditor Cameræ, qui tamen in gradu appellationis extra Curiam cognoscere solet in causis Immunitatis realis, vel personalis.

16 Et demum, juxta modernas declarationes, sub Innocentio X. non se ingerit in illis causis privatis, vel singularibus, Regularium, quas non congruit tractari, & audiri in Tribunalibus contentiosis, sed agi debent infra ipsam Religionem in forma summaria, ut inter Regulares decet, atque non exeunt Religionem, nisi apud Protectorem, vel apud S. Congregationem Regularium. *Fagnan. in cap. de priore a num. 15. de appell. & habetur sub tit. de Regular. disc. 22.*

17 Constitutum est illud Tribunal, ex ipso Auditore, tanquam eius capite, & ex tribus Locumtenentibus; duobus scilicet civilibus, & uno criminali, qui gerere videntur eam figuram, quam gerit Vicarius Episcopi, dum constituunt unum, & idem Tribunal; Adeo ut inter eos detur quidem distributio causarum, quod scilicet, Judex criminalis non se ingerit in causis civilibus, & è converso Iudices civiles non se ingerunt in criminalibus; 18 unde propterea unus alteri inibet, *de hac inibitione iudicis civilis, iudici criminali in hoc eodem Tribu-*

20 *nali tit. de jurisdic. disc. 79.* seu unus ab altero causas reassumit; In effectu verò est unum & idem Tribunal, unde propterea unus non revocat, neque circumferibit sententiam diffinitivam alterius, per quam in ea causa consumpta dicitur jurisdictionio huius Tribunalis.

21 Quando verò aliquis ex Locumtenentibus, vel ipsemet Auditor Cameræ allegetur suspectus; Stante Curia stylo alibi insinuat, *tit. de judic. disc. 3.* ut etiam Iudices ordinarii sine allegatione, ac probatione causæ allegetur suspecti, re integra, & antequam legitimè consensum sit in jurisdictionem; Et tunc ipsemet Auditor, alium Iudicem particularem illius causæ deputare solet; Unde propterea, multas huius Tribunalis causas, in prima, vel respectivè in secunda, aut ulteriori instantia, civiles tamen, tam ecclesiasticas, quam sæculares agunt, & cognoscunt Prælati utriusque Signaturæ Referendarii, qui in his, & in aliquibus causis commissariis, se occupant, ultra functiones, quas agunt in utraque Signatura gratiæ, & iustitiæ, & eorum aliqui in aliquibus Congregationibus ut supra; Et quando Auditor Cameræ renuat admittere reculationem taliumque deputare, ut etiam in reculationibus Notariorum sequere solet, tunc habetur recursus ad Præfatum Signaturæ iustitiæ, ved ad ipsam plenam Signaturam, ut id decidat.

22 Ex præfatis autem tribus Locumtenentibus, (qui licet sint tanquam Vicarii Auditoris, non tamen ab ipso, sed à Papa directè, & immediatè eliguntur) Duo sunt Prælati habentes cognitionem causarum civilium utriusque fori ecclesiastici & sæcularis; Tertius autem est simplex togatus, atque habet cognitionem causarum criminalium, ideoque Locumtenens criminalis appellatur; Et ultra dictos duos Locumtenentes pro causis civilibus easque causas cognoscit quoque per se ipsam; Verùm ab aliquo tempore, ista cognitio haberi consuevit per eius privatum aulicum, seu domesticum Auditorem, coram quo causæ disputantur in contradictorio, ac etiam tenentur audientia, & sunt decreta interloquutoria nomine ipsius Auditoris Cameræ, ac etiam mandata, aliasque expeditiones per se ipsum subscribit. Adeo ut iste Auditor, quasdam partes adjutoris, sive assessoris potius gerere videatur.

23 Pro cognitione causarum criminalium, in hoc Tribunali habetur idem stylus, qui supra insinuat, est in Tribunali Cardinalis Vicarii, quod scilicet qualibet feria secunda, in eius domo, (ipso præsidente) habetur Congregatio, in qua interveniunt dictus Locumtenens criminalis, ac etiam aliqui eius substituti, præfatusque eius Auditor domesticus (quod tamen non est uniforme) necnon Advocatus Cameræ, & fisci, ac etiam Procuratos generalis eiusdem Fiscus, qui fiscalis Urbis per antonomasiam appellatur, dum isti duo sunt unici & generales in omnibus Tribunalibus Urbis, excepto foro Capitolino.

24 Habet item decem Notarios, quorum officium est venale & vacabile, notabilis valoris, scutorum circiter quindecim mille magis, & minus, juxta cuiuslibet officii, majorem, vel minorem existimationem, seu aviammentum, & copiam scripturarum, eorumque singuli retinent substitutos & juvenes, ut infra agendo de Notariis in genere advertitur; Ac etiam habet familiam armatam cum suo Duce seu Barifello distincto ab illo Gubernatoris.

25 Ex hujus autem Tribunalis stylo, magna fides in his Notariis eorumque substitutis habetur, quod scilicet tam ipse Auditor, quam ejus Locumtenentes civiles, plures subscribunt chartas, seu papyros in albo, in quibus postmodum Notarii, juxta negotiorum contingentiam, in quacumque hora, absque necessitate adeundi judicem, concedunt inhibitiones, & monitoria, ac etiam mandata executiva, cum quandoque ita promptè occurrere oporteat.

26 Cumque inhibitiones, & monitoria extra Curiam, magis verò extra Statum ecclesiasticum, expediuntur in charta decorio seu pergamenæ; Hinc apud ignarum vulgus, reputari solent Brevia Apostolica; Istamque simplicitatem confovere solent aliqui Tabulæ forenses, ita extorquendo à correspondentibus ignaris illas summas, quæ etiam debent in expeditionibus Brevium, cum tamen eorum impensa non importet nisi unum scutum monetæ.

Ac ulterius, cum hujusmodi monitoria dirigi soleant omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Legatis, Nunciis, aliisque Prelatis, & officialibus sive personis in ecclesiastica dignitate constitutis; Hinc aliam simplicitatem, & quandoque militiam praxis docet quod scilicet in partibus aliquæ personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, vel aliquod ecclesiasticum officium habentes ita se credendo Apostolicos iudices & delegatos, tanquam tales; pro observantia eorum, quæ in ipsis monitoriis continentur, formalem causarum cognitionem assumunt, atque ad personalem, ac realem executionem procedunt, quin immo etiam ad excommunicationem, aliasque censuras, absque imaginari fundamento; cum hujusmodi monitoria, aliud non contingant, nisi simplicem citationem seu monitionem, unde propterea adversus inobedientes seu contravenientes, alter non procedit nisi idem Judex, qui monitorium concessit, prævia eius reproductione, aliisque servatis de jure servandis, quatenus non comparentibus illis, qui moniti sunt, procedendum sit in contumaciam; Istæque est unus de consuetis erroribus, qui committuntur in partibus, atque exinde frequenter gravia resultant inconvenientia, præter intentionem Tribunalis, dum in effectu ista monitoria, aliud non continent, nisi simplicem citationem. *Gregor. decis. 305. Buratt. decisione 109. Duran. decisione 146. & passim.*

27 Plerosque stylos particulares habet hoc Tribunal, deviantes à rigorosis regulis juris, ob ejus amplas facultates concessas rationabiliter quidem, pro magis summario, ac celeri processu, in causis præsertim executivis, sive in concernentibus commercium, ejusque facilitatem, nec non circa purgationem attentatorum ac alia, de quibus incidenter in toto progressu materiæ Judiciorum, ac etiam apud eos qui de hujus Tribunalis praxi, ac styliis particulariter agere professi sunt *Salust. Tyber. & Ridolphin. in praxi.*

28 Præsertim verò hujus Tribunalis stylus est admittendi citationes domi dimissa copia, præterquam ubi de illa prima citatione agatur, in qua fundetur totus processus contumacialis, qui in

Curia per contradiclas dicitur, ut in sede Judiciorum, in citationum rubrica advertitur; *tit. de Judicis discursu 9.* Questione cadente an quando hic Auditor, vel aliquis ex ejus Locumtenentibus procedat in vim alicujus commissionis Papæ, adhibere valet eundem stylum, vel potius teneatur servare alterum, quem servant Rota & omnes Judices commissarii non admittendi nisi citationes personales *apud Reuting. dec. 226. in fin. & dec. 247. in principio.*

In hoc Tribunali, non habetur usus, vel abusus sportularium, seu propinarum; etiam ubi agatur de sententiis diffinitivis; Adhuc tamen idem abusus, ab eo non omnino exulat, quoniam in plerisque casibus etiam practicatur, quando scilicet dici valeat, quod Judex procedat tanquam commissarius seu delegatus Apostolicus, potius quam tanquam Ordinarius; Ut præsertim contingit, quando procedat tanquam executor literarum Apostolicarum, & sic ubi agitur de capienda possessione nomine Camera, sive aliis Brevibus, vel literis Apostolicis, ut pro frequentiori praxi sequitur in illis pensionum ecclesiasticarum.

Idem etiam servatur in illis causis, in quibus Pontifex, per eius commissionem mandet cognitionem ipsi Auditori, cum ejus duobus Locumtenentibus civilibus, adeo ut tres propinas eorum singulis solvere oporteat (quod etiam abusus redolet) ac propterea ad hunc effectum, etiam in causis singularibus, cadere solent questiones, an & quando per rescriptum Papæ directum Judici ordinario, iste efficiatur delegatus, *tit. de Judicis d. 3.*

30 Istud officium est venale, quod magnum habet valorem scutorum quinquaginta sex mille auri stamparum, ratione emolumentorum, ut alibi agendo de hujusmodi officiis venalibus Curie advertitur; Illudque est vacabile per mortem naturalem, vel per promotionem ad Cardinalatum, cui nimum proximus reputatur, atque ad illud assumi solet, unus ex Clericis Camera, ut in sede Regalium, magis distinctè habetur, *tit. de Regal. d. 2.*

Præfatis autem Locumtenentibus datur stipendium mensuorum scutorum quinquaginta ex emolumentis Notariorum, ultra ea emolumenta, quæ proveniunt à propinis extraordinariis, ut supra.

31 Cum autem sit Judex ordinarius, idcirco ejus jurisdictio, durat etiam sede Papali vacante, in qua cessat jurisdictio omnium aliorum tribunalium, & præsertim Rotæ & Judicium commissariorum, ac etiam quiescunt Tribunaia Signaturæ Justitiæ, & Camera. *decisione 364. post Zacch. de obl. cam.*

32 Apud antiquiores liquet, quod majus istius officialis munus versaretur in prolatione censurarum adversus eos, qui Apostolicis mandatis non obedirent, seu debita non solverent, aliaque adimplenda non implerent; *Vest. & add. l. 2. cap. 4.* sed quoniam de hac materia censurarum, seu declaratoriarum, in Judiciorum sede agitur, *tit. de Judicis disc. 40.* Idcirco ne idem pluries repetatur, ibi de his videri poterit.

Pene autem incredibilis, peneque intolerabilis videtur continuus labor hujusmodi Locumtenentium

nentium civilium, ac etiam dicti Auditoris domestici, qui partes unius ex Locumtenentibus quoque expleat videtur, dum singulis diebus non feriatis in honorem Dei, absque intermissione, atque sine praxi feriarum a litarum, sive aliarum legalium, in contradictorio Advocatorum & Procuratorum partium, cum bene regulato ordine litarum, ut quilibet sciat suum locum, tam de mane, quam de sero, audit causas duorum ex Notariis Tribunalis, juxta statutas dies inter eos distributas, in magno numero, ad eundem casus quandoque praebeat, ut una die discutiantur quinquaginta, & ultra causas, inter quas plures graviores esse solent; Itaque in informatione expleta, ab eorum singulis, cum majori labore, majorisque applicationis necessitate; tenetur audientia citationum, omnium Notariorum Tribunalis cum contradictoriis Procuratorum, vel sollicitatorum, eorumque magno strepitu, unde quandoque, casus praebeat, ut in una audientia, supra tercentum & quatuorcentum citationes legantur, super quibus est interloquendum, ad eundem videatur opus penè impossibile humanis viribus; Atque in feria quinta, in qua iste labor cessat, dum neque informationes neque audientia habentur, Locumtenentes majorem laborem, majusque fastidium subire coguntur, dum interveniunt in plena Signatura iustitiae, reddunt rationem, de eorum decretis, & provisionibus, à quibus succumbentes appellent, vel recurrant, ita pariendam quendam continuum sindicatum; Atque ex his provenit recta, & celer iustitiae administratio, & causarum expeditio, quae ad proportionem magnarum Civitatum, magnorumque Tribunalium, est magna.

publicus, ac probatus campfor, qui Camerae depositarius nuncupatur, utpote retinens in ejus banco pecunias Camerae, seu fisci, depositas, & conservatas, ad Papae, et usque officialium dispositionem. Isteque depositarius, idem Thesaurarii nomen quoque sortitur, cum adjecto secreti, ad differentiationem hujus Thesaurarii, qui generalis appellatur, utpote Judex & superior omnium aliorum, qui eandem nuncupationem habent, etiam per provincias, in quibus, & praesertim in illis, Marchiae, Emiliae, Umbriae, & patrimonii, & in aliis, illi qui, sive sub titulo appaltus, sive sub altero administrationis, redditus, ac proventus colligunt, idem Thesaurariorum vocabulum sortiuntur, cum subordinatione tamen huic officiali, qui propterea generalis dicitur; Eiusque munus hodie potius juris & intellectus, quam facti est, cum sit Judex, ac director omnium reddituum, ac proventuum, & emolumentorum Papae, et usque fisci Pontificii, & temporalis, adeo, ad instar Auditoris Camerae, mixtam, seu utramque habeat jurisdictionem ecclesiasticam, & laicalem, dum etiam Apostolici collectores spoliatorum & fructuum, Ecclesiarum seu beneficiorum vacantium, aliorumque jurium, pertinentium ad fiscum merè ecclesiasticum seu pontificium in omnibus Catholici Urbis partibus, in quibus Collectores adsunt, eodem in hac parte subordinati sunt, estque illorum Judex appellationis, vel recursus, in iis tamen causis, & negotiis, quae inter esse Camerae seu fisci percutiant; Eius autem facultates ac jurisdictionem nimiam amplitudinem receperunt sub Sixto V. *Const. 100. Sixti V.* ideoque non mirum, si antiquiores practici, earum notitiam non habuerunt.

In Statu itaque ecclesiastico immediato, est collector generalis spoliatorum, ac fructuum ecclesiarum, & beneficiorum vacantium, aliorumque proventuum, & emolumentorum camerariorum; unde propterea ipse deputat sub collectores in singulis dioecesebus; Ac etiam est Judex ordinarius primae instantiae omnium causarum, in quibus Camera, sive uterque fiscus ecclesiasticus, & temporalis, interesse habeat, tam immediatum, ac directum, quam etiam indirectum, ac mediatum, dum ista praeter ceteris est fisci prerogativa, ut sive sit actor sive reus, sive eius interesse sit directum, ac immediatum, sive mediatum, ac indirectum, omnia trahit ad eius forum, seu Judicem, qualis est iste officialis in prima instantia, in qua cumulativam quoque habeat jurisdictionem Camerarius, qui eam exercet per Auditorem, per quem aliqua parva reliqua antiqui magni hujus Tribunalis Camerarii exercentur, cum praeventione inter eos, eo modo, quo generaliter contingit inter eos, Judices, & Magistratus, qui in eodem loco, cumulativam habeant jurisdictionem; De facto tamen, major est causarum cognitio, quae fiat ab isto officiali, ejusque Tribunali, praesertim ubi de directos ac immediato inter esse Camerae agatur.

Non solum autem hanc administrationem forensis, seu judicariam habet, in qua dictam cumulativam habet quoque Auditor Camerarii, atque utriusque est Judex appellationis, & recursus Tribunalis Camerae, ut in ejus rubrica superius advertitur, *supra disc. 33.* Sed etiam economicam, ac omnimodam habet primariam administrationem, & curam, quoniam ipse (ut in antiqua-

DISCURSUS XXX.V

De Thesaurario Generali, ejusque Tribunal.

S V M M A R I V M.

- 1 De origine, & munere hujus officialis.
- 2 De eius facultatibus, & jurisdictione in statu ecclesiastico.
- 3 Habet curam, & administrationem locorum montium, & de Congregationibus, quibus praesidet.
- 4 De Auditore Thesaurarii.
- 5 De jurisdictione, & facultatibus extra Statum.
- 6 De usu sportularum seu propinarum.
- 7 Est officium venale, & quibus honoribus potitur.
- 8 De eius vacatione, ac etiam de existimatione, & prerogativis.
- 9 Procedit regulariter cum processu executivo, & summario.

In eodem discursu, qui in praecedenti enunciat, agendo de Cardinali Camerario, *supra disc. 11.* enunciat est iste officialis, qui antiquiori tempore, facti potius, quam juris minister erat, id est custos ararii *Vestri. in praxi. l. 2. cap. 3.* illam gerendo figuram, quam hodie facit in urbe ille

tum est) deputat subcollectores Apostolicos spoli-
 orum, aliorumque jurium fisci ecclesiastici in di-
 tione temporalis ecclesiæ, Ac etiam in eadē deputat
 fori. Thesaurarios, aliosque ministros & offi-
 ciales fisci temporalis, quando, nullo sequito
 appaltu, nomine Cameræ administrationem con-
 tingat sive ipse ex commissione Papæ, eiusque
 vice, concedit appaltus, omniaque alia gerit,
 quæ Cameræ Apostolicæ administrationem concernant,
 etiam ubi de novis gabellarum impositionibus
 sive de jam impostarum suppressionibus, vel
 extinctionibus agatur sive de novis Montium
 erectionibus vel de illorum extinctionibus,
 ad eum in hoc principatu, Procuratoris fisci,
 seu Quaestoris generalis, figuram gerat.

3 Eadem quoque commissa est, cura, & protectio,
 ac administratio Montium, unde propterea ubi
 agatur de novis erectionibus Montium cameralium,
 ac etiam Baronialium, vel Communitatum, sive
 de eorundem, jam erectorum, commercio, & contractatione
 inter privatos, per resignationem, vel per
 attergationem, sive per translationem de una
 persona in aliam, *de his locis montium agitur
 titulo de Regal. à discursu 23. ad 42.* omnia
 fiunt per ejus organum & cum eius auctoritate,
 ipseque desuper concedit literas patentes; Ac
 propterea dicitur caput illius Congregationis,
 quæ Montium appellatur; Ac etiam alterius quæ
 dicitur Computorum, in qua redduntur ac
 discutuntur computa, seu rationes Appaltatorum,
 aliorumque officialium, & administratorum
 Cameralium; Et est etiam caput, & Juxta
 Congregationis Baronum, ut supra de hujusmodi
 Congregationibus agendo habetur. *supra disc. 28.*

Et ultra præmissas Congregationes, quibus
 præsidet, aliam qualibet hebdomada propria
 domini habet, constitutam (ipso Præsidente) ex
 Advocato, & Commissario Cameræ, & ex duobus
 majoribus Ratiocinatoribus, qui Computis
 appellantur; Ac etiam pro negotiorum qualitate,
 cum interventu aliorum inferiorum ministrorum.
 Ut (exempli gratia) sunt Sollicitator Cameræ,
 Et substitutus Commissarii, & quandoque
 etiam ipsius Thesaurarii Auditor, tractando
 in ista Congregatione negotia currentia, ad eum
 dicitur quædam Congregatio ordinaria, seu
 præparatoria illius magis generalis Congregationis;
 quæ Computorum dicitur, juxta illam proportionem
 seu distinctionem duplicis Congregationis,
 quæ habetur supra agendo de Congregatione
 Fabricæ S. Petri.

In iis autem, quæ concernunt forum contentio-
 sum ac determinationem causarum in forma
 4 judiciali, Regit hoc Tribunal, partem per se
 ipsum, sed pro majori parte per ejus Auditorem,
 qui speciem Vicarii generalis Episcopi habere
 videtur, sive Locumtenentis, eo modo quo
 discursu precedenti de Locumtenentibus civilibus
 Auditoris Cameræ dictum est; Cum majori tamen
 dependentia; dum ipsemet Thesaurarius, pro
 ejus libito, atque ad ejus nutum, hunc deputat
 Auditorem, eo modo quo facit Auditor Cameræ
 de Auditore privato seu domestico,

5 Extrà verò Statum ecclesiasticum immediatum,
 est Juxta secundæ instantiæ, appellati-
 onis, & recursum, à Collectoribus generalibus,
 aliisque

Apostolicis Commissariis spoli-
 orum aliorumque jurium fisci pontificii, in
 iis tamen, quæ concernant jura fiscalia ut
 supra; Et sic est Juxta appellati-
 onis à Nunciis, Hispaniarum, Portugallia,
 Neapolis, Florentia, Taurini, & aliis, si
 qui sunt, in iis quæ ad collectoriam
 pertinent, unde propterea in hoc genere
 causarum, Tribunal Cameræ remanet
 Juxta tertiam instantiam, ab ipso scilicet
 Thesaurario, qui est Juxta secunda.

Habetur in hoc Tribunali (fortè magis
 quam in quocumque alio) ille sportularum
 seu propinarum, usus, vel abusus, de quo
 in judicio sede magis actum est
 titulo de iudiciis discursu 39. Ibi
 insinuat quod nulla dignosci videtur
 probabilis differentia ratio, cur Auditor
 Cameræ, qui eodem titulo oneroso,
 officium habet, majori causarum, ac
 negotiorum mole præsit, quatuor
 Locumtenentes seu Auditores habeat,
 ab ipso stipendiatos, absque ullo
 usu sportularum, & non debeat
 idem præstari in hoc Tribunali, & in
 altero Camerati, in quibus etiam
 magis damnabilis habetur usus
 participationis pœnarum seu in-
 cœmerationum, ob ibidem insinuata
 inconvenientia.

Pari passu istud officium ambulat cum
 præmissis Auditoris Cameræ, quod
 scilicet est etiam venale ejusdem
 valoris scutorum quinquaginta sex
 7 millium auri stamparum, ista
 executione moderno tempore
 introducta sub Alexandro VII. dum
 prius pretium illius officii erat
 scutorum sexaginta millium
 monetæ; Atque pariter, pro
 frequentiori praxi, (quæ tamen
 in hoc sæculo, sub brevissimo
 pontificatu Leonis undecimi
 habetur interrupta) ut ad illud
 assumatur unus ex Clericis
 Cameræ; Eisdemque honoribus
 ac prerogativis iste officialis
 potitur, sicuti Auditor, ad eum
 in omnibus functionibus, secundum
 seu mediatum occupet locum,
 etiam supra Patriarchas, & Archie-
 piscopos; Istique officiales
 majores habent à Cardinalibus
 & ab Oratoribus Principum,
 aliisque Magnatibus honorificos
 tractatus, qui non conceduntur
 Patriarchis, & magnis Archie-
 piscopis actualibus; Ac etiam
 exempti sunt, ab illa dura,
 nimiumque incommoda servitute
 obsequii, vulgò *co rteggio*
 Cardinalium, Oratorum
 Principum, quibus generaliter
 alii Prælati subjacent, excepto
 Governatore Urbis, qui majori
 potitur exemptione, dum isti
 duo, licet sint majores, ac
 primarii Curie officiales, tamen
 hoc obsequium præstant illi
 Cardinali, qui est primus, ac
 fiduciarius Papæ minister, cui
 Cardinalis nepotis nuncupatio
 congruit, de quo superius quoque
 actum est *supra disc. 6.*

8 Est pariter officium vacabile, per mortem
 naturalem, vel per promotionem ad
 Cardinalatum, cuius dignitati iste
 gradus nimium proximus
 reputari solet, eodem modo quo
 de dicto alio officio Auditoris
 Cameræ insinuatum est; Atque
 ob hanc majorem administrationem
 negotiorum cameralium, & ab
 eis dependentium, unde propterea
 frequentius magisque fiducialiter
 tractat cum Papa, dictoque
 eius primo ministro, de facto est
 officium majoris existimationis,
 quam alterum Auditoris; Ille
 siquidem habet audientiam
 Papæ, dictique Cardinalis
 primi, ministri semel in
 hebdomada, iste verò bis, statutis
 diebus, mercurii, & sabathi,
 ac etiam frequenter extraordi-
 nariam, juxta negotiorum
 contingentiam.

Ex amplis facultatibus, quæ sibi per
 enunciam

tam Sixti V. Constitutionem attributa sunt dicta
 Conf. 100. Sixti V. procedit etiam cum processu
 33 summario, & executivo, adeo ut eius sententia &
 decreta; suspensivam appellationem non admit-
 tant ac propterea quando ab eis appellatur ad
 Tribunal Camerae, ab isto regulariter committi so-
 let appellatio ad solum devolutivum cum clausula
servata forma. Quoties nullitatis, vel injustitiae ra-
 tio; aliter non suadeat, ut agendo de dicto Tribu-
 nali Camerae advertitur.

D I S C. XXXVI.

De Governatore Urbis, eiusque Tri-
 bunali.

S U M M A R I U M.

- 1 **D**e origine huius officii remissive, & de eius prero-
 gativa.
- 2 Est Magistratus secularis, & quam iurisdic-
 tionem habeat cum Clericis, & ecclesiasti-
 cis.
- 3 De audientia quam habet à Papa.
- 4 De modo cum quo incedit per Urbem.
- 5 De eius Locumtenente civili.
- 6 In quo propriè versetur manus Gubernatoris.
- 7 Magis invigilandum est ne delicta committantur,
 quam ut commissæ puniantur.
- 8 De Locumtenentibus criminalibus, & aliis mini-
 stris.
- 9 De Congregatione quam tenet, qui interveniant,
 & quid in ea agatur.
- 10 Quas partes soleat in his gerere Papa.
- 11 Laudatur rigor, & de rationibus.
- 12 Quare in Urbe & Statu Ecclesiastico iustitia
 bene administratur præsertim in criminali-
 bus.
- 13 De eadem commendatione rigoris, & aliquarum
 exorbitantiarum, quæ referuntur in ista materia
 criminali.
- 14 Quare de stylis, & de aliis ad hanc materiam spe-
 ctantibus non agatur.
- 15 Quod pro maiori parte procedatur cum hanni-
 mentis.
- 16 De visitatione carcerum quam facit Guberna-
 tor.
- 17 De eius iurisdictione contra districtum, & que
 agat.
- 18 Commendatur usus exploratorum.

In eadem insinuata Rubrica Cardinalis Came-
 rarii, de isto quoque officiali, eiusque origine,
 mentio habita est; Inter omnes etenim Curie
 officiales, & Prælatos, post Cardinales, ipse pri-
 mum occupat locum, ob enunciatam figuram
 Vicecamerarii, undè propterea in publicis ac so-
 lemnibus functionibus Papæ, præcedit etiã Re-
 gum, & Principum Oratores, ac Pontificis nepo-
 tes, aliosque Magnates qui Solii prærogativa po-
 tiuntur.

2 Est autem istud officium manuale, ad Pon-
 tificis nutum amovibile, eiusque munus consistit
 in seculari gubernio Urbis, undè propterea dici-
 tur magistratus secularis, qui iurisdictionem non

habet cum clericis, aliisque personis ecclesiasticis,
 juxta eius ordinaria facultates; Bene verum quod
 per breve speciale, jure cuiusdam extraordinarie
 delegationis; aliquæ facultates etiam cum cleri-
 cis & ecclesiasticis ei communicari solent; Idque
 omnino incongruum non est, dum istud officium
 semper residet in qualificato Prælato, qui prop-
 terea est persona ecclesiastica; Ac etiam quia, ubi
 de gravibus negotiis agatur, omnia operatur, cum
 scientia, & participatione Papæ, cujus audientiam
 ordinariam fixam supra omnes alios officiales ha-
 bet singulis diebus mercurii, & sabbathi cuiusli-
 bet hebdomadæ; ultra extraordinariam, juxta
 negotiorum contingentiam, pro qua, singulis die-
 bus, ac horis licentiam habet certiorandi Pontifi-
 cem per literas familiares.

Occasione autem accedendi ad Pontificis au-
 dientiam, sive ubi al per Urbem publicè in-
 cedat, ipsum præcedit armata familia quorum-
 dam militum, qui bini ad formam processionis
 incedunt cum armis hastatis, tanquam per imagi-
 nem illius militiae, quæ præcedit pro custodia Pa-
 pæ, atque congrua est supremis Principibus, cum
 aliqua tamen differentia, tam in habitu, quam in
 forma armorum; Ut etiam habet Regens Magnæ
 Curie Vicaria Neapolis, sed iste in longè majori
 numero majorique ornatu Gubernator, ordine ac
 decore.

Quamvis autem iste officialis, in Urbe; eius-
 que districtu, utramque habeat temporalem iurisdic-
 tionem, civilem scilicet, & criminalem; Nihilomi-
 nus, causatum civilem modicam, peneque nul-
 lam habet cognitionem, parumque in isto causa-
 rum genere se ingerit, solumque habet unum Lo-
 cumtenentem in civilibus, simplicem togatum, cu-
 jus munus versatur in summaria cognitione causa-
 rum breviorum, & præsertim earum, quæ contingant
 pro famulorum, aliorumque operariorum
 mercede, undè propterea pedanei Judicis figuram
 facere videtur.

Præcipuum itaque, ac totale munus Guberna-
 toris Urbis, ejusque Tribunalis, ac ministrorum,
 versatur circa causas criminales atque reorum, & 6
 delinquentium punitionem; Magis autem ac prin-
 cipaliter in vigilando, super publica quiete, & ne
 delicta committantur, cum Principis, atque Re-
 ctoris, majores, & commendabiliores partes con- 7
 sistere dicuntur, potius occurrendi ne sequantur
 delicta, quam ut sequuta puniantur. Ideoque com-
 mendatione dignus est ille Rector Civitatis, vel
 provincie, qui nullas, vel raras habuit occasiones
 puniendi delinquentes ob istorum pœnuriam.

Pro isto autem munere exercendo, quam plu-
 res Gubernator, ultra dictum Locumtenentem
 civilem, habet officiales, ac ministros subordi- 8
 natos; Nempe, duos Locumtenentes criminales,
 quorum singuli habent aliquos subordinatos qui
 dicuntur substituti, ultra Notarios criminales &
 civilem, quorum singuli pariter habent plures sub-
 stitutos, nec non copiosam familiam armatam, cum
 Barifello, qui per antinomiasiam, ad differentiam
 illorum Auditoris Camerae, Vicarii, & Sena-
 toris dicitur Barifellus Romæ, atque est
 gradus primarius inter birruarios istius principis
 patus.

Habet autem Congregationem Criminalem
 in eius palatio in die martis cuiuslibet hebdomadæ,
 in qua interveniant, præfati duo Locumtenentes
 cri-

criminales, & aliqui ex dictis ministris inferioribus, qui Locumtenentes substituti dicuntur pro causarum qualitate id est illi, qui aliquam habeant, vel habuerint participationem in causa, sive in fabricatione processus; Ac etiam interveniunt, Advocatus Camerae, & fisci, quando intervenite velit & Procurator fiscalis generalis, cui principaliter incumbunt partes instandi contra inquisitos, eiusque substituti, unus vel plures, pariter pro causarum qualitate, ac participatione respective, Nec non Advocatus pauperum, & duo Procuratores pariter pauperum superius insinuatim occasione agendi de Congregatione Visitationis carceratorum; Unus nempe deputatus ex officio juxta praxim omnium principatum, seu magnorum Tribunalium; Et alter per Confraternitatem Charitatis,

In ista vero Congregatione, audiuntur Advocati & Procuratores defensores Inquisitorum; ac etiam Advocati; & Procuratores accusatorum, qui pro usu loquendi Curiae, adhaerentes fisci, seu instigatores nuncupantur in contradictorio, quod deficientibus Instigatoribus, seu adhaerentibus, haberi solet, inter defensores, & fiscales, de quibus supra; Et quando desint quoque defensores extrinseci, ut contingit in pauperibus, qui non habeant modum eos conducendis, habetur contradictorium inter dictos, fiscales & defensores pauperum; Et quando inquisitus pauper cupiat, ut dictis Advocatis, & procuratoribus pauperum alius adjungatur defensor, quem nominet, eo quia illi magis confidat, tunc solet Gubernator, illum caudicium requirere, pro hujusmodi charitate exercenda, quae libentissime adhibetur; Ad eum quoque (licet nimium raro) aliqui inquisiti, ac praesertim exteri, non informati de stylo, curiae, nominare, seu petere soleant aliquem famosum, ac primi nomini Advocatum civilem, qui a criminalibus omnino abstinere profiteatur, istaque non defraudat votum inquisiti, quando tamen urgeat motivum charitatis, & non alias.

Expleto autem contradictorio, seu discussione causa, ille Locumtenens, qui sit ejus Judex, referendo more Ponentis causae merita, tam offensiva, quam defensiva, exquirat votum Congregationis, tanquam per speciem Assessoris (cum acta judicialia ac sententias ipse solus conficiat,) Et postquam conclusum fuerit circa condemnationem; vel absolutionem, seu aliam notabilem provisionem, Gubernator, qui non solet proprium votum proferre adnotando resolutionem, ejusque circumstantias, & an concordibus vel discordibus votis sequuta sit, in supra enunciata audientia Papae, illum de omnibus certiorum reddat, atque ab eo recipit oraculum, quod quandoque est resolutioni conforme & quando difforme minuendo scilicet poenam; Ac etiam pro qualitate criminum, & circumstantiarum, mandando ut augeatur, sive quod alia adhibeantur diligentiae; Aut dispensando alicui impedimento legali circa species probationum; Sive circa minorem aetatem, quae regulariter excusare solet a poena ordinaria, quoniam ubi agitur de criminalibus atrocibus, sive mali exempli; Vel quod per extrajudiciales noticias habeatur illa certa probatio, quae desit in processu; Tunc cum eius auctoritate supplere solet aliquem defectum, juxta Pontificis regnantis genium, vel commendabilem zelum, & vigilantiam, publicae quietis, & tranquillitatis, rigorose agendo cum delinquentibus; Cum

ex magis veris, tam legalibus quam politicis rationibus, rigor contra delinquentes, ac facinorosos potius adhiberi debeat, illeque veram pietatem reodeat erga innocentes universamque Rempublicam; Unde propterea ex Sanctorum PP. testimonio, nulla major, magisque grata victima Deo offertur, quam inactare criminofum, cum via legis, & justitiae; Et e converso, pietas, seu misericordia erga criminofos, reodeat impietatem ac rigorem contra innocentes, dum ita est indulgere serpentibus, aliisque venatis, ac damnosis animalibus, ut ovibus, aliisque pacificis, atque humano generi proficuis animalibus officiant; Ac propterea inspidam, ineptamque dicere consuevi illam pietatem, vel charitatem, quae offendant justitiam, cujus charitas, comes, & pedisequa esse debet, & non alias.

Cumque iste supremus Princeps (forte singulariter in toto Orbe) a merè privata, & quandoque etiam depressa fortuna, ad istum apicem, per omnes penè gradus ascendat, atque pro frequentiori contingentia peritus in legibus esse solet, vel saltem, occasione tot munerum, in quibus versatus, magnam habere soleat praxim, atque negotiorum peritiam; Hinc sequitur optimus effectus, pro publica quiete, & tranquillitate, ut scilicet Judices, ac Magistratus, non de facili illud habeant liberum arbitrium, quod cum justitiae detrimento, & Republicae perturbatione, habere solent in illis partibus, in quibus Princeps utpote habens in eo statu natalia, atque hujusmodi negotiorum peritia destitutus, libenter patitur ab iniquis Judicibus, ac Magistratibus injectionem pulveris in oculos, Id autem pro frequentiori contingentia in isto Principe non contingit, ut etiam occasione aliorum negotiorum universi Status ecclesiastici, insinuat supra, agendo de Congregatione Consulta.

Quamvis autem, (discurrendo in abstracto) exorbitans videatur Curiae usus, praesertim verò ille hujus Tribunalis, in causis criminalibus; Tum ex eo, quod tam judicatura, quam curialitas, in hoc genere haberi non solet in ea majori eximiatione, in qua ex dispositione juris, haberi debet, atque juxta frequentiorum praxim alibi habetur; Ad eum quoque qualificati, ac primarii viri pro frequentiori contingentia, in his causis se non ingerant; Ac etiam ob rigorosa bannimenta à juris dispositione exorbitantia, cum quibus magis istud Tribunal regitur quam cum regulis juris, pluresque habeantur aliae exorbitantiae; Et praesertim illa, quae omnium major reputatur, quae resultat ex Motibus propriis utriusque Pii IV. & V. super denegatione appellationis suspensiva; ad eum celeriter, sequuta sententia subsequatur executio, etiam irretactabilis & capitalis, Unde propterea intimatur Reo, in ipso instanti in quo ducitur ad cappellam, seu confortariam; Ex ea ratione, quod quamvis sententia proferatur ab uno Judice, accedit tamen votum plenae Congregationis ut supra, ac etiam communicatio negotii cum ipsomet Papa.

Adhuc tamen dicere consuevi, quod in hoc praesertim practitari videtur limitatio illius legalis, ac philosophici assumpti, quod effectus non potest esse diversus à sua causa, cum ita ex causa mala, resultet effectus bonus, quod scilicet hujusmodi exorbitantes rigores, qui discurrendo in abstracto, & per regulas juris, damnabiles videntur

tur in adeo gravi, ac irrefractabili materia vitæ, ac famæ hominum, quæ tecum trahit etiam bona ob eorum publicationem, pro qualitate criminum; Attamen fuit commendatione digni quoniam effectus est optimus, dum ita omnes, etiam Magnates ac nobiles, à quorum correctione vere pendet publica quies, huiusmodi exorbitantium timore correpti criminibus; atque ab indebitis licentiis & à grassatorum ac facinorosorum hominum, turpibus, vereque infamibus, abstinere protectionibus, quæ iudicæ, ac etiam in legibus politicis; cavere deberent ipsius nobilitatis amissionem.

Nimium quoque, eidem publicæ quieti; & tranquillitati, favere videtur ille stylus promptæ, ac celeris punitionis, propè delictum, cuius memoria adhuc sit recens adeo, quando esset possibile ipsamet die, nimium opportunum esset; ut puniatio sequeretur, dum ea quæ serò sequitur, nullam facit in populo impressionem, illumque non operatur effectum, ob quem ea sequi solet, ac debet, ne crimina scilicet in futurum perpetrentur, dum jam patris, ita non consultur.

Distinctè autem de hoc Tribunali mihi agere non conceditur, minusque eius stylos, vel praxim referre; ex rationibus insinuat in rubrica pro cæmali iudiciorum, ubi assignatur causa, ob quam in hoc universali Theatro, criminales materiae negligantur; Neque earum theoricæ tractatio desumpta ex regalis, seu propositionibus juris communis conferret, cum nimium rari sint casus insoliti, in quibus provisum non sit per hujus Magistratus bannimenta; cum quibus pro frequentiori praxi proceditur, ita cum eis tollendo Juristarum subtilitates, ac cabalas; cum quibus criminofii excusari facile possunt, ac solent, dum ita potius delinquendi licentia; nutritur & confortetur.

De munere autem hujus Magistratus, in visitatione carcerum, agitur supra agendo de Congregatione visitationis carceratorum; Eiusque jurisdictionis, intra Urbis relictum, vel agrum, restricta non est sed se protendit ad universum districtum quadraginta miliarium, circum circa, eodem modo quo illa Vicarii, & Senatoris, Unde propterea (ut de Vicario supra insinuatum est) etiam in prima instantia concurrat cum quolibet iudice ordinario seculari, & quandoque etiam ecclesiastico, quando enunciata facultates specialiter communicata id permittant; illum præveniendū; Quinimmo bannitos & contumaces Curiarum interiorum, etiam baronalium, qui coram eo se constituunt, audit, ac recipit, atque causarum cognitionem assumit, quod Baronibus conquarentibus, suamque jurisdictionem tuentibus, variam praxim habere solet pro Papæ præsertim arbitrio, ex causarum qualitate, aliisque facti circumstantiis regulari solito. *insinuat in tit. de jurisdictione, dist. 88.*

Item nimium, ad prædictorum bonorum effectuum productionem, confert valde commendabilis hujus Tribunalis stylus habendi multos exploratores, qui vulgò *spie* dicuntur, non solum publicos, & cognitos quorum opera, pro vulgi seu plebis negotiis, & contingentiis potius prodesse videtur, sed occultos, etiam nobiles, & qui qualitates habeant natales, vel fortunæ gradus; aut bona, ignobilissimum tamen, ac infamem habent animum, indignosque mores; dum, velex genio,

vel ob turpe lucrum, istud infame munus, nimium diligenter peragunt; Ita etenim criminofii facilius inquiruntur, adeo ut iuxta aliorum curiosorum traditionem, in omni hominum statu adsint de hoc genere exploratorum, nullaque pene adesse videatur domus, vel familia Cardinalium, vel Oratorum Principum, sive Magnatum aliorumque nobilium virorum, in qua non adsit Curia minister, atque occultus explorator, qui tamen frequentius ipsi Domino seu patrifamilias cognitus esse solet sed toleratur, ut ita habeatur stimulus benevendi; Et utinam in nostra quoque professione, vel genere non adessent, ut non adesse credendum, ac sperandum est; Ipse vero stylus habendi hos ministros, & operarios est commendabilis, & proficuum pro publica quiete.

DISC. XXXVII.

De Senatore Urbis, aliisque officialibus fori Capitolini.

S V M M A R I V M.

- 1 **D**E significatione hujus vocabuli Senatoris.
- 2 De eius introductione, ac potestate.
- 3 Quo tempore officium duret, & de qualitatibus ad illud necessariis.
- 4 Quod antiquitus etiam Reges, & Principes hoc munus exercebant.
- 5 De Capitolio Romano, eiusque duobus partibus, vel corporibus.
- 6 De Conservatoribus Populi eiusque Camera, & de Priore.
- 7 An, & quam participationem cum istis habeat Senator.
- 8 De officiis vacabilibus Populi, seu Capitolini.
- 9 De Tribunali seu foro contentioso Capitolino & ex quibus constituitur.
- 10 De Capitaneo appellationis, & quod non detur ulterior appellatio.
- 11 Sed quod cause diuturnam habeant durationem & quare.
- 12 De consultoribus assumi solitis.
- 13 Est forum competens civium & incolarum secularium, sed quare modicas tractet causas graves.
- 14 Improbatur praxis, ac etiam Statutum, ut in Urbe servari debeat ius civile, & de istius staturatione.
- 15 Quod deberet mutari praxis.
- 16 De cognitione causarum criminalium.
- 17 Quare eius styli non recenseantur.
- 18 De Statutis Urbis.
- 19 De districtu Urbis.
- 20 Habet Senator audientiam Papæ.
- 21 De prerogativa Populi Romani, seu ejus Conservatorum dandi libertatem servis qui Capitolium ascendunt.

Illud Senatoris nomen, seu vocabulum, quod in antiqua Republica Romana in usu erat, diversam habet significationem, diversamque redolet dignitatem; ab hodierno Senatore Urbis, de quo in præsentia agitur; Tunc etenim significabat unum ex illis senioribus, vel consulariis,

liariis, qui illum constituebant prudentiorum virorum cœtum, penes quem Reipublicæ regimen residebat, cui Senatus nomen tribuebatur. Et cujus, quamdam imaginem (cum debita proportione alibi insinuata) in hodierna Romana Republica Ecclesiastica, præ se fert Collegium Cardinalium *supra disc. 4. & 5.*

Hodierni verò Senatoris diversa est origo; Postquam enim plurium sæculorum spatio, antiquus ille Senatus, omninò dissolutus erat, peneque in oblivionem obliisset; Non quidem pro publico seu politico regimine Reipublicæ constituentis supremum principatum plurium Civitatum ac provinciarum, sed pro ipsius Romanæ tantum Civitatis, ejusque particularis territorii, vel districtus, civili, seu ethico, vel privato regimine, à quatuor, vel quinque sæculis circiter (neglecta opinionum varietate super numero in ipla præva introductione) iste magistratus usu haberi cepit, cui antiqui Urbani Prætoris assimilatio, quæ ab aliquibus datur, magis congrua videtur, ut scilicet denotet Civitatis tantum, ejusque privati populi illum temporalem magistratum, cui pro frequentiori moderno usu laliæ, Gubernatoris nomen tribuitur, dum de sui natura, ad formam Statutorum Urbis, officium est annale, sindicatur subjectum, atque civibus, vel incolis prohibitum, & non conferendum, nisi forensibus quorum patria, ad minus distet ultra ambitum quadraginta miliarium, dum intra illum contineri dicitur ejusdem Urbis districtum, qui idem significat, ac territorium, quod civicam redolet qualitatem *tit. de Regal. disc. 94.*

Bene verum, quod præsertim circa præfati annalis temporis præfinitionem, à Apostolicæ dispensationes diversam docent praxim, quod scilicet duratio hujus officii à Papæ arbitrio pendet, eodem modo quod deputatio, atque mutatio rara in eodem Pontifice esse solet; Et aliquando, ac præsertim juxta hodiernam observantiam (ita meritò exigentibus qualitibus ejus qui locum dignè occupat,) trium Pontificum continuationem praxis docet.

Antiquiori tempore, quando, ob rerum Italiæ motus, magnaque scissuras, Romanus populus, aliquas antiquæ libertatis, & Reipublicæ reliquias, vel scintillas reassumpserat; Ista senatoria dignitas, longè majoris auctoritatis, ac existimationis erat, dum politicum seu publicum regimen quoque admixtum habebat, aded ut etiam Reges, magnique Principes, non dedignarentur hunc magistratum assumere, & exercere, ut præsertim in Carolo Siciliæ Reges, alisque Principibus sequutum esse, docent Historici, & pleraque alia monumenta. *Fenzon. in proem. ad statut. Urb.*

Hodie verò, cum omnimoda subjectione, ac dependentia Papæ, à cujus nutu deputatio, ac remotio pendet, est solum quidam major magistratus seu caput vel Præses fori capitolini; Isteque forus, duo constituit diversa corpora, sive duas diversas partes continet.

Vna siquidem, Romani Capitolii pars est illa, cui civilis, vel æconomica Civitatis & populi, ejusque Cameræ, seu ærarii administratio incumbit, cum aliqua modica jurisdictione, quæ huic publicæ administrationi connaturalis esse ubique videtur, penes illum Magistratum, qui

Card. de Luca Relatio Curie Romana

singularum Civitatum, & locorum communitatem administrat; Istaque pars, seu corpus, constituitur ex tribus viris ut plurimum nobilibus, qui origine, vel domicilio sint cives Romani, & qui Conservatores Populi appellantur, modicam, pro sui regulari natura durationem habentes trium mensium tantum, juxta pene genericum usum temporalis ditionis, Ecclesiæ, quando Apostolica dispensatio, sive superveniens impedimentum vacationis Sedis Papalis, majorem durationem non causet; Hicque tribus officialibus, adjunctus est, cum eadem præeminentia, circa habitum, & quosdam honorificos tractatus, alter officialis, cui *Prioris* nomen tribuitur, quia nempe est primus inter quatuordecim Regionarios, seu Duces, vel Capita quatuordecim regionum, in quas Romana Civitas divisa est; Cœqualem tamen non habet participationem in administratione, quæ solum, ac principaliter residet penes tres Conservatores, qui tribus cujuslibet hebdomadæ diebus, collegialem residentiam faciunt in ea palatii capitolini parte, laterali propè rupem tarpeyam, quæ ipsis assignata est, ut negotia populi seu communitatis pertractent, ac expediant; More Principis, cum magno decore, prandium ibi habendo, ac habentes apud se, tanquam consiliarium, vel assessorem, unum Juris consultum, cui Advocati populi nomen tribuitur; Et alterum practicumcausidicum, qui Procurator fiscalis appellatur. Ac etiam Secretarium, seu Cancellarium, qui Scribæ Senatus nomen obtinet ultra plures, medii, ac infimi ordinis familiares, servitio oportunos, juxta Principum, seu Magnatum morem.

Quamvis autem, in quibusdam publicis functionibus, quæ nomine Populi fiant, ejus magistratum representando, Senator, cum eis interveniat, primum occupando locum, tanquam caput, sed cum magis honorifico, majorisque majestatis indumento, cum toga scilicet, serico, & auro in texta, vulgò *brocato*, dum ipsi Conservatores ac Priores aliam adhibent diversam togam brevioris, ex serico tantum contextam nigri coloris; Attamen in iis quæ concernunt, Communitatis, & Cameræ Populi administrationem, ille participationem aliquam non habet, neque in publicis inscriptionibus, vel editis, ejus nominis, seu dignitatis mixtura habetur.

Huic autem Cameræ sub dicti Magistratus administratione, competunt, seu ab eo dependentiam habent, quam plura officia venalia, de quibus, ad instar officiorum vacabilium Curie Romanæ, seu Cancellariæ, vel Cameræ Apostolicæ in Regalium sede actum habetur. *tit. de Regal. disc. 3. & 4.*

Alteram verò Capitolii partem, est jurisdictionem, super administratione scilicet justitiæ, ac judiciali contentiosa cognitione causarum, civilium, & criminalium Populi sæcularis, seu civium & incolarum sæcularium Urbis, ejusque districtus, juxta illud munus, quod singularum Civitatum Gubernatores vel Correctores exercent, istudque dicitur Tribunal fori capitolini.

Constituitur autem hoc Tribunal, ex dicto Senatore tanquam ejus Præfetto, seu capite, & ex pluribus aliis officialibus tanquam ejus assessoribus, & auxiliariis; Duobus scilicet togatis Juris Professoribus pro cognitione causarum ci-

N n

vilium

vilium, qui Collaterales nuncupantur, cum ordine inter eos, quod unus primus, & alter secundus Collateralis dicuntur, & ex altero pariter togato, qui est Judex maleficiorum, eodem modo quo dictum est de Auditore Camerae, habente tres Locumtenentes, duos scilicet in civilibus, & unum in criminalibus.

Dictorum autem Collateralium singuli, audientiam publicam, singulis diebus non feriatis, de mane, tenent in aula magna, quae vulgò sala nuncupatur illius majoris ac nobilioris partis palatii quae est in capite fori seu clivi capitolini, in qua Senatores ipsique Conservatores, ac Judex, habitationem habent; Extra verò hanc publicam audientiam, causas, quae ad eos respectivè pertinent, juxta distributionem Notariorum ejusdem fori, privato more disputant, & cognoscunt, vel in ejusdem palatii privatis aulis, quantum ibi continuò habitare eligant, vel in alia propriae habitationis domo privata.

10 Quando autem una partium id petat; Sive quod pro ejusdem Tribunalis praxi, & stylis, vel ex statutis Urbis, ob causam naturam, vel qualitatem, illius cognitio, collegialiter à toto Tribunali faciendae sit; Tunc id sequitur in aula Senatoris, ipso praesidente, cum praedictorum Collateralium, & judicis maleficiorum, & fiscalis assistentia, in forma Tribunalis collegiati, audiendo partium Advocatos & Procuratores, etiam in contradictorio; Istaque Congregatio, sub nomine Asseramenti explicatur.

11 Alter quoque hujus Tribunalis officialis ad est togatus (ut sunt praefati Collaterales, & Judex criminalis) qui dicitur capitaneus appellationum quod scilicet: à sententiis, vel decretis Senatoris, ac dictorum Collateralium tanquam Iudicem primae instantiae ad istum appellatur, tanquam ad Iudicem secundae, à quo ulterior appellatio non datur ob statutum Urbis, per quod duabus conformibus illa tribuitur vis vel operatio quae per jus commune tribus concessa est.

12 Adhuc tamen, vel ob difformitatem, vel ob ordinarium remedium nullitatis, sive ob extraordinarium restitutionis in integrum; quod pro istius praxi inextricabili labyrintho, dupliciter intentari solet (principaliter nempe, & incidenter) longam ac diuturnam durationem, nimiamque instantiarum pluralitatem causa patiuntur, intra circulum tamen ipsorum officialium. Vel scilicet ipso Senatore cognitionem assumente; Vel ad aliquem ex Collateralibus, aut ad ipsum met Capitaneum appellationis redeundo; Quando tamen cognitionem assumat Senator, qui sive ex eo quod non solet esse juris professor, sive pro officii decore ac majestate, sibi assumere solet, aliquem Praelatum, vel Advocatum sive causarum Patronum in consultorem, vel istum deputare solet alicui ex Collateralibus, vel Capitaneo appellationum, quando agatur de illis causis, in quibus jam alias judicaverint; Sive quod partium recusatio accedat, unde propterea, spectato effectu, iste consultor est in ea instantia, causa Iudex, dum juxta ejus votum est sententiandum.

13 Quamvis autem iste forus capitolinus, dicatur proprius magisque competens, civium & incolarum saecularium urbis, non autem Eccle-

siarum, vel personarum ecclesiasticarum, cum sit magistratus merè saecularis, adeò ut una partium iudicium instituite in alio Tribunali iuridice altera parte petente, ad istud, remissio fieri debeat; Attamen frequentior praxis de facto docet, magis verò ab aliquo moderno tempore, quod ad aliquas breviores causas, plebis, seu populi minuti, istius Tribunalis cognitio restricta videatur; Vel quia, ob clericorum, aliarumque personarum ecclesiasticarum, ac etiam curialium, & forensium, aliorumque privilegiorum copiam, nimium rarè videantur causae, in quibus aliarum personarum diverſi generis ut supra, non verificetur mixtura; Vel quia obligatio in forma Camerae Apostolicae, aperiat locum privatis facultatibus Auditoris Camerae, supra de ipso agendo insinuat, dum ea de stylo in omnibus conventionibus, etiam privatis adjicitur; Vel quia Partes concorditer aliud adeant Tribunal, & praesertim illud mox enunciatum Auditoris Camerae, quod majorem partem causarum Civilium primae instantiae Urbis vera peragit; Aut quod ubi contingat, ut aliqua gravis causa in isto Tribunali introducta sit, de facili solet Pontifex, una Partium instante, illam ab eo evocare, atque committere in Rotam, sive istud Rotae Tribunal ei tribuere in assessorem, & consultorem ut scilicet de voto Rotae procedatur, quod sonat in idem praesertim in casu de quo sub tit. de fidei commiss. dist. 5. §. 5. & in aliis.

Hujus autem inconvenientis origo seu causa est extravagantia praxis istius fori. Siquidem illius auctores, vel introductores ex eodem antiquariorum sensu, vel humore maienconico, ex quo, citra omnem rationem, in ea Civitate, quae est residentia Papae, ac Metropolis utriusque eius Pontificii, & temporalis principatus, per ejus statuta induxerunt, ut juris civilis potius, quam Canonici dispositio attendi debeat quod sequutum est ob diversitatem temporum, & circumstantiarum, cum id originem traxerit, quando Romanus populus, ita illorum temporum conditione exigente, cupiens primævum libertatis statum assumere, pontificiam dominationem abhorrebat, ipsius Ecclesiae scissuris & schysmatibus hujusmodi sensus confonentibus; Sed malè hujus praxis auctores, & introductores ita curarunt, antiquas juris civilis rigoſas, & superstitiosas judicarias formulas restituere, ob temporum diversitatem; Et quidem id revera importat calumniarum fomentum, dum ob aliquas leves formalitates non bene servatas in causis, quae apertam contineant justitiam, facilis tribuitur aditus Reis conventis, qui succumbentiam passi sunt, eorum calumnias, & connaturalia subterfugia confovere, totamque iudicii, processus machinam, etiam per plures instantias, & cum pluribus sententiis, cum magna temporis, ac sumptuum jactura constructam destruere, quandam nimium ineptam & judicam practicando propositionem, ut qui cadit à syllaba, cadat à toto; Atque ex hac ratione ego qui circa susceptae advocacionis initia, consultor deputari frequenter consueveram, id expertus, in quadam causa jam per tres vel plures sententias conformes justissimas determinata, ita ob quamdam levem & scrupulosam nullitatem ad primævum initium redacta, tale munus acceptare perpetuò abhorruì.

Hinc

Hinc itaque manat, quod classici, & qualificati caularum Patroni, a quibus iudicium, seu Tribunalium electio, pro frequentiori usu pendet: istius Tribunalis praxim penè imperceptibilem utpote redolentem speciem inextricabilis labyrinthi, non callentes, neque addiscere curantes, ita istum forum abhorrent, atque in dicto Tribunali Auditoris Camerae concorditer causas introducunt & agunt, ut inde ad Rotam aditus liber pateat in ulteriori instantia. Ideoque etiam apud antiquos curiales, & practicos in usu esse iidem antiqui praxis Curiae scriptores, restantur de seipsis. *Vest. lib. 2. cap. 17.*

15 Quare curialium, ac senatorum virorum majori, ac sanioris parti, admirationem praebet, huius praxis tolerata continuatio; Commendatione siquidem digna est continuatio ipsius fori vel Tribunalis, pro maiestate Romani populi, ita antiqui Capitolii adeò magnae potentiae, & existimationis, memoriam, vel reliquias retinendo; Sed commendatione dignum non reputatur, istam exorbitantem, ac imperceptibilem praxim retinere, cum unica & eadem deberet esse praxis valde bona, & commendabilis Auditoris Camerae.

16 In criminalibus quoque licet istud Tribunal, tam in Urbe, quam in universo districtu, eodem modo, quo in civilibus, cumulativam habeat etiam in prima instantia cum Iudicibus ordinariis fori secularis, cum iure praeventiois, eodem modo quo supra agendo ac Auditore Camerae, ac de Vicario, & Governatore Urbis dictum est; Unde propterea propriam habet familiam armatam, cum suo Barifello distincto, suosque carceres; Attamen raram habet causarum gravium cognitionem; Tum ob supra enunciata frequentiore mixturam personarum ecclesiasticarum, vel aliarum, quae ab hoc foro exemptae sint; Tum etiam quia, ob maiorem Tribunalis Governatoris vigilantiam, longeque maiorem copiam, ac peritiam Iudicum, & Notariorum, magis verò exploratorum, ac ob maiorem numerum familiae armatae, illas penè semper Governator praeventire solet; Ex eo potissimè, quod illi, qui in rixa, vel appetente vulnerati, vel percussi sint, adire solent hospitalia, aliave loca immunita, in quibus non datur aditus huius Tribunalis officialibus & ministris, tanquam merè secularibus, adeò ut oportuerit, ac oporteat pro indemnitate ac iuribus insignis Archiconfraternitatis Annunciationis ad quam pertinet officium Notarii criminalis huius fori capitolini, obtinere Apostolicum indultum, per literas in forma brevis, ad tempus innovari solitum, pro accessu ad ibi proximum hospitale Consolationis.

17 Atque his stantibus, cum etiam classicis caularum Patronis, multò verò magis Advocatis, penitus ignota sit huius fori praxis; Hinc sequitur, ut illa recenseri non valeat, saltim in aliqua forma compendiosa, sed ejus particulares tractatores adeundi sunt. *Lucas Petrus in praxi fori Capitolini.*

18 Regitur autem principaliter hoc Tribunal, cum Urbis statutis, quae proprie continent leges municipales seu particulares Civitatis, ejusque districtus, contra distinctas à legibus generalibus principatus, quae fiunt per Papam sub nomine Bullarum vel Constitutionum.

Card. de Luca. Relatio Curiae Romanae.

Iste autem districtus, antiquiori tempore Romae triumphantis, se protendebat ad ambitum centum milliarium; Inter medio verò post dissolutionem Imperii Romani, certam non habebat regulam, cum solum de districtu ea loca dicerentur, in quibus Populus Romanus, quandam exigebat collectam, quae focaticum nuncupabatur, cum quadam salis distributione; Hodie verò occasione reformationis statutorum, quae sub Gregorio XIII. sequuta est ille in universo ambitu temporalis ditionis Ecclesiae, est quadraginta milliarium, ut in regalium sede, ac alibi advertitur. *tit. de Regal. disc. 72.*

Habet item Senator audientiam Papae, & Cardinalis Nepotis statuta die cujuslibet hebdomadae in die scilicet mercurii, eodem modo quo Auditor Camerae, alique officiales, quando negotiorum & caularum occasio urgeat, quae frequentius deesse solet.

Sive autem ex antiquis moribus, aut verius ex Apostolicis indultis, Populus Romanus, ejusque vice, ac nomine dictus magistratus, qui ex Conservatoribus constituitur, facultatem habet concedendi libertatem servis, qui Capitolium ascendunt, eorumque conspectui se praesentent; Atque hinc resultat; ut in Urbe servorum usus non habeatur. Atque saepius in illis partibus, in quibus hic usus habeatur, praesertim in locis maritimis, illi servi quibus id innotescat, solliciti esse solent, ut eorundem Domini Urbem adeant; Sive quod iidem Domini, quibus id non innotescat, pro eorum servitio servos secum ducant, redeunt autem sine illis; Quoties cautelam non adhibeant prius occurrendi, ac denunciandi, ne in eorum praedictum, ipsique non concurrentibus, huiusmodi instantia recipiantur, cum de super certa praxis praescripta habeatur.

DISC. XXXVIII.

De Tribunali Aedilium, seu Magistrorum viarum, earumdemque viarum Praefide.

S V M M A R I V M

- 1 DE officio antiquo, & moderno, & de differentia.
- 2 De differentiis, vel distinctionibus viarum.
- 3 De introductione, vel restitutione huius magistratus in Urbe.
- 4 Quod eidem commissae sunt causae retractuum, & servitutum.
- 5 De officialibus ex quibus hoc Tribunal constituitur.
- 6 De questionibus circa refectiones viarum, & taxas, vel contributiones.
- 7 De contributione exemptorum, & ecclesiasticorum.
- 8 De congregatione viarum, earumque Praefide.
- 9 Quomodo habeant curam viarum rusticarum, seu campestrium.
- 10 Et quomodo urbanarum in Civitate.
- 11 De venditionibus victualium, & bonorum in locis propè vias, & plateas subsilicidii domorum.

12 De alia jurisdictione circa maniana, & pensilia aedificia.

13 De facultate concedendi situs & loca publica.

EAdem differentia, quæ *disc. precedenti* insinuatæ est, inter hodiernum Urbis Senatorem, & Senatores antiquæ Reipublicæ Romanæ, dignoscitur quoque in isto Magistratu, quoniam Aediles curules, seu viarum curatores dictæ antiquæ Reipublicæ, curam habebant omnium viarum, & pontium, per universum Orbem, qui ipsius Reipublicæ Imperio subiectus erat, ita gerendo has partes, jure Principis potius, quam jure Civitatis; Moderni verò Aediles, qui vulgò Magistri viarum appellantur, restrictam habent jurisdictionem vel curam, intra Urbis territorium seu districtum, ideoque potius jure Civitatis; Postquam etenim Romanum Imperium dissolutum fuit, atque cessavit illa cura, quæ in hac materia viarum, & pontium, adeò diligenter habebatur, ut non obstante adeò diuturni temporis edacitate, adhuc probent reliquæ, quas cernimus viarum, Appiæ, Flaminia, & aliarum; Eodemque Imperio diviso in tot principatus, quilibet Princeps in sua ditione, istam curam suscepit, cum ea distinctione, cum qua probabile est, ut etiam antiquorum Romanorum temporibus procederetur, quod scilicet cura publica Principis, ejusque vice, istius magistratus, versaretur circa illas vias magis publicas quæ totius Orbis, vel respectively principatus communicationem concernunt; Et quæ, Basilicæ, seu Militares, vel Consulares in jure appellantur, hodiè verò vulgò viæ Regiæ, seu Magistratæ aut Romanæ, Singulæ verò Civitates, & loca, curam habent aliarum viarum, & pontium in proprio territorio existentium; atque ad civium & incolarum commoditatem principaliter deservientium, unde propterea ad differentiam aliarum, quæ magis publicæ sunt, privatæ dicuntur, quam vis in effectu sint etiam publicæ, cum diversa sit species aliarum viarum, quæ vere & propriè dici merentur privatæ, ut in regalium sede advertitur *tit. de servitut. disc. 136.*

Utrumque autem munus, in ipsa Urbe, & locis, ac provinciis adjacentibus, neglectum erat, atque in defuetudinem abierat; Tum propter absentiam Pontificis pro eo tempore quo Sedes Apostolica residentiam habuit in Civitate Avenionensi, adeò ut Romana Civitas, omnimodam penè desolationem experta sit; Tum etiam ob magnum ac diuturnum schisma, quod ad breve tempus, post ejusdem sedis regressum, initium habendo sub Urbano VI. finem habuit in Concilio Constantiensi, sive sub Martino V. qui in eo, juxta modum alibi supra insinuatum, electus fuit.

Inter multa igitur, quæ vel jam penè collapsa & abolita, seu valdè corrupta, iste Pontifex in Urbe, aliisque partibus, vel restituit, vel reformavit, fuit præsertim iste Magistratus Aedilium, seu Curatorum Viarum intra Urbis districtum, cujus successores Pontifices tractu temporis facultates auxerunt, adeò ut effectum sit unum ex formalibus Tribunalibus. *eod. tit. de Regal. disc. 141.*

Magnum autem incrementum istud Tribunal habuit à Gregorii decimi tertii Constitutione, quæ ob Urbis ornatum quamplura statu-

it, & præsertim circa utrumque retractum, prælativum, & coactivum, ejusdem Constitutionis observantiam injungendo, conjunctim Cardinali Camerario, & huic Magistratui, qui propterea, in isto negotiorum genere proveniente à dicta Constitutione Gregoriana, constituit quoddam Tribunal mixtum, cum illo Cameraarii; In aliis autem habet proprium Tribunal, absque hac mixtura, *de his toto tit. de servitut.*

Constituitur autem hoc Tribunal à duobus viarum Magistris, qui nobiles Romani vel incolæ, ad nutum Papæ amovibiles, ab eodem deputantur, habentes alios officiales, & ministros, qui ad Tribunalis efformationem, necessarii, vel opportuni videntur; Nempe unum togatum Juris professorem, qui est eorum assessor, de cujus voto sententias proferunt aliasque faciunt provisiones, istudque est officium venale ratione emolumentorum resultantium ab aliis damnato usu propinarum, quæ in isto Tribunali quoque habentur; Nec non habet proprium Notarium, ac etiam Procuratorem fiscales qui ratione officii, invigilat, ac instat pro coactione habentium casalia, & prædia adjacentia, vel domus in Urbe, ad contributiones, & collectas, pro viarum, ac pontium refectione, & conservatione, & quandoque nova constructione, ac etiam in Urbe, pro cloacis, sive pro demolitionibus aedificiorum, quæ vulgò *gettiti*, nuncupantur, pro majori ornatu, & decore, ut adeò frequenter nostra ætas practitari vidit; Ideoque frequentes audiuntur quæstiones forenses tam in isto Tribunali, & aliis, ejus superioribus in gradu appellationis, Præsidis scilicet viarum, & Cameræ super retractibus, & servitutibus, præsertim urbanis, occasione novorum aedificiorum, quam etiam incidenter in aliis ordinariis Tribunalibus super modo contributionis, aut super ejus onere, puta inter locatores & conductores, *de his quæstionibus refectionis viarum, & contributionis, tit. de Regal. à disc. 135. ad 142.*

Non audiuntur autem in hoc Tribunali istæ quæstiones, quæ in aliis Orbis Catholici partibus, audiri solent, occasione ecclesiasticæ immunitatis realis, an scilicet clerici, aliæve personæ ecclesiasticæ, & immunes, teneantur ad contributiones, & collectas, quæ inciduntur pro refectione pontium, & viarum, & de quibus in suis respectivè sedibus agit, *dicto titulo de Regal. discurs. 58. 59. & 131. & titul. Miscellan. Eccl. lib. 14. discurs. 3. & seq.* quoniam, ob existentiam utriusque gladii in una manu; Vel nunquam; Vel nimium raro de his, in Urbe, & in reliquo statu ecclesiastico, disputari contingit, dum ex pontificiis decretis, nulla dignoscitur differentia inter ecclesiasticos, & sæculares in hujusmodi taxis, & contributionibus; Adeò ut licet istud Tribunal sit in sui origine, ac natura sæculare, atamen, ut de aliquibus aliis supra advertitur, admixtam habet aliquam ecclesiasticam potestatem quæ exerceri videtur à Camerario sive à Præside, qui sunt personæ ecclesiasticæ.

Cum autem per hujus Magistratus restitutionem, suppletæ essent illæ partes, quæ privatæ Civitati potius, quam universo publico principatui incumbunt, juxta supra enunciatam distinctionem; *de dicta distinctione titul. de Regal. disc.*

disc. 141. Hinc Sixtus V. ut partes Principis quoque in universa temporali ditione impleteret, Congregationem desuper erexit eodem tempore quo plures alias jam recensitas, cum ejus Constitutionem instituit; Rarò autem illa habetur, dum pro refectionibus pontium, & viarum, etiam ultrà districtum, ultrà quem se non extendit potestas istorum Ædiliùm, adhuc eorum munus ad id deservit, ob communicatam potestatem latiore Præsidis viarum, qui est unus ex Cameræ Apostolicæ Clericis, atque uti solet opera, & consilio hujusmodi officialium, tanquam super retractibus, & servitutibus, est Judex appellationis, ipseque agit secundam instantiam, Tertia verò pertinet ad Cameram.

Pro cura item viarum, intra districtum sed extrà agrum Romanum, istius Magistratus partes versantur, super viis principaliter publicis seu consularibus, quæ Romanæ vulgò appellantur, ad publicum commercium principaliter destinatis, dum aliarum, quæ licet sint etiam publicæ, attamen comparative, dici merentur, potius privatæ, ut supra, curam habent singulæ Communitates in eorum respectivè territoris; Sed intra agrum Romanum habent etiam curam illarum viarum, quæ respiciant privatam commoditatem habentium casalia, & tentas; aliæque prædia, cum id quoque concernat publicam commoditatem Civitatis pro commodiori vectura seu asportatione frugum, aliorumque fructuum & victualium.

Et quoad vias urbanas, quæ juxta dispositionem juris refici debent per ipsarum domorum Dominos, ut scilicet quilibet reficiat viam ante ejus domum, ipsi Domini ab hoc Tribunali, ejusque procuratore fiscali, per acta proprii Notarii statutis anni temporibus, juxta illam regionum, & viarum distributionem, quam pro publica commoditate facere congruit, monentur, statuto competenti termino, quo elapso, eisque negligentibus, deputantur illi fabri murarii, quibus idem Magistratus, uti solet juxta regionum distributionem ex officio ad faciendam refectionem necessariam, cogendo postmodum ipsos Dominos ad solutionem mercedum, & expensarum, pro quarum taxa, habet architectos, & peritos.

Inter ipsos Ædiles, vel eorum procuratorem fiscalem, ac privatos domorum Dominos, quaestiones audiri solent super facultate vendendi victualia, & alia bona publicè exposita propè vias publicas, sub earundem domorum stillicidiis, an scilicet illud spatium, juris privati censeatur, quamvis in publica via, vel platea respondeat, vel potius sit juris publici, dum in iis partibus, quæ ad vias vel plateas publicas pertinere dicuntur, absque ipsorum Magistratorum licentia id fieri non potest *tit. de Regal. disc. 142.*

Aliæ quoque contingunt controversiæ super constructione manianorum, aliorumque ædificiorum pensilium quæ scilicet ultrà murorum lineam se protendant supra viam, & plateam publicam, ita publicum aerem, ut ipsi dicunt,

Card. de Luca, Relatio Curia Romana.

occupando, dum id sine eorum licentia, & concessione pariter fieri non potest.

Item quamvis publicorum locorum concessio sit de Principi reservatis, attamen ex quadam generica concessione, vel permissione, isti Magistri viarum non habent quidem facultatem concedendi privatis, publica loca in eorum solam gratiam, & commoditatem absque justa causa concernente publicum ornatum, cum id Papæ cum chirographo concedi soleat eisdem Magistris, recognitione, & executione commissa; sed hujusmodi concessiones faciunt, quando oratio publici ornatus, vel utilitatis ita exigat; Puta ut claudantur vel tollantur quidam loci immunditiarum, sive qui deformitatem caudent; Vel ut vulgò dicitur *dando filum*, id est quod pro reductione ædificiorum, ad magis rectas lineas, melioremque simetriad, detur facultas ædificare volentibus, ut juxta præfixitas lineas, aliquam partem viæ publicæ occupare possint, dum ita ab ea parte situs privati, qui dimittitur, compensatio resultare solet. *tit. de servitut. disc. 5.*

DISC. XXXIX.

De Agricultura Consulibus, & Tribunali.

SUMMARIUM.

- 1 **D** E introductione istius Tribunalis, ejusque statutis.
- 2 Ex quibus istud tribunal constituatur.
- 3 De Assessore ordinario, vel extraordinario.
- 4 Non datur appellatio, sed remissio.
- 5 Per statuta determinantur multi casus controversiarum.
- 6 De personis certo, & huic tribuni subiectis.
- 7 De modo procedendi intra, & extra distributum.
- 8 De aliis officialibus nempe defensoribus, & Consultariis.
- 9 De eodem de quo num. 6. & quando persona dicantur addita.
- 10 Quod agricultura sit ars nobilis quæ non derogat nobilitati.
- 11 De plerisque aliis parvis iudiciis, & tribunalibus artium.
- 12 Quare hoc tribunal agricultura innolescat, etiam classis curialibus.

AD instar Ædiliùm Curulium, de quibus actum est *disc. precedenti*, antiqua Respublica Romanorum, alios habebat Ædiles Cerales nuncupatos, qui pro publica annua, agricultura confovenda, & amplianda, curam haberent; Isto autem Magistratu intermisso, ut de omnibus aliis ejusdem Reipublicæ cum Imperii dissolutione sequutum fuit, adeò ut in oblivionem abiisset, ex Pontificum, vel Romani Populi cura, jure privato Civitatis potius, quam publico principatus, illæ innovatus fuit, pro Urbis scilicet territorio seu districtu, quibusdam tractu temporis desuper ordinatis statutis, pontificia auctoritate roboratis, quæ in volumen redacta, etiam cum aliquibus glossis habentur, illa que vim legis habent in iis, quæ istam rem agrariam, omniaque alia ad agriculturam pertinentia, respiciunt.

Nn 3

Consti.

Constituitur autem istud Tribunal, per quatuor Consules, qui ut plurimum sunt cives, vel incolæ Romani, nobiles, seu valde civiles, in hac arte periti; Vel quia rem seu negotiationem agrariam agant; Vel quia casalia possideant, adeo ut in hac re versati sint, Eorumque mutatio ad formam statutorum, crebra seu frequens est, (quando alias Papa non mandet, quoniam singulo quoque trimestri duo mutantur, ut illi, qui de novo assumuntur, instruantur per duos ex antiquis, qui remanent intra novum trimestre, quo finito, isti novi remanent antiqui, & sic successivè, adeo ut singulorum duratio, sit per sex menses.

Habent isti Consules, pro decidendis controversiis judicialibus cum sententiis, vel decretis, Assessorem, qui est togatus curialis, de cuius voto proceditur; Ac etiam proprium Notarium, cum officio particulari ad id deputato; Et quando Assessor recusetur, assumitur alter Consultor, Advocatus, vel caufarum Patronus, & quandoque etiam Prælati pro libito Consulium, & pro caufarum qualitate, eo modo quo de foro capitolino est dictum.

A sententiis, vel inter loquutionibus non datur appellatio, sed quædam revisio intra certum terminum, juxta formam à statutis præfinitam, atque ad hunc effectum assumitur aliter Assessor particularis ut supra.

Per eadem verò statuta, penè omnes casus determinati sunt, circa modum æstimandi damna data, super quibus frequentiores controversiæ esse solent; Sive super modis, ac temporibus sumendi pasua, seu colendi casalia, & tenutas conductas; Ac super obligatione Domini animalium, ex conventionibus factis per illum ministrum qui *Vergarius* dicitur; Vel super facultate retinendi animalia, pro pretio pasuorum; Aut super potioritate in eisdem animalibus, aut in aliis fructibus pro pensione fundi seu terreni; Nec non super mercedibus famulorum; Vel super temporibus, in quibus isti conducantur, vel conducti censeantur; Aut quod unus non possit conducere famulos alterius, sine ejus consensu, cum aliis ad rem facientibus.

Designantur etiam in eisdem statutis genera personarum, quæ sint huic Tribunali subjectæ, dum non veniunt solum illæ personæ, quæ vacent rei agrariæ, seu circa animalia eorumque fructus, sed etiam carbonarii, & plures alii, qui circa rem rusticam versantur, quorum notitia facilis est ex eorundem statutorum lectura.

Prout etiam præscribitur modus citandi & procedendi, ac etiam exequendi, cum distinctione modi procedendi, intra districtum, & extra respectivè.

Ultra Consules, adfunt plures alii, qui quoddam consilium constituere videntur magis generale, adeo ut dignosci videatur ea forma, quæ habetur in regimine benè regularum Communitatum; quod scilicet adest Magistratus brevior, qui habet administrationem actualem; Et alter major seu magis numerosus, qui habet habitualem, ac populum repræsentat; Ita à paridum ultra quatuor Consules, adfunt etiam alii quatuor officiales, qui defensores appellantur, ac etiam alii tredecim in hac arte periti, tanquam consiliarii.

Quamvis autem describantur genera perso-

narum, quæ agriculturæ addicti, seu vacare dicuntur, ideoque huic Tribunali subjecti; Attamen juxta regulas juris communis, quas habemus in omnium aliarum artium universitatibus, ac subjectionibus eorum Judicibus vel Consulibus, sive pro taxis & collectis, vel ad alios effectus favorabiles privilegiorum, ac exemptionem, intelligitur quatenus formiter pro majori parte vitæ sint illi exercitio addicti, ut alibi advertitur. *tit. de Regal. disc. 98. & tit. de jurisdict. disc. 33.*

Illud autem considerabile videtur, quod ex hujusmodi statutis, ab antiquo ordinatis resultat, quod scilicet ista vocatur ars nobilis, dum etiam juxta regulas juris (ut alibi in materia præminentiarum insinuat *tit. de præminent. disc. 32. & seqq.* agricultura quando fiat in re propria est compatibilis cum nobilitate, eique non derogat; Quod tamen pro regionum seu locorum moribus intelligendum videtur, cum in hac materia nobilitatis, locorum contuetudo seu communis hominum opinio principaliter attendenda veniat.

Ad instar hujus Tribunalis, ferè omnes artes vel mechanicæ professiones, & industriae habent suas universitates, cum aliquibus legibus, vel statutis, suosque Consules, cum Iudice, seu Assessore, & cum aliqua jurisdictione, seu facultate procedendi in aliquibus causis brevioribus, ad illam artem pertinentibus; adeo ut infinitus penè videatur numerus hujusmodi Iudicum & parvorum Tribunalium, quæ tamen penè ignota sunt, nullamque figuram faciunt, ideoque congrua non videntur huic relationi, quæ ad exteriorum informationem principaliter ordinata est, nimiamque prolixitatem seu evagationem penè inutilem id redoleret; Potissimè quia classicis Curialibus ista penitus ignota videntur; Benè tamen innotescit dictum Tribunal agriculturæ, Vel ex dicta ratione quod ipsi frequenter deputari solent Assessores caufarum particularium; Vel quia contingit aliquando agi de subtilibus, & altis quæstionibus juris; Puta in concursu creditorum, occasione potioritatis; Aut quando sata cedant solo; Sive an conductor potuerit aliquid agere cum similibus, super quibus etiam classici ac primi ordinis Advocati, & caufarum Patroni, quandoque scribere solent. *tit. de locato, & conducto, & tit. de credito, & debito.*

DISC. XL.

De Præfectis Annonæ, & Graciæ; Ac etiam de Præsidibus Dohanarum, Riparum, & Zecchæ.

S V M M A R I V M

- 1 De Præsidibus viarum, & carcerum remissivè.
- 2 De Præfectura Annonæ ut incumbat Civitati.
- 3 In Urbe secus quia incumbit uni ex Clericis Camera.
- 4 De Bulla Pistorum, & istorum privilegia.

5 De

- 5 De Congregatione annonæ.
 6 An annonæ gaudeat privilegijs fisci super exemptione gabellarum.
 7 De Præfetto graficiæ.
 8 De Præfide dohanarum.
 9 Camera est iudex appellationis ab omnibus his Præfidebus, vel Præfectoribus.
 10 De Præfide riparum.
 11 De Camerario riparum.
 12 De Præfide zecche monetarum.
 13 De Præfide Archiepiscopii.

Agendo supra de Tribunali Camera Apostolica constituto ex duodecim Prælatibus, qui Clerici nuncupantur, *disc.* 33. mentio habita est huiusmodi Præfecturarum, & Præsidentiarum qui singulis annis distribuuntur inter ipsos Clericos; De Præsidentatu autem viarum aliquid insinuatum est supra agendo de Tribunali Edilium seu Magistrorum viarum; *disc.* 38. Et de altero Præsidente carcerum, pariter mentio habita est supra agendo de Congregatione Visitationis carceratorum; *disc.* 39. Quare de aliis in præfenti agendo.

Quatenus pertinet ad Præfectum Annonæ, qui unus ex Camera Clericis esse solet, pro frequentiori autem praxi, non cadit sub annuali extractione aliorum officialium, sed per Papam ad libitum deputari solet, eo quia requiritur videatur quædam personæ industria, majorque aptitudo; De iure administratio Annonæ Civitatis, ipsimet Civitati vel populo, ejusque magistratui ordinario communitatis, vel particulari hujus rei annonariæ seu publicæ abundantia incumbet; *tit. de Regal. disc.* 44. & 45. & 125. Talisque erat etiam in Urbe antiqua praxis, quæ immutationem recepit sub Gregorio XIII. qui eam commisit uni ex Clericis Camera, sub Præfecturæ nomine seu vocabulo, & cum jurisdictione in omnibus causis, quæ hanc materiam concernant, tam pro conservatione, & augmento agriculturæ, ex qua annonæ utilitas pendet, quam etiam, super cura & vigilantia, ne triticum aliæque fruges extrahantur, sive de loco ad locum, præter bannimenta, & ordinationes asportentur, ac etiam super necessitate denunciandi quantitatem, & qualitatem frumenti, aliarumque frugum recollectarum; Sive invigilando, ne fiant dardanariæ, seu monopolia, aut illæ exemptiones notabiles, ad mercaturam, quæ incerta vulgo dicuntur, ex quibus monopolia resultare solent.

Prout etiam super jurisdictione cum pistoribus Urbis; eorumque sustentatione, & Cognitione causarum cum eorum creditoribus, ad normam Constitutionis Urbani VIII. editæ, eorum favore, & quæ Bulla Pistorum vulgo appellatur, cuius non contemptibilia commentaria edidit quidam Curia Advocatus; *Antin. ad Bullam Pistorum de qua tit. de credito disc.* 37. & *tit. de dote disc.* 166. Et in summa super omnibus aliis, quæ istam rem non annonariam concernant occasione provisionis frumentorum ab extrâ, dum pro ejusdem annonæ beneficio, atque ad evitandum mercatorum, & dardanariorum oppressiones juxta exemplum Ioseph in Ægypto, ex publico ære, sub ejusdem Præfetti administratione, mediante opera multorum ministrorum, & officialium in publicis horreis ad id destinatis, notabilis critica quantitas haberi solet reposita; Ad eod

ut iste videatur magistratus nimium considerabilis, qui speciem formati Tribunalis constituit; Unde propterea frequenter habet audientiam Papæ, quem super iis, quæ concernunt hanc materiam quæ ad eod publicæ quieti, ac populi beneficio & administrationi confert, consultit, ut ex ejus oraculo oportunas provisiones accipiat; Et quando in annis penuriosis ita expedire judicetur, convocari, & haberi solet illa Congregatio annonæ, quam inter plures ab eo erectas Sixtus V. instituit ut in præcedentibus insinuatum est. *supra disc.* 27.

Huiusmodi verò annonariæ provisiones, vel respectivè distributiones, quæ pistoribus, vel civibus fiant, quæstiones parere solent cum gabellariis, & dohanariis, an scilicet pro isto frumento solvi debeant gabellæ, vel pedagia, aliave onera, quæ per privatos solvuntur pro introductione vel transitu, sive pro molitura vel aliâ contractatione; Dubitandi rationem præbente juris dispositione seu regula eximente ipsum Principem, vel Civitatem ejusque fiscum gabellæ locatorem, ab eisdem gabellæ onere; An scilicet ista dicenda sit res, vel administratio fiscalis, quæ isto potitur privilegio; Atque licet pro generali consuetudine iuristarum, non desit opinionum connaturalis varietas, vel scissura; Et tamen probabilis ac recepta videtur distinctio, an scilicet ipse Princeps ejusque officiales, & ministri id agant in sola ratione prudentis, & æconomice administrationis, erogando pecuniam fiscalem, quæ pro huiusmodi provisionibus in magna quantitate requiritur, de illa tamen se reintegrando in ejusdem frumenti distributione seu explanatione, ad eod ut onus vel respectivè exemptio gabellarum, spectato effectu percutiat potius commodum dum vel respectivè incommodum privatorum, civium, & incolarum, qui frumentum, vel panem emanat, & tunc fiscalis exemptio non intrat; Secus autem ubi Princeps, ejusque fiscus id agat, gerendo illas partes, quæ eidem, tanquam patri subditorum, penuriosis, vel alias accidentalibus temporibus incumbunt, ut scilicet gratuitus panis pauperibus, ac indigentibus distribuatur, sive quod omnibus distributio fiat pro minori pretio, supplendo de proprio id quod major impensa importet; Et in summa spectato effectu, an scilicet id quod importat solutio gabellarum, tendat in damnum ac jacturam ipsius fisci, vel e converso onus reverà supportetur à populo, ipsisque privatis, frumenti vel panis emptoribus ut primo casu intret exemptio fiscalis, non autem in hoc posteriori, ut latius ac particulariter advertitur in Regalium lede. *ditto tit. de Regal. disc.* 44. & 45. 125.

Præfetto Graficiæ, est pariter unus ex Clericis Camera, eodem modo, quo ille Annonæ ad nutum Papæ deputari solitus, cuius cura est, ad instar Annonarii, super Civitatis ubertate, ac provisione omnium aliorum victualium, occurrendo dardanariorum oppressionibus, tam circa carnes ordinarias, ac silvestres, quadrupedum, & volatilium, quam circa pisces, ac fructus & olera, omniaque alia, quæ humanum victum concernunt, ideoque invigilat ac personaliter assistit in nundinis vel mercato, quod qualibet hebdomada fit in campo boario, aliisque destinatis locis animalium mactandorum,

atque jurisdictionem habet cum macellariis, & piscium venditoribus, ac aliis tenentibus apothecas falsamentarias; Et in summa super iis omnibus, quae concernant victualia, eorumque gratiam, adeo ut speciem Tribunalis quoque constituere videatur, eo modo de Annona Praefecto est dictum.

8 Dohanarum Praeses, qui pariter est unus ex Clericis Camerae, atque videtur officium quodammodo annexum Decano, habet cognitionem causarum seu controversiarum quae cadunt super modo solvendi dohanam terrestrem vel maritimam aliasque gabellas, nec cives vel mercatores à Dohanariis, & gabellariis graventur ultra debitum; Sive ubi quaestiones potioritatis vel concursus orientur, ut in Regalium sede, ac alibi habetur *tit. de Regal. disc. 65. cum seqq. & tit. de jurisdic. discurs. 83. ubi de iudice Regalium.*

9 adeo ut dicatur in hac materia Iudex ordinarius primae instantiae, atque ab eo appellatur ad ipsam Camerae; Idque generaliter procedit in omnibus aliis huiusmodi Praefectis seu Praesidibus.

10 Praeses Riparum curam habet eorum quae per flumen vehuntur ad Urbem à partibus mediterraneis vel montanis & propriè illarum mercium quae exonerantur in loco qui nuncupatur Ripetta; Et praesertim, ac generaliter id redolet praefecturam provisionis, & abundantiae Urbis in lignis combustilibus, & in carbonibus, ut pariter occurratur monopolis, & dardanariis quae in hoc genere cadere possunt, nimiumque refert, ut ista cura diligenter adhibeatur, unde propterea habetur iurisdicctio cum mercatoribus lignorum & carbonum, ac etiam cum nautis, & ductoribus currum seu carettae cum quibus ligna vehuntur, aliisque operariis circa idem ministerium.

Adest etiam alter Magistratus Riparum qui vocatur Camerarius qualis esse solet aliquis nobilis civis, vel incola tamquam per Magistratum Populi, cum suo Assessore, de hoc magistratu dicto *disc. 83. de jurisd.*

11 Zecchae Praeses praestitit cussioni monetarum, ne fraudes fiant, apponendo majorem ligam, dum Principis cura esse debet, pro publico commercio, ac populorum sibi subditorum utilitate, ut moneta habeat suum justum valorem, ac propterea sit ubique expendibilis, etiam extra principatum ut in Regalium sede advertitur, *tit. de Regal. disc. 121. & 126. cum seqq.* ideoque jurisdictionem habet cum omnibus iis qui huic ministerio vacant; Nec non super qualitate monetæ jam cussæ, propriæ, & exterae ne impendatur tonsa, vel minoris ponderis, seu falsificata, atque super hoc nimium invigilatur, magnique rigores quando casus contingat, adhibentur & merito.

12 Archivi Praeses habet praesidentiam & curam eorum quae concernunt instrumentorum, & scripturarum conservationem, tam in Urbe, quam in universo Statu ecclesiastico, ut scilicet archivia bene teneantur, & custodiantur, atque in eis ad formam Apostolicarum Constitutionum, & bannimentorum, Notarii exhibeant sumptum instrumentorum, aliarumque scripturarum, atque ad hunc effectum destinari solent visitatores, vel Commissarii; Id autem licet bonum habeat finem, atque proveniat ex bona

causa, producere tamen solet malos effectus, eo modo quo de commissariis spoliatorum vel fabricae superioris insinatum est; Ut in Regno Neapolitano docet praxis illorum visitatorum vel commissariarum, quos deputat Protonotarius, quod sonat in idem.

De aliis autem officiis, quae inter istos Clericos distribuuntur, mentio habita est supra, agendo de Tribunali Camerae, dum non ita redolet speciem Tribunalium in Urbe ut praemissa.

DISC. XLI.

De Cardinalibus Archipresbyteris trium Basilicarum Patriarchalium; Ac etiam de eorumdem Cardinalium jurisdictione in propriis titulis.

S V M M A R I V M

- 1** DE Archipresbyteris trium Basilicarum Patriarchalium.
- 2** De jurisdictione Basilicae Lateranensis in omnibus Ecclesiis, et hospitibus sitis in solo Lateranensi.
- 3** De Cardinalibus in eorum titulis.
- 4** De Cardinali Decano in Civitate Velleterna.
- 5** De aliis Cardinalibus Episcopis.
- 6** De Abbate Farfensi, & aliis similibus.
- 7** De stylo Baronum, & Magnatum existentium in Urbe.

IN singulis Basilicis Patriarchalibus, quibus Clerici saeculares inserviunt, nempe S. Joannis in Laterano; S. Petri, & S. Mariae Majoris, adsunt Cardinales Archipresbyteri, qui, ut in materia jurisdictionali habetur, *tit. de jurisdic. disc. 35.* sunt Praelati ordinarii, cum quasi episcopali jurisdictione, cum Canonicis, Beneficiatis, & Clericis, aliisque ministris, & servientibus, cum quibus privatim habent jurisdictionem, & cognitionem omnium causarum civilium, criminalium, & mixtarum, unde propterea eas avocant, à quibuscumque aliis Iudicibus, atque ad hunc effectum retinent Vicarium, qui est Praelatus frequentius constitutus in ordine Episcopali, tanquam per speciem illius Vicarii generalis quem habet Episcopus, atque in ulterioribus instantiis, appellationis, vel recursuum, iisdem Archipresbyteri gerere videntur speciem Praefecti Signaturae, deputando Iudices, atque in commissione causarum appellationis cognoscendi; an rescribi debeat de appellatione ad utrumque effectum, vel ad devolutivum tantum, adeo ut sint species Tribunalium, ex quibus latius patere videtur illud Archipresbyteri S. Joannis ex jurisdictione quae habetur in omnibus Ecclesiis, vel hospitalibus sitis in solo Lateranensi, cum exemptione à locorum Ordinariis, ut in jurisdictionali sede advertitur, *tit. de jurisdic. disc. 38. & 39.* Nec non quandam ordinariam jurisdictionem habere videntur in collatione aliquorum beneficiorum, ut in eorum sede habetur.

Ordinarios speciem habent, seu figuram faciunt quoque Cardinales in illis Ecclesiis titularum,

lorum, quæ sint Collegiæ, unde habeant Canonicos, Beneficiatos, Clericos, & servientes, ideoque pariter habent Vicarium generalem, qui Prælatus esse solet, cum eadem cognitione privativa; Cum illis tamen moderationibus respectu Vicarii Urbis, quæ in rerum jurisdictionalium sede insinuatur; *tit. de jurisd. discurs. 34.* Quamvis enim in omnibus titulis eadem sit potestas vel jurisdictio; non tamen idem est effectus ex defectu subiecti.

Tribunalis considerabilis figuram constituit illud, quod regit Cardinalis Decanus per seipsum, vel per ejus Auditorem, ratione Episcopatus Hostiensis, dum habet plenam jurisdictionem, tam in temporalibus, quam in spiritualibus in Veliterna Civitate, occasione appellationum, & recursum à Governatore seu Vicario generali, ita gerendo etiam munus Præfecti Signaturæ super modo committendi; Aliorum etiam quinq; Episcopatum cardinalitiorum jurisdictione est in spiritualibus tantum; Unde propterea non resultat eadem figura, quoniam licet Episcopus Portuensis, qui est Vicedecanus aliquam quoque habeat jurisdictionem in temporalibus, at tamen de facto modica est ex defectu subiecti, ob exiguum numerum incolarum in loco.

Speciem autem Tribunalis, & ad instar constituere seu habere videtur ille Cardinalis, qui fit commendatarius Abbatie Farfensis, non solum ob jurisdictionem ordinariam, cum clero, & populo multorum oppidorum existentium intra præfatæ Abbatie limites, sed etiam ob frequentes controversias, quæ cadunt super illorum incolarum bonis, dum omnia sunt emphyteutica, & de directo dominio ejusdem Abbatie, atque ad ipsum Abbatem seu Commendatarium pertinet deputare Judices in omnibus instantiis; Et quando agitur de causis gravibus, deputare solet unum ex Rotæ Auditoribus, unde propterea illæ causæ, quas in Rota disputatas esse probant quamplures decisiones Farfenses, quas in ista emphyteutica materia habemus, ex istius Abbatis vel commendatarii deputatione cognoscuntur; *tit. de feud. disc. 5. 2. & tit. de emphyteuf. disc. 8. & in supplemento.* Ut etiam proportionaliter contingit in plerisque aliis Abbatibus, quæ sunt nullius, & in quibus Cardinales eandem habent jurisdictionem & potestatem, ut præsertim sunt, Abbatie Pontiani, & S. Eusebii, ac etiam Sublaci, & similes, quoniam ob residentiam, quam Abbates, vel Commendatarii habent in Urbe, ita tot Tribunalium figuram facere videntur.

Prout etiam de facto eandem figuram facere videntur aliqui Barones & Magnates, qui castra, & loca jurisdictionalia habeant, dum, cum bene regulato ordine, retinent Auditores, aliosque ministros, atque statutis cujuslibet mensis vel hebdomadæ diebus tenent Congregationes, in quibus audiuntur vassallorum recursum, & quærelæ adversus gravamina, quæ à Governatoribus aliisque inferioribus Judicibus inferantur, quod commendabilem introductionem, & usum redolet.

* * *

* *

DISC. XLII.

De Cardinalibus Protectoribus plurimum piorum locorum; Et de Judicibus, qui per eos deputantur; Ac etiam Protectoribus, & de Generalibus Religionum.

SUMMARIUM.

1. **Q**uod in Urbe adsint multa pia loca cum Judicibus particularibus.
2. De Iudice Montis pietatis.
3. De Iudice Hospitalis Sancti Spiritus in Saxia.
4. De aliis Hospitalibus habentibus Iudices particulares.
5. De Iudice Societatis Annuntiatae.
6. De illo Hospitalis Sancti Sixti.
7. De illo Neophitorum.
8. De Iudicibus aliorum Conservatoriorum, vel Monasteriorum.
9. De Protectoribus Almae Urbis Laurentiana.
10. De Protectoribus Cappellarum Sixtinae & Paulinae.
11. De Protectoribus Religionum.
12. De Generalibus Religionum.
13. De Iudice Monasterii Converteriarum Urbis.

Quamplura pia loca, ex Apostolicis indulgentiis reguntur sub protectione Cardinalium, vel sub administratione Prælatorum cum plena jurisdictione in iis, quæ ad ipsa loca, eorumque personas, & bona, pertinent, adeo ut tot Tribunalium speciem seu figuram constituere videantur, cum Iudicibus ac Notariis, quæ omnia difficile est singillatim, ac distincte recensere; Tum ob deficientem notitiam; Tum etiam quia nimiam evagationem, ab aliquo tædio non immunem, id pareret; Quare agendo de notabilioribus.

Hujus naturæ est, præsertim Mons pietatis, qui circa æconomica regitur per nobilium secularium Congregationem, cum præsentia unius Prælati, qui pro moderna praxi, esse solet Thesaurarius generalis, atque habet Cardinalem protectorem, qui deputat Iudicem aliquem Prælatum & frequentius aliquem Rotæ Auditorem, cum cognitione causarum pertinentium ad eundem Montem; Et præsertim super modo solvendi illas pecunias, quæ in ejus banco deponantur, sub aliquo vinculo, vel conditione; Sive ubi, defunctis iis, qui deposita fecerunt, contingat solvi debere hæredibus vel aliis, in quos dispositum fuerit; Vel an mandata Iudicum ordinariorum super consignatione pecuniarum exequi debeant; Idemque respectu pignorum ac aliarum contingentiarum: Nec non respectu ministrorum & operatorum ejusdem Montis tam circa administrationem banci, quam etiam circa custodiam pignorum de hoc Monte pietatis Urbis ejusque regimine & Iudice habetur sub *tit. de tutor. & administrator. disc. 1. §. titul. de credito disc. 67. de testam. disc. 40. tit. de Miscellan. Ecclesiast. disc. 36.*

Hospitale Sancti Spiritus in Saxia, quod administratur per aliquos Religiosos illius ordinis, qui figuram faciunt clericorum secularium,

cum

cum signo cujusdam crucis albæ in pectore, sub majori præsentia & administratione Prælati, qui Perceptoris nomen seu titulum habet, quoniam suum habet judicem particularem, qui est Prælati, & frequenter Rotæ Auditor, cum jurisdictione in causis ministrorum & servientium, aliorumque officialium, ac etiam bonorum juxta facultates contentas in Apostolicis indultis, circa quas generaliter respectu omnium aliorum locorum certa regula statui non potest cum diversas habeant circumstantias pro indultorum diversis tenoribus, *de quæstionibus disputatis coram isto judice habetur tit. de locat. & conduct. disc. 50. tit. de fideicommiss. & alibi.*

Idemque habetur in plerisque aliis Hospitalibus, nempe; Sancti Jacobi Incurabilium; Sanctissimæ Trinitatis peregrinorum & convalescentium; S. Rocchi; Salvatoris, Consolationis, & aliorum in quibus, & præsertim in tribus prioribus, adsunt Judices, qui esse solent etiam Prælati.

Particularem quoque Judicem deputatum à suo Cardinali Protectore, cum magna audentia, & figura Tribunalis, habet insignis Archiconfraternitas Annuntiata, ob continuas controversias quæ contingunt, occasione dotium, quas ipsa in tam magno numero distribuit pauperibus puellis, juxta ea quæ, super civilibus quæstionibus, in dotali materia insinuatur; *tit. de dote disc. 7. & seq.* Ac etiam super earumdem dotium conservatione, vel assecuratione, adversus creditores ipsarum puellarum, quod etiam contingit in plerisque aliis piis Societatis simile institutum proficientibus; Nempe (ex.gr.) Consolationis; S. Hieronymi Charitatis; Crucifixi. Beatæ Mariæ de Planctu; Beatæ Mariæ de Monte Carmelo; Rosarii, cum plerisque aliis in magno numero.

Considerabilis videtur jurisdictio Cardinalis Protectoris Hospitalis Senum, sub invocatione S. Sixti, quod à Sixto Quinto erectum fuit, dum duplicem deputat Judicem, unum scilicet civilem, & alterum criminalem, cum jurisdictione in universo Statu Ecclesiastico, singulisque locis, in iis quæ concernant bullam alearum lusoriarum, quod ex Apostolica concessione, ejusdem Pontificis Sixti obtinet, quoniam ita huic foro privative, cum exemptione ab aliis, subiacent, Appaltatores, ac sub appaltatores, Commissarii, & alii ministri circa ministerium hujusmodi alearum, aliquibus provinciis, vel Civitatibus exceptis, ut in Regalium sede pluries insinuatur, *titul. de Regal. discurs. 79. 80.* Ac etiam in Urbe & locis adjacentibus aliquam habet jurisdictionem super iis quæ concernunt consimilem gabellam, quam ex ejusdem Pontificis concessione possidet, super lignis, tam combustibilibus, quam fabrilibus, sive per Flumen, sive per terram introducuntur, & super quibusdam aliis speciebus, quæ per ejusdem fluminis navigationem introducuntur, ut in eadem Regalium sede habetur mentio, & sic est quædam jurisdictio, quæ latius patet, dum restricta non est ad solas personas loco pio additas sive ad sola bona differentia quæ ab ipsis possideantur, ut in aliis contingit. *de isto hospitali diciturque appaltibus tit. de Regal. disc. 79. & duob. seqq. & alibi.*

Prout etiam alicujus latitudinis, & præsertim cum populo Hebræorum vivente in Urbe,

aliisque partibus Status ecclesiastici, est jurisdictio Cardinalis Protectoris Collegii Neophytorum, dum ultra illam, quam habet cum personis in eo collegio viventibus, ejusque servientibus ac ministris, & in iis, quæ concernunt bona, & jura ab eo possessa, jurisdictionem habet cum dictis Hebræis in illis, quæ concernunt personas eorum, qui ad Christianam fidem conversi sint, ac circa bona & jura ad eos pertinentia quæ cum aliis Hebræis possideantur, sive ex successione in eos deveniant; Vel quod eos neophytos à pio proposito avertere satagant.

Item multa similia adsunt loca pia, & Monasteria seu puellarum Monasteria, & Conservatoria, quæ ex Apostolico indulto tuos habent Protectores, à quibus Judices particulares deputantur, cum simili cognitione, seu jurisdictione privativa; Ut sunt (ex.gr.) Hospitale amicum; Collegium orphanorum; Conservatoria puellarum SS. Quatuor & S. Euphemie; Monasterium Sanctæ Sufannæ; Ac etiam Academia Pictorum complexivæ plurium exercitorum, quæ tendant in idem vel approximant, ut in Regalium sede advertitur; *tit. de Regal. disc. 99.* Et pleraque alia, quæ forsitan tædiosum esset minutatim reassumere.

Collegium Germanicum est sub protectione quatuor Cardinalium, atque habet suum Judicem particularem privative, cum amplis facultatibus, aliaque similia adsunt.

Nimium ampla, & considerabilis jurisdictio, omnibus præmissis major, in provincia tamen Marchiæ, aliisque locis adjacentibus, potius quam in Curia, est illa Cardinalis Protectoris Almæ Domus Lauretanæ; Et de qua particulariter agitur in rerum jurisdictionalium sede, ubi videri poterit. *tit. de jurisdict. disc. 33.*

Ibique etiam agitur de jurisdictione Cardinalium Protectorum duarum insignium cappellarum existentium in Basilica Sanctæ Mariæ majoris, Sixtinæ scilicet, & Paulinæ, adeo ut sub quæstione sit, an constituent territorium separatum ab ipsa Basilica ex ibi deductis; *tit. de jurisdict. 35. & 19.* cum plerisque similibus protectionibus quæ sunt in usu.

Quamvis enim regula sit, quod protectio non tribuit jurisdictionem, vel fori competentiam; Attamen illa ex Apostolicis indultis recipit limitationem, quæ varia est, pro ipsorum indultorum majoris, vel minori amplitudine, ideoque certa regula desuper statui non potest.

Adsunt quoque Cardinales Protectores Religionum quibus quædam jurisdictio, quamvis non contentiosa, sed eo more, qui inter Religiosos adhibendus est, competit, atque ejus exercitium, solet esse, majus, & minus, pro ipsorum Protectorum genio, vel stylo, super religiosorum recursibus adversus superiores; Aliqui etenim consuetudinem habere solent se ingerendi in omnibus, etiam minutis, gerendo potius partes superiorum, ac Prælatorum localium; Alii verò (& commendabilis) gerunt partes Protectoris, protegendo scilicet Religionem, ejusque jura, & privilegia tuendo, ac etiam in gravibus occurrentiis invigilando, cum regulis prudentialibus potius, quam cum jurisdictionalibus, ne subditi à superioribus opprimantur; Ac etiam

ut

ut illis occurrat inconvenientibus, quæ Religionem in universum præjudicare possunt.

Quandam Tribunalium speciem constituere seu figuram facere videntur, in forma tamen magis extrajudiciali, & non contentiosa, superiores Generales Religionum, qui pro magna parte resident in Curia, apud Pontificem, cognoscendo, & decidendo controversias, quæ inter Religiosos occurrant, & quorum plerique à Provincialibus, vel localibus superioribus, se oppressos opinantes, ad Generalem recurrere solent, ejusque conspectui se præsentare, sive coram eo se constituere, quandoque se constituendo formiter in carcere, adeò ut transportato processu, adhibeatur formalis cognitio causa.

Frequentiores autem disputationes, etiam forensi more, cum Advocatis, & Procuratoribus, ac Affessoribus respectivè, haberi solent occasione electionum, quæ in partibus sequantur, superiorum Prælatorum provincialium, & localium, quæ ipsius Generalis confirmationem de necessitate exigunt, unde propterea electio non sit pacifica, ideoque pro frequentiori praxi illa factionaria minor pars quæ succubuit eam, impugnare solet, ut infirmam potius quam confirmam sit, hujusmodi disputationes assumendo coram Generali, priusquam adeatur Sacra Congregatio Regularium, ut de ipsa agendo superius insinuatum est; Idque præsertim pro frequentiori praxi contingere solet in Religionibus S. Dominici, & Minorum Observantium, ut in rerum regularium sede advertitur. *tit. de Regular. disc. 10. & seqq.*

Monasterium Mulierum Pœnitentium, quæ vulgò Convertitæ nuncupantur, suum habet judicem cum Notario, & fideali aliisque ministris super necessaria successione illarum mulierum quæ vitam inhonestam ducunt juxta ea, quæ in sede testamentorum, & alibi insinuatur. *tit. de testament. disc. 37.*

DISC. XLIII.

De foro militari, sive de jurisdictione Generalis Ducis S. Romanæ Ecclesiæ; Ac etiam Ducis trirremium; Et Custodis Arcis Adriane vel S. Angeli; Et Commissarii armorum.

S V M M A R I V M

- 1 **Q**uare Papa retineat Milites, & adhibeat arma.
- 2 De Capitaneo generali militia terrestris.
- 3 De illo trirremium.
- 4 De Castellano S. Angeli.
- 5 De Prælato Commissario armorum.
- 6 De jurisdictione ducum, & de foro militari.
- 7 De eodem Castellano S. Angeli.
- 8 De Curia Burgi.
- 9 De Curia Marscalli, vel Sabellorum.
- 10 In quo differant milites Papa ab aliis militibus.

Quamvis Summus Pontifex, sit Princeps ecclesiasticus, & pacificus, qui ab armorum usu, quò magis fieri potest, abstinere quoniam Ecclesia Dei non est gubernanda more castrorum, atque arma clericorum sunt, vel esse debent, orationes, lacrymæ, & jejunia, ideoque præcipuum Pontificis munus in eo versetur, ut alios Principes Christianos, in pace conservet atque bella inter eos componat; Attamen cum sit etiam Princeps temporalis ditionis Ecclesiæ, quæ ex notabili Italia parte constituta est, ultra ditionem Status Avenionensis, & Comitatus Venetini; Hinc proinde cogitur (quamvis invitus) milites, eorumque Duces habere; Tum ad coercendos subditos inobedientes, & potentes; Tum etiam pro defensione, ab hostibus fidei Ecclesiæ, & ab aliis, qui principatus quietem turbare vellent.

Habet itaque more aliorum principatum, Ducem Generalem universæ militiæ terrestris; Tam scilicet illius, quæ in singulis locis ex illa populi parte, quæ huic ministerio, magis apta sit, & qui milites vulgò de militia dicuntur, Quam eorum qui in arcibus retineantur, qui dicuntur præfidiarii; Ac etiam eorum qui pro extraordinariis indigentis conducantur, ac retineantur, vulgò de *leva*, nec non militum pro custodia ipsius Papæ.

Alium quoque habet Ducem generalem classis maritimæ trirremium, cui, juxta varios Pontificum stylos, committi etiam solet custodia locorum maritimorum, cum id tendere videatur ad eundem finem, ob quem ista classis trirremium retinetur, occurrendi scilicet incursionibus infidelium & pyratum; Aliumque habet qualificatum militare ministerium seu officialem majorem, qui deputatur ad custodiam Arcis S. Angeli, sub nomine, seu titulo Castellani.

Prout etiam, deputari solet unus ex Camera Apostolicæ Clericis, qui Commissarius armorum dicitur, tanquam species Consilarii seu Affessoris dicti Ducis Generalis militiarum.

Habent itaque isti Duces utriusque terrestris & maritimæ militiæ, illam jurisdictionem quam ubique connaturalem habere videntur, cum inferioribus Ducibus, ac militibus, juxta regulas fori militaris, quæ tamen ubique non sunt uniformes, dum majores, vel minores facultates, à singulorum principatum legibus, & styliis pendent; Unde desuper apud Doctores, quæstiones haberi solent, & præsertim circa prædictas locales militias, quæ ex populo electo singulorum locorum constituuntur, utque more reliqui populi, in eorum domibus vivunt, an scilicet, & quando inter iste forus militaris privativè ad Judices ordinarios locorum, à quibus exemptionem obtineant, quod aliquantulum in jurisdictionalium sede insinuatur. *tit. de jurisd. disc. 78. & aliquid eod. tit. disc. 33. Rovit. in rubric. pragm. 1. de militibus.*

Custos autem dictæ Arcis S. Angeli, non solum habet jurisdictionem, cum militibus præfidiariis, aliisque officialibus, & ministris, qui in ipsa arce vivunt, sed etiam cum plerisque artificibus, & aliis per Urbem sparsis, qui ea gerant

rant ministeria hujus Arcis munitioni ac servitio oportuna.

Item tota Civitas Leonina, quae vulgò Burgus appellatur, ultra scilicet pontem dicti Castris S. Angelis; Et quae pro custodia Palatii Vaticani constituit quandam speciem munitionis, contradistincta à reliqua Civitate, sub dicti Praefati Ducis Generalis jurisdictione esse dicitur, unde propterea, ratione populi, qui in hac parte, Civitatis vivit, habebatur formalis curia quae Burgi dicebatur cum Judicibus, civili, & criminali, ac fiscali, & notario, & cum familia armata cum proprio Barifello, & carceribus; Verùm à moderno tempore, sub Alexandro VII. sine praedictio jurisdictionis, ac privilegiorum, ad tollendum inconvenientia, quae ex hujusmodi Curiarum, & Tribunalium multiplicitate oriri solebant, istius Curiae, seu partis civitatis regimen, ex quadam speciali delegatione, commissum est quoque Gubernatori Urbis; Ducto exemplo ab Innocentio X. immediato praedecessore, qui omnino suppressit aliud Tribunal seu aliam Curiam, quae Marescalli seu Sabellorum appellabatur, & cujus frequens mentio habetur apud illos praesertim practicos, qui de rebus criminalibus agant, & tamen hodie amplius non est in rerum natura; Talis est rerum mundi vicissitudo, atque morum, ac styli mutatio.

Ea tamen circa milites Papae notabilis differentia dignosci videtur, ut non vigeat illa major incompatibilitas inter militiam saecularem aliorum Principum, & clericatum ad effectum vacationis beneficiorum, vel amissionis pensionum ecclesiasticarum ex rationibus, & fundamentis de quibus praesertim in pensionum sedentia. de pension. disc. 46.

DISC. XLIV.

De aliquibus Collegiis, quae speciem jurisdictionis, ac facultatis saltem voluntariae habent.

SUMMARIVM

- 1 De collegiis publicis Curiae, quae sint.
- 2 De illo Protonotariorum participantium.
- 3 Quando Protonotarii precedant Episcopos, & Archiepiscopos.
- 4 De istius Collegii facultate doctorandi, & creandi Protonotarios.
- 5 De Collegio Abbreviatorum de parco.
- 6 De Collegio secretariorum Apostolicorum, & aliorum officialium Cancellaria.
- 7 De Collegio scriptorum Archivii.
- 8 De illo Advocatorum Consistorialium, ejusque facultatibus.
- 9 De Collegiis Theologorum, & Medicorum.
- 10 De Collegio Cursorum.
- 11 De pluribus Collegiis privatis.
- 12 Praesertim de Collegio Societatis Iesu quod redoleat universitatem studiorum.
- 13 De Collegiis artium & professionum.
- 14 De consulatu Florentinorum.

Ultra Collegia, quae jam in praecedentibus insinuata sunt, nempe; Cardinalium; Auditorum Rotae; Clericorum; Camerae; Et Praelatorum vocantium utriusque Signaturae, quibus contentiosa jurisdictio etiam competit; Alia quoque adsunt Collegia publica, quae licet non contentiosam, aliquam tamen voluntariam habent jurisdictionem, seu aliquas facultates, & praerogativas, nempe

Collegium Protonotariorum Apostolicorum participantium. Istud etenim, ut incidenter alibi insinuatum fuit, est Collegium constitutum ex duodecim Praelatis, qui moderno tempore ad hunc majorem numerum redacti sunt, dum prius erant minoris numeri septenarii, illudque est antiquissimum, in ipsamet primitiva Ecclesia, etiam circa ejus initia, institutum per S. Clementem primum, ut scriberent acta Martyrum; Ideoque praecipuum eorum munus versatur in processibus, qui fiunt super canonizationibus, seu beatificationibus servorum Dei, ob martyrium pro fide, sive ob virtutes eoque Papa Notarios appellat, atque ipsis tantum, in literis, & Constitutionibus Apostolicis hoc attributum proprie antiquitus conveniebat; Verùm quia per quandam extensionem factam per DD. in reservationibus Apostolicis beneficiorum, sub hoc nomine veniunt etiam illi Protonotarii simplices absque Praelatura, qui creantur, non solum per Papam sed etiam ex ejus auctoritate, per istudmet collegium, ac etiam Cardinales, & Legatos, ac Nuntios, & Episcopos assistentes cappellae Pontificiae, in certo numero respectu ve praenito. Hinc propterea hodie stylus est, quando Papa de istis Protonotariis agit, quod eos explicat cum illo adjecto *de numero participantium*, ut ita distinguantur ab aliis simplicibus.

Istud officium est venale, ratione emolumentorum, valoris scutorum duodecim mille circiter, magis, vel minus juxta temporum contingentias, ex quibus emolumenta crescere, vel decretere solent, ideoque non habet praetium fixum, sicuti habent clericatus Camerae redolet tamen ratione antiquitatis quandam praetium honorificam, & existimabilem, ideoque pro frequentiori contingentia, penes viros nobiles, & qualificados esse solet; Atque praecedentiam in cappella, aliisque functionibus habet, supra omnes Praelatos, post illos ordinis Episcopalis etiam, supra Auditores Rotae, & Clericos Camerae, quamvis isti constituunt collegia jurisdictionalia, longe majoris jurisdictionis, & existimationis; Quinimò in aliquibus publicis functionibus cernitur, quod praecedunt etiam Episcopos, & Archiepiscopos, in equitationibus scilicet solemnibus, quae fiunt in ingressu Regum, & magnorum Principum, sive eorum Oratorum obedientia.

Siquidem primum locum occupant Episcopi assistentes cappellae Pontificiae, deindeque Protonotarii, atque post eos accedunt Archiepiscopi, & Episcopi, aliique Praelati, juxta eorum ordinem; Idque aliquibus parum informatis, exorbitans videtur; Sed revera non est, ex duplici ratione; primò nempe, quia isti incedunt in habitu solempni cum cappa magna supra rochetum, & cum pileo praetatio supra birettum eodem modo quo Episcopi, & Archiepiscopi assisten-

Assistentes, ac etiam Cardinales in illis solemnibus requiritur, in quibus ipsi interveniunt; Puta associando Pontificem, sive occurrendo alicui Regi, vel magno Principi Urbem ingredienti; Aut etiam Cardinali noviter creato, ultra montes; Et consequenter intrat id, quod generaliter est receptum, inter dignitates, & Canonicos, & alios clericos Cathedralium, & collegiarum, quod scilicet parati præcedunt non paratos, ac etiam ipsum Vicarium Generalem Episcopi, dum alii Episcopi & Archiepiscopi non assistentes, incedunt in habitu domestico seu privato, vestis, & mantelletæ supra roquetum non autem cum habitu solenni.

Et secundò quia Episcopi assistentes & Protonotarii, in hujusmodi functionibus interveniunt ex officio nomine Papæ, tanquam repræsentantes eius Curiam, seu familiam, cujus caput seu primus est Palatii Apostolici Præfectus; Alii verò Archiepiscopi, Episcopi, & Prælati, non mittuntur per Papam, sed voluntariè interveniunt, in obsequium illius Principis, vel Oratoris, ideoque corpus familiæ Papæ, unitum incedere debet, non autem pati intersecationem ab aliis, qui non sint de familia, atque diversum gestant habitum, contra debitum ordinem hierarchicum, vel symmetricum.

Habet autem istud Collegium, ultra dictum jus conficiendi processus canonizationum, vel beatificationum, facultatem creandi aliquos protonotarios inferiores, ac etiam creandi Doctores in utroque jure; Bene verum quod ista facultate parce uti solet, idque forte provenit ex eo quod non de facili hanc viam tenent illi, qui istum gradum assumere volunt ob minorem existimationem de facto, vel ob difficultates, an hujusmodi doctoratus suffragetur, pro illis officiis vel dignitatibus pro quibus requisitus est Doctoratus, in aliqua publica universitate, vel academia; Quamvis enim agatur de Collegio, ideoque sit gradus magis qualificatus, quam ille, qui confertur per singulos qui eandem, ex Papali, vel imperiali concessione habeant facultatem; Attamen, cum non agatur de publica universitate, vel academia studiorum, idcirco aliqua dubitandi ratio subesse videtur.

Aliud est pariter prælatitium collegium Abbriviarorum, qui de parco majori nuncupantur, quorum mentio habita est supra occasione agendi de Cardinali Vicecancellario, & de Cancellaria Apostolica, quod ita aliquam jurisdictionem exercere videtur, atque speciem Tribunalis redolere; circa illud munus expeditionis literarum Apostolicarum, dum quamplures in Cancellaria oriri solent quæstiones, super modo addendi aliquas clausulas, quæ in supplicatione non contineantur, sive contentas extendendi, aut circa alia, quæ deciduntur per eos collegialiter in forma Tribunalis; Atque super isto collegio quamdam celebrem habemus Rotæ decisionem, occasione agendi de quæstione præcedentiæ cum illo officiali Cancellariæ, qui Corrector dicitur. *Seraphin decisio. 716.*

De Secretariorum Apostolicorum collegio actum pariter est supra occasione agendi de Secretario Brevium; Atque inter multos officiales Cancellariæ, quorum mentio pariter habita est in dicta rubrica, Cardinalis Vicecancellarij, adsunt quam

Card. de Luca. Relatio Curie Romanæ.

plura collegia, juxta ipsorum officiorum genera, quoniam omnes illi officiales, qui habeant officium ejusdem generis, vel qualitatis, collegium constituunt cum quodam ministro seu officiali, cui cappellani nomen tribuitur, unde propterea collegialiter quamplura negotia explicare solent ad eorum officium respectivè pertinentia.

Alicujus majoris, ac amplioris potestatis videtur Collegium scriptorum Archivij, tam circa ea quæ supra agendo de Præside Archivij insinuata sunt quam etiam circa facultatem creandi Notarios publicos, dum in curia penes istud Collegium residet; Ac etiam circa facultatem legitimandæ bastardos, ad limites tamen constitutionis Pii IV. nempe sine præjudicio venientium ab intestato ut præsertim in materia fideicommissaria frequenter agitur.

Collegium Advocatorum Consistorialium, de quo agitur infra generaliter agendo de Advocatis, & Procuratoribus aliisque Curialibus, aliquam habere videtur jurisdictionem, ac redolere speciem Tribunalis, ob facultatem doctorandi in utroque Jure canonico, & civili, quam nomine publicæ Romanæ Universitatis exercet; Ac etiam ob regimen & administrationem ejusdem Universitatis studiorum, quæ sub nomine Sapientiæ in Curia explicatur, dum coram eis collegialiter congregatis, præsidente illo Cardinali, qui per Papam deputari solet, fit concursus Lectorum, & Professorum ad cathedras vacantes, sive adoptiones majorum.

In eadem Universitate vel Sapientiæ adsunt etiam Collegia Theologorum, & Medicorum scientificorum, qui physici appellantur, ad differentiam chyrurgorum practicum, & mechanicorum; Atque penes utrumque Collegium residet quoque eadem potestas doctorandi in propria professione respectivè.

De collegiis Notariorum agitur infra in eorum particulari Rubrica; Et ultra eos adest collegium Curforum Papæ, quorum officia sunt venalia in numero præfinito, juxta Urbis partes, vel regiones quæ inter ipsos distributæ sunt, pro exequendis citationibus Tribunalium, Rotæ, Cameræ & Auditoris Cameræ, ac etiam Iudicum commissariorum, & sacrorum Congregationum; Exceptis Tribunalibus, Vicarij Capitolij, & Gubernatoris, ac etiam Adilium, & Consulum Agriculturæ, quæ sunt Tribunalia privata Urbis potius quam Tribunalia Curie Papæ tanquam Papæ, cujus isti dicuntur Cursores, ideoque dicta alia tribunalia habent proprios mandatarios, qui istud munus gerant, exequendi eorum citationes; Istorumque Curforum munus principaliter versatur circa intimationem cappellarum & Consistoriorum, aliarumque functionum Pontificalium, Cardinalibus & aliis, ac etiam circa Apostolicarum Constitutionum publicationem in acie campi Floræ, ubi in aula ad id destinata unus ex eis per turnum, qui Magister Curforum dicitur, ad quoddam præfinitum tempus residet cum banco, in quo retinentur omnes commissiones jam signatæ, ad effectum illas incapsandi, ut earum vigore procedi valeat; Unde propterea Practici agendo de prosecutione appellationis, adhibent illi terminum obligationis redimendi commissionem à banco Curforum; Atque in eodem loco exposita tenetur tabella indicativa dici,

in qua, post eius indictionem, teneri debet Confistorium, vel Signatura Gratia; aut Iustitia; Atque de isto officio agitur præsertim in materia societatum officii, quæ super his officiis frequentius fiunt.

Ista sunt collegia publica; Quamplura verò alia adsunt privata, scholarium, & alumnorum in magno numero, & præsertim exterarum nationum ad eos institutos in sacris literis, ac in aliis pertinentibus ad Fidem catholicam, nempe; Germanorum; Græcorum; Angelorum; Scotorum; Hybernensium; Maronytarum; & aliorum; Ultra quamplura alia collegia, quæ ex privatis, & piis dispositionibus instituta sunt, in quibus adolentes retinentur; Et ultra majora collegia, illud scilicet Propaganda fidei, cuius mentio habita est, agendo de ipsa Sacra Congregatione, ac etiam alterum Societatis Jesu, quod exceptis facultatibus legum, & medicinae, revera Romanam Universitatem studiorum, potius constituit, vel representat, quoniam licet in Sapientia adsint Professores seu Lectores Theologiae, Philosophiæ, & aliarum facultatum vel artium liberalium; Attamen videtur potius quoddam studium cerimoniale.

Habentur quoque plura collegia aliquarum artium, & professionum, & præsertim à moderno tempore, illa artium, serici, & lanae, cum propriis Consulibus, eorumque; Iudicibus, vel Assessores, cum jurisdictione, & causarum cognitione, ultra illos consolatus, qui sive ex indultis, sive ex voluntaria conventionione habentur, ut præsertim est consulatus nationis Florentinorum, qui habet proprium Notarium, in cuius officio præsertim eorum Ecclesiam propriam Sancti Joannis Baptistæ hujus industriæ nationis, quæ in Curia, nimium est super omnes alias copiosa negotia explicantur, de ista natione, eiusque Ecclesiæ & privilegiis tit. de Paroch. disc. 24. cum pluribus similibus.

DISC. XLV.

De Oratoribus Regum & Principum, ac Republicanum, & Civitatum.

SUMMARIUM.

- 1 **D**e figura quam faciunt in Curia, Oratores.
- 2 De differentia inter Oratores ordinarios & extraordinarios.
- 3 De distinctione inter Oratores Principum, & Civitatum subditarum.
- 4 Laudatur stylus, ut Civitates etiam subditæ retineant Oratores apud Principem proprium.
- 5 Quale jus attendatur in exemptionibus oratorum Principum.
- 6 De legibus loquentibus de Oratoribus Principum.
- 7 Quod erroneum sit procedere cum regulis legalibus.
- 8 Ideoque ista materia incongrua est juristis.
- 9 Exemptio personarum Oratorum est certa.
- 10 De stylo, & dominio antiqui Imperii Romani.
- 11 Quid de eorum comitibus, & familiaribus.
- 12 De quibus exemptionibus, & franchitiis loquantur Doctores.

13 De eodem circa cognitionem causarum.

14 De eodem de quo n. 7. & 8.

15 De prudenti responso Innocentii X. super debitis contrahitis per Oratores.

16 De eodem de quo n. 5. & seq.

Inter illas, publicas, & conspicuas personas, quæ in Curia, magnam faciunt figuram, atque Magistratum speciem redolere videntur, cum ipsius Curia magno decore, ac majestate; Merito censendi veniunt Imperatoris & Regum, aliorumque Principum, & Republicanum, ac aliarum Civitatum Oratores apud Pontificem; Istique sunt duplicis generis. Alii enim extraordinarii dicuntur, qui mittuntur, ut Pontifici noviter erecto, ipsorum Regum, & Principum, aut Republicanum nomine, obedientiam præstent, illumque in Beati Petri successorem, & Christi Vicarium recognoscant; Alii verò ordinarii, qui apud ipsum Pontificem ejusque Curiam, pro suorum respectivè Regum vel Principum, aut Republicanum negotiis assistunt, ut generaliter in imperatoris, ac Regum, & Principum, & Republicanum Curis, ille promiscuus Oratorum usus habetur.

Differunt autem, extraordinarii, ab ordinariis in aliquibus præminentis, vel honorificis tractatibus, quibus primi, non autem alii potiuntur; Tum circa receptionis, vel audientie magnam solemnitatem, in publico consistorio, prævia duplici solemnitate equitatione, una scilicet in ingressu Urbis, & altera pro admissione ad audientiam cum occurso, & associatione respectivè familiae Papæ aliorumque Prelatorum, & nobilium, juxta ea quæ supra agendo de collegio protonotariorum, ac etiam infra agendo de hujusmodi solemnibus equitationibus recensentur; Tum etiam quod ex ipsorum Principum diversa qualitate, vel præminentia, in diversis Regiis, vel Ducalibus aulis recipiuntur, atque ad Pontificis mensam admittuntur, aliosque honorificos tractatus recipiunt, utpote Oratores magis solemnes, ratione solemnioris negotii, quod peragunt; Ac etiam quia, ubi de Republicanum, vel Civitatum Oratoribus agitur, ordinarii sunt singulares, nempe unus tantum, qui apud Pontificem assistit; Extraordinariorum verò numerus est major, dum ad universitatem denotandam, quatuor esse solent.

Ordinariorum verò honorifica tractamenta varia sunt pro ipsorum Principum diversa qualitate, ac majori vel minori præminentia; Tam circa modum familiariter alloquendi in aula Summum Pontificem, sedendo super scabello, & capite cooperto ad instar Cardinalium vel respectivè itando capite discooperto; Quam circa alia quæ ad cerimoniarum Magistratos potius pertinent, atque Curiam cerimoniale percutiunt; Ac etiam circa exemptiones & immunitates, quas de jure, vel de facto obtinent ex aliqua tolerantia, & quarum expressio solum, huic relationi congruit.

Adhunc autem effectum, alia hujusmodi distinctio cadit, [sive sint ordinarii sive extraordinarii] inter illos scilicet, Regum, & Principum, ac Republicanum in quibus recognitio, pro

pro sola spirituali superioritate pontificia fiat, vel subiectio cadat, absque actuali subiectione in temporalibus, juxta distinctionem de qua supra habetur, agendo de Pontificis potestate; Et Oratores Civitatum subditarum Papae in temporalibus; Ut sunt tam Ordinarii, quam extraordinarii Oratores Civitatum, Bononiae, & Ferrariae, quarum nobilis, & generosus stylus, perpetua quidem commendatione dignus est, ad aliquem confusionem (ex zelo, & benevolentiae motivo insinuatam) aliquarum magnarum & metropolitinarum Civitatum subditarum, & praefatum Neapolitanam; Si quidem licet praefata Civitates nimium nobiles, & qualificate sint, atque aliquam considerabilem habeant ditionem, vel provinciam; Attamen comparative minores, vel parvae dici possunt tam scilicet facta comparatione populis ac Baronum & Magnatum & nobilium, ipsarum Civitatum respective, quam etiam facta comparatione ditionis, vel provinciae; cuius respectu, vel de jure, vel de facto, ea sit metropolitica, & caput; Si quidem praedictarum Civitatum, provincia, vel ditio respective, longe minor est, quam sit omnium minor, magisque exigua provincia, scilicet duodecim, ex quibus illud Regnum constituitur; Et tamen istae Civitates, cum magno decore, quandam Principum, vel Republicanum figuram faciendo, quatuor Oratores obedientiae novo Pontifici transmittunt, atque ordinarium fixum Oratorem, apud eum retinent, qui ad audiendam Papae statutis diebus, ad iussu Oratorum Principum cum decenti tractatu, admittuntur (cum ea tamen differentia quae facienda est inter subditos, & non subditos temporales); Atque in dies, tractando cum Cardinalibus, aliisque Curiae officialibus, privilegiorum, ac iurium propriae Civitatis conservationi vacant, & quarelas, vel recursus oportune porrigunt adversus gravamina quae recipiantur a Legatis, aliisque Officialibus, quibus non modicum frantum id infert, Commendatione vero dignus est converso non videtur ille stylus Neapolitanae Civitatis, & similia, transmittendi solum ad proprium Principem Oratorem extraordinarium, pro extraordinariis occasionibus, quarelarum, & recursuum per quandam speciem odibilis, ac non existimabilis accusatoris vel instigatoris, quam redolere videtur, ideoque inconveniens non occurritur, ut oportune occurreret, si fixus & ordinarius Orator in Curia Regis teneretur, neque ita Praeceptes alique Magistratus conquirendi occasionem haberent, eiusque majus frantum inferretur.

Quatenus itaque pertinet ad huiusmodi Oratorum, Regum, & principum, & Republicanum non subditarum exemptiones, & immunitates, ob quas (ut praemissum est,) quandoque de facto, juxta rerum ac temporum contingentias, Tribunalium, vel Magistratuum quandam imaginem praese ferre videntur, iuristarum stylum irrisione dignum perpetuo censui, atque inter majores eorum ineptias recensere consuevi eorum labores, quoque cum legalibus regulis; vel propositionibus, aut cum DD. traditionibus, hanc materiam agere satagant.

Quamvis etenim in jure civili, aliqua super Legatorum, & oratorum, eorumque comitum, & aulicorum exemptionibus ac privilegiis statuta habeantur, l. fin. ff. de legatione l. lege Italia ff. de Republica cum concord. per Decian. tractat. crim. l. 7. cap. Card. de Luca. Relatio Curiae Romanae.

s. Cabal. resol. crim. 150. Farinac. quest. 112. n. 160. Villadiego de legat. Theatro vite humana verbo Legatus vers. violatio legationis. Attamen, inspecto statu Republicae, vel Imperii Romani, de tempore quo huiusmodi leges prodierunt, seu conditae sunt, illae non adaptantur Oratoribus Principum, qui in temporalibus, aequae supremi sunt, nullam patientes subiectionem, Adeo (ut ex alias insinuat) eorum quilibet dicatur Imperator in proprio Principatu, qui Imperii speciem redoleat, cum magis & minus non variet speciem; Istorum etenim Principum copia, & diversitas hoc posteriori Imperii tempore non dabatur, minusque Republicanum, aliarumque Civitatum usus, qui circa initia infantis, vel adolescentis Republicae habebatur; dum effecta major, amicae & socias, aequae ac inimicas Civitates, vel provincias tractavit, suoque Imperio subiecit confederationem, & amicitiam convertendo in subiectionem, tit. de praesent. disc. 35. (Quod etiam in aliquibus parvis Republicis Italiae, retroactis modernis saeculis, contigisse, per chronicas edocemur) adeo illi, qui imperio subditi non essent, hostes reputarentur; Et consequenter ea quae de Oratoribus, & Legatis disponuntur in dictis legibus, cum quatum dispositione, legalitatis simplicitas, quam plurimum scriptorum procedere videtur, illos percutit Oratores seu legatos, quorum imaginem representant, vel speciem constituunt praefati Oratores subditarum Civitatum, Bononiae, & Ferrariae.

Respectu vero Oratorum Regum, & Principum independentium; Erroneum videtur cum huiusmodi legalibus propositionibus, vel Juristarum traditionibus procedere, dum in iis potius intrant politicae rationes, ac propositiones illius juris, quod vulgo dicitur gentium; Cujus tamen dispositio, nullibi scripta habetur, unde propterea quilibet prohibito, illam effingit, seu constituit, ex quadam ipsorum Principum usu; qui in hoc proposito legem statuere videtur; Sive potius hanc legem statuit, atque huiusmodi quaestionum decisor est, illud verbum, quod efformatur ex illius litteris, ex quibus efformatur ipsum jus, unius earum ordine immutato, ut alibi advertitur, tit. de dote disc. 149. nostra aetate pluries praxis docuit; Unde propterea chronistarum frequenter mendaces, ac affectatas traditiones exquirere non oportet, quoniam revera cum eisdem juxta temporum contingentias, & oportunitates praxis varia esse consuevit, & solet.

Quidquid itaque sit de praedictorum, Oratorum seu Legatorum independentium exemptionibus, immunitatibus, & privilegiis, de quibus meum non est agere, cum revera Juristis ista incongrua sint.

Quatenus pertinet ad legalia, quae adaptabilia sunt illis Oratoribus de quibus ut supra loquuntur leges civiles, cum quarum dispositione Juristae procedunt; Quoad exemptiones & immunitates personarum ipsorum Oratorum, concursus est Doctorum sententiae, super earum competentia, cum ipsaemet leges, tales personas venerabiles, & quodammodo sacrosanctas reputent, ideoque potius dimittenda quam offendenda sint, quoties eas benigne recipere, ac tractare non videatur; in dictis iuribus lit. A. Idque etiam illis temporibus praxis dare poterat, respectu illorum Regum; aliorumque

dominantium, vel Civitatum, aut provinciarum, quæ à fide ac subjectione defecissent, ut in gratiam reciperentur; Et sic semper, jure subditorum potius, quam æqualium, dum Romanum Imperium, æqualem recognoscere dedignabatur, duasque solum constituerebat species; Vel scilicet subditorum & dependentium; saltem in ratione tributi; Vel hostium, attento (ut præmissum est) tempore, quo hujusmodi leges conditæ sunt, non autem primo, infantilis, vel puerilis ætatis Reipublicæ; Et ex quorum temporum neglecta distinctione resultant aliquorum æquivoca, erroresque manifesti.

11 Quare apud nostros, disputandi occasio cadit, respectu familiarium, an scilicet cum eis idem procedat, quod cum ipsis Legatis & Oratoribus; Dubitandi rationem præbentibus præmissis legibus, utpote loquentibus etiam de ipsorum Legatorum comitibus, quæ scilicet personæ sub hoc nomine seu vocabulo comitum veniant; Aliqui enim putant, quod soli assessores, vel consiliarii, sive ipsius legationis necessarii, & connaturales ministri veniant, cum ipsi quoque ab eadem Civitate, vel ab eo, cuius nomine legatio habeatur, transmitti dicantur, ejusdemque corporis membra censenda sint, cuius ipse Legatus sit caput, ad idem opus perficiendum destinata vel apta, *gl. in dicta lege Julia & in l. sed addes in fin. ff. locati.* Alii verò, ut inferiorum famulorum, vel familiarium præfecti solum veniant; in *Theatro vite humana verbo Comitatus.* Et alii, ut indefinite veniant omnes famuli, seu familiares, qui in ipsius Legati, vel Oratoris obsequio, ac servitio sint, cum omnes ipsum pariformiter comitari dicantur; Istaque posterior opinio majores habet sequaces magisque recepta videtur. *Bald. in l. administrantes §. eorum ff. de excusat. tutor. Bonacess. de famul. quest. 35. Berthachin. de gabell. par. 7. quest. 13. n. 35. Franck. March. dec. 425. Villadieg. de Legat. par. 3. quest. 5. n. 10.*

Verum & in hoc dignosci videtur aliquod æquivocum præsertim apud modernos, cum istius opinionis auctor, qui apud Juristas antesignani nomen seu vocabulum sortiri solet, *Bald. ubi supra* percutiat exemptionem; à repressaliis, ac etiam ab aliquibus vestigialibus, & pedagiis, à quibus, cum sint in dicta privatis civibus, & incolis, congruit ut hujusmodi Legati, & Oratores, omnesque eius comites & familiares exempti sint, dum eorum accessus, vel mora respectivè, est occasionalis.

12 Sive etiam quoad jurisdictionalia, tam in civilibus, quam in criminalibus, ut pro delictis, quæ in propria patria, seu alibi patrata sint, & pro debitis alibi contractis, etiam in ipsa Urbe, sed prius, & in alio tempore, aliave occasione molestias pati non debeant, de tempore quo, istam publicam functionem peragunt; Et sic per quandam speciem illius franchitiæ, vel immunitatis quæ concedi solet accedentibus ad nundinas aliæque publica emporia; *tit. de Regal. disc. 131. & 132.* Sive illius exemptionis, quæ conceditur Episcopis, eorumque familiaribus, quando accedant ad visitandum limina Apostolorum ut eas recipere non valeant molestias, quas in ipsa Urbe tanquam in communi patria, vel residentia Principis ideoque in foro competenti, seclusa ista occasione, alias pati possent; *tit. de iurisd.*

disc. 89. Istique sunt termini legales, qui Juristis congruunt.

Manifestus autem eorum error est se ingerere in illis terminis politicis, vel congruentiæ cum quibus procedi debet, vel solet quando agatur de Oratoribus supremorum Principum independentium, eorumque familiarium, vel domesticorum; Quoniam in his, vel consuetudo, vel aliæ temporum contingentia totum faciunt, juxta regulas prudentiales potius quam legales, etiam respectu criminum, quæ in ipsa Urbe patrantur, sive debitorum, quæ ibidem contraherentur, & super quibus integer locus veritati relinquitur, nihil desuper firmando, minusque proprium interponendo iudicium.

15 Illud autem in hoc proposito æris alieni, quod in ipsa Urbe per Oratores, eorumque familiares contrahatur, cum Mercatoribus; & aliis ratione mercium, vel victualium, quæ pecunia credita data sint, Memoria dignum videtur, prudentissimis magnique Pontificis Innocentii Decimi oraculum Quod scilicet, aliquibus mercatoribus, aliisque negotiantibus ad ipsum recurrentibus pro administratione justitiæ, & coactione cuiusdam Oratoris qui à Curia discedebat, saltem per sequestrum vel arrestum bonorum, eos interrogavit, an inviti, & coacti ea bona, & victualia, vel pecunias creditissent, ob aliquam scilicet potentiam, quæ cum eis adhibita esset; Vel potius, quam ultronei, etiam cum favoribus & diligentibus, imò cum muneribus & corruptelis ministrorum tanquam per speciem concursus ad beneficium id egissent; Quoniam primo casu, libenter justitiam ministrari demandasset cum sequestro bonorum, quinimo offerebat ejus interpositionem apud eiusdem Oratoris Dominum, per eius Nuncium pro coactione; Quinimo quod in omnem eventum, ne sub eius regimine, ac publica fide elusi remanerent, ministris Cameralibus, ex ipsius Camera, illorum satisfactionem demandasset; In altero autem casu, sibi ipsis imputarent, cum ita, ob spem magni lucri, quod hujusmodi mercatores, & negotiatores facere satagunt dando merces, & victualia Mercatoribus, aliisque exteris Magnatibus & nobilibus qui ad Curiam accedunt, pecunia credita, quandam speciem contractus, super incerta alea inire videantur. Atque ita in hujusmodi recurrentibus sequutum fuit, id quod in Evangelio legitur de accusatoribus adulteræ, ex Christi Domini oraculo, ut qui sine peccato essent, in eam lapides injicerent. In reliquis autem ut præmissum est, totum facere videntur principatum styli, qui etiam pro rerum ac temporum circumstantiis, & oportunitatibus, varii esse solent, atque à prudentialibus potius, quam à legalibus regulis normam recipiunt ideoque prorsus incongruum est Juristis de his agere.

55 (0) 50

DISCURSUS XLVI.

DE CURIALIBVS IN GENERE.

De Curialibus caufidicis, nempè; De Advocatis, De Procuratoribus, vel caufarum Patronis; De follicitatoribus, & aliis caufarum, vel negotiorum actoribus; Istaque occasione agitur de Collegiis Advocatorum, & Procuratorum Confistorii; Et de Advocatis fisci; De Commissario Camerae; & Procuratoribus pauperum.

Ac etiam de modo scribendi, vel confulendi, tam in facto, quam in iure; Et de modo orandi, siue informandi in voce.

I.

DE Curialibus, eorumque diversis speciebus, à n. 1. ad 14.

II.

De Advocatis Confistorialibus, & non Confistorialibus, à n. 15. ad n. 68.

III.

De Advocatis pauperum & Camerae, & fisci, à n. 69. ad 96.

IV.

De Procuratoribus collegialibus, & non collegialibus à n. 97. ad 117.

V.

De Fiscali Urbis; Commissario Camerae, & procuratoribus pauperum, à n. 118. ad 126.

VI.

De Sollicitatoribus, & Agentibus, à n. 127. ad finem.

S V M M A R I V M.

- 1 Sub nomine Curialium qui veniant in generali Significatione.
- 2 Et qui iuxta loquendi Curie.
- 3 De eodem, & qui sint Iudices, qui dicuntur etiam curiales.
- 4 De distinctione plurium specierum curialium.
- 5 De distinctione plurium specierum Advocatorum.
- 6 De eadem distinctione Procuratorum.
- 7 De examine Procuratorum, ut scribere possint in Rota.
- 8 Sub nomine Procuratorum in Curia, qui proprie veniant.
- 9 De antiqua distinctione inter Advocatos, & caufarum Patronos.
- 10 Quales essent antiqui oratores & an differant, ab Advocatis.
- 11 Quid importet Advocatio, seu nomen Advocati. Card. de Luca. Relatio Curie Romanae

- 12 De eadem distinctione de qua, supra n. 4.
- 13 De oratorum nomen quibus hodie conveniat.
- 14 De erroribus scriptorum adhibendis nunc aliqua vocabula antiqua.
- 15 Qui sint proprie Advocati Curie Romanae, & in quibus versetur eorum munus, & à quibus se abstineant.
- 16 De Advocatorum mercede, & infra n.
- 17 Quod etiam Clerici in Sacris hoc munus in Curia exercent, & de rationibus.
- 18 Quomodo se informant de facto, eiusque circumstantiis.
- 19 Quales partes, vel dotes habere debeant Advocati, & defensores.
- 20 De maiori peritia quae necessaria est in Advocatis Curie Romanae, & de ratione.
- 21 De errore opinantium quod Professores Curie non bene calleant ius civile, & materias prophanas.
- 22 Quod in Urbe servetur potius ius civile,
- 23 De integritate, quae in Advocatis requiritur, & quod adsit in Advocatis Curie.
- 24 Quod in Curia tota vis sit in bene scribendo non autem in loquendo, & quomodo loqui debeant Advocati, vel oretenus informare.
- 25 In quo consistant strepitus, & clamores fori.
- 26 De diversa forma antiqua orandi, & de ratione diversitatis.
- 27 Quid hodie importet orare siue informare in voce.
- 28 De modo scribendi.
- 29 Quod non debeant excitari objecta.
- 30 De ratione ob quam regule artis oratoria non debeant praticari.
- 31 Quod sit studendum brevitati, & de ratione.
- 32 Damnatur opinio eorum qui styli brevitatem referunt distinctioni panctorum.
- 33 Damnatur item stylus proluxus replendi chartas superfluis allegationibus.
- 34 Assignatur ratio differentiae, cur antiquiores erant copiosi in allegationibus, quae hodie sunt damnabiles.
- 35 An attendi debeant potius auctoritates, quam rationes, & econtra.
- 36 Quod hodie cessent multa quaestiones antiquitus involute.
- 37 De pluribus quaestionibus prius involutis hodie planis, & de aliis, super quibus damnatur usus allegationum.
- 38 Quando congruat cumulus auctoritatum.
- 39 Et quomodo isto casu ut scribendum seu laborandum.
- 40 De antiquo vocabulo damnabili leguleiorum.
- 41 Quod sit principaliter studendum congruae applicationi.
- 42 An Advocati possint scribere contra propriam opinionem vel conscientiam.
- 43 In iis quae consistunt in facto, non datur excusatio.
- 44 Quid in iis quae consistant in puncto juris.
- 45 Quale sit munus, vel obligatio Advocatorum in causis dubis.
- 46 An commendabiles dicendi sint restrictus plurium informationum Advocatorum.
- 47 De Advocatorum mercede, & de pacto quot a litis.
- 48 De Collegio Advocatorum confistorialium, eiusque origine.
- 49 De numero huiusmodi Advocatorum, & de participantibus.

- 80 De prerogativis quibus potiuntur quinque supra-
numerarii.
- 81 De Decano Collegii, & quis sit habilis ad decanatum.
- 82 An hoc officium sit compatibile cum Pralatura.
- 83 De solemnitatibus pro admissione novi Advocati, & requisitis necessariis.
- 84 De Civitatibus habentibus locum fixum, & quales ad istud Collegium assumantur.
- 85 De iniuria quae de super fieri videtur Regno Neapolitano.
- 86 De maioribus istius Collegii emolumentis, unde proveniant.
- 87 Habet facultatem doctorandi.
- 88 De loco in Capella, & de aliis huiusmodi advocatorum praeminentiis.
- 89 De iure orandi in Consistorio, & in solemnitate Canonizationis Sanctorum.
- 90 Interveniunt in Conciliis generalibus.
- 91 De habitu domestico, seu privato quo utuntur.
- 92 Habent precedentiam supra alios Advocatos, & quales alias habeant prerogativas supra alios Curiales.
- 93 Habent regimen, & administrationem studiorum Urbis.
- 94 De coadiutoria filiorum vel nepotum.
- 95 An Advocatus fisci, & Advocatus pauperum assumi debeant ex isto Collegio.
- 96 Quod sit munus nimis existimationis, & considerabilis utilitatis atque ex eo multi prodierint Pontifices Cardinales, & Praesules.
- 97 Sunt familiares Papa, & habent partem palatii.
- 98 Administrant bibliothecam Sapientiae.
- 99 De Advocato Pauperum, & quod in Curia libenter Advocati, & Procuratores suscipiant patrocinium pauperum.
- 100 Advocatis Consistorialibus incumbit ex officio.
- 101 Quod sint distincta professiones civilium, & criminalium.
- 102 Quomodo in Curia tractentur causae criminales.
- 103 Quod laboriosum, & valde incommodum sit officium Advocati pauperum.
- 104 De huius officii emolumentis, & utilitate.
- 105 Interponit decreta voluntaria iurisdictionis.
- 106 Habet audientiam Papa.
- 107 Quare sit officium incommodum, & arduum.
- 108 Quare oporteat officiales particulares deputare pro defensione pauperum.
- 109 Est munus compatibile cum advocacione aliarum causarum civium.
- 110 Quibus potiatur prerogativis, & quod soleat esse perpetuum.
- 111 Sedet in Congregationibus, & praecedit Advocatum fisci.
- 112 De Advocato Pauperum promotus ad Cardinalatum.
- 113 Prohibetur trahi causas criminales etiam ad defensionem cum praemio.
- 114 De Advocato fisci, & Camera eiusque muneribus.
- 115 Quare dicatur Advocatus fisci, & Camera, & de differentia inter Camera, & fiscum, seu inter plures fisci species.
- 116 In quibus causis fiscalibus se ingerat Tribunal Camera.
- 87 In quibus Congregationibus criminalibus interveniat.
- 88 Materia criminalis in quo consistat, & per quem tractetur in Curia.
- 89 Quinam assumantur ad beneficium Procuratoris Fiscalis.
- 90 Quod in materia criminali procedatur ut plurimum cum stylis, & bannimentis.
- 91 An istud officium Advocati fiscalis obtineri possit per Clericos in Sacris compatibiliter, vel potius redeat irregularitatem, & de istius materia.
- 92 Quales sint partes Advocati fiscalis in Congregationibus criminalibus, & an possit allegari suspectus.
- 93 De equivoco scriptorum in ista materia.
- 94 De existimatione istius officii, & de ratione.
- 95 De officio promotoris Fidei.
- 96 Quod istud officium Advocati fiscalis occupari consuevit à viris primariis.
- 97 De procuratoribus Curiae Romanae eorumque munere, & qualitatibus.
- 98 Procuratores Curiae Romanae exequantur Advocatis aliarum Curiarum, & de ratione.
- 99 Quomodo scribant, seu quomodo debeant scribere.
- 100 De stipendio procuratorum seu honorario.
- 101 De Collegio procuratorum causarum S. Palatii Apostolici.
- 102 De eorum numero, & novis receptionibus ad Collegium.
- 103 De qualitatibus necessariis in iis, qui sunt recipiendi.
- 104 Quod viri nobiles esse soleant de isto Collegio.
- 105 Ex eo prodierunt Cardinales, & Praesules.
- 106 Item plures Auctores.
- 107 De iure patronatus, quod antiquitus habebat in Archiepiscopatu Rotunda.
- 108 De festo S. Michaelis, quod celebrat eiusque solemnitate.
- 109 De agitatione in apertura Rota, & de aliis functionibus.
- 110 Quod ad solos Collegiales restringendum non sit munus Procuratoris.
- 111 De examinatione Procuratorum, ut scribere possint in Rota.
- 112 An Advocati, & procuratores cogi possint in iudicio consulere, & patrocinari.
- 113 De propositione quod plus merentur Advocati bene officium suum facientes quam Carthusiani, & de ratione, in quo consistat periculum Advocatorum.
- 114 De effectibus resultantibus ab integritate curialium.
- 115 De contractibus inter Advocatos, & procuratores, & clientes.
- 116 Quoad Advocati in Curia pendeant à Procuratoribus.
- 117 De aliis pertinentibus ad Advocatos, & procuratores, & praesertim circa poenas ob convicia, ac etiam an liceat deducere motiva irrelevantia.
- 118 De Procuratore fiscali generali, & de Commissario Camera aliisque procuratoribus in officium.
- 119 Sunt familiares Papa, & quibus prerogativis potiuntur.
- 120 Quod sit maior istorum auctoritas, quam Advocati fiscalis.
- 121 Fiscalis & Commissarius habent audientiam Papa.
- 122 Antiquitus erat maior auctoritas Commissarii.

- 123 Ex quibus ordinibus curialium isti officiales assumuntur.
- 124 De eorum substitutis.
- 125 De aliis fiscalibus aliorum Tribunalium.
- 126 De procuratoribus pauperum.
- 127 De Sollicitatoribus eorumque diversis speciebus.
- 128 De munere sollicitatorum forensium seu caudicorum.
- 129 Unde proveniat quod aliquando Procuratores incurrant notam non integritatis.
- 130 Laudatur in eis, qui Advocati, vel Prælati munus assumpturi sunt, ut sollicitationi vacent.
- 131 De Expeditoribus Datarie, & Cancellaria.
- 132 De Sollicitatore Camere.
- 133 De Agentibus privatis, & in aliis in officium.
- 134 De aliis speciebus curialium.
- 135 De differentia inter Curiam Romanam, & alias curias circa promotionem Advocatorum ad Magistratus.

I.

De Curialibus in genere.

Quamvis (ut alias advertitur supra discursu 1.) Curialium nomen, seu vocabulum, in eius generica significatione, congruat omnibus, qui Curiam sequantur, cuiuscumque sint gradus, & conditionis, majoris, vel minoris, ideoque etiam Cardinalibus, ac Prælatibus, eorumque, ac Papæ, & Oratorum Principum, vel Magnatum, aulicis, & familiaribus; Atque non solum caudicis, & negotiorum actoribus, sed etiam inferioribus operariis, earundem causarum & negotiorum, vel aulae servitio addictis, vel operariis, & sic etiam, Notariis, Curforibus, Copistis, & inferioribus famulis, ac ministris; Et in summa pro regula generali, illis omnibus, qui occasione Curiae, in Urbe morantur; Exceptis solum illis civibus, & incolis, qui nullatenus in Curia se ingerant, sed solo jure vel ratione civica naturali, vel domicilari, in ea versentur, dum etiam illi Romani cives, vel incolæ, qui aliquod curiale munus gerant, sub hoc nomine veniunt, atque Curiales dicuntur, sub tit. de benef. disc. 20.

Attamen, pro communi, seu vulgari usu loquendi, sub curialium nomine, illi solum designantur, qui togati, in causis judicandis, aut in negotiis peragendis versantur, quoniam, Cardinales, & Prælati, ac etiam, Notarii, Copistæ, Curfores, & alii inferiores ministri, sub eorum propriis, ac particularibus vocabulis explicantur; Curiales verò aulici, id est Papæ, & Cardinalium, vel Prælatorum, & Magnatum familiares, diversam habent nuncupationem, quoniam appellantur Correfani; ideoque nomine curialium non quidem in legali, sed in vulgari, & communi significatione, veniunt solum causarum, & negotiorum Curiae actores, qui etiam in plures species distincti sunt, nempe; Advocati; Causarum Patroni, qui Procuratores vulgo dicuntur, Sollicitatores negotiorum judicialium; Alii sollicitatores negotiorum Datarie & Cancellariae, qui Expeditores appellantur; Ac illi qui causarum, & negotiorum curam habent, vulgo agentes nuncupati; Quamvis enim nonnulli ad sint Judices non Prælati, sed togati, qui causas non agunt, sed judicant, isti tamen Curialium nomen quoque congruat; Ut Cex. gr. Sunt, duo Collaterales, & Judex maleficiorum, & Capitaneus Appellationum Capitoli; Locum tenentes criminales Gubernato-

ris, Vicarii, & Auditoris Camerae, Assessores Adilium, & Consulium Agriculturae, & alii Assessores, vel judices Collegiorum vel artium, aut piorum locorum; Ac etiam Cardinalium, vel Clericorum Camerae Auditores, qui sub judicum sphaera venire videntur; Attamen, fortè nulli, vel nimirum rari sunt casus, in quibus huiusmodi togati, de præfatis speciebus, Advocatorum, & Procuratorum, vel Agentium non participant.

Præfata itaque Curialium species, plures habent distinctiones, quoniam; Alii suum respectivè munus in officium habent; Ut, quoad Advocatos, sunt illi Pauperum & Camerae, seu Fiscii; Et quoad Procuratores, sunt, Procurator fiscalis generalis Urbis, & Commissarius Camerae; Et quoad sollicitatores, est pariter Sollicitator Camerae, ac etiam Substitutus Procuratoris fiscalis; Et quoad Agentes, sunt illi Communitatum; Isti etenim distinguuntur à reliquo genere curialium, qui jure privato suum munus agunt, dum isti, illud habent in officium, jure publico.

Prout etiam, inter Advocatos, alia cadit distinctio, inter illos Consistorii, qui Collegium constituunt numeratum, consistoriales proinde appellati, qui etiam, quodam jure publico, atque in officium, id habere videntur, cum ad id assumantur ex provisione Papæ in titulum; Et alios simplices Advocatos, qui ex privata facultate, solaque ratione professionis, istud munus exercent.

Et quoad causarum Patronos, qui vulgo Procuratores, (ad differentiam Advocatorum) appellantur; Illi pariter distinguuntur, inter eos, qui sunt etiam Consistoriales, atque collegium etiam constituunt, ab isto, non autem à Consistorio vulgarem denominationem desumentes, ideoque Procuratores de Collegio appellantur; Et alios omnes non collegiales.

Verum isti quoque Procuratores non collegiales, ab aliquo moderno tempore nostræ ætatis, in quo Rota introduxit stylum, non admittendi ad scribendum in factò, in causis, quæ agantur in eo Tribunali, nisi eos, qui prævio examine coram Decano, per duos examinatores ex antiquioribus Procuratoribus Collegii ad id approbati fuerint, adest alia distinctio inter approbatos, qui Rotales dicuntur, & alios in genere non approbatos.

Quamvis enim, istud Procuratoris vocabulum, in eius lata, & generica significatione, conveniat omnibus illis, qui alterius mandatarii sint, atque cum mandato expresso, vel præsumpto, aliena negotia gerant, vel administrant; Atque legaliter, illi distinguuntur, inter Procuratores ad negotia extrajudicialia seu æconomica, & Procuratores ad judicialia; supra tit. de judic. disc. 6. & lib. 7. tit. de tutor. aliisque administratoribus. Attamen, pro communi usu loquendi Curiae, istud vocabulum Procuratorum, usurpatur pro iis, qui sint causarum patroni, earumque, defensores principaliter in iis, quæ facti sunt, quavis nullum habeant procuræ mandatum, neque acta judicialia tanquam tales gerant, cum pro frequentiori praxi, istas partes veri Procuratoris, qui gerat cum mandato procuræ acta judicialia, explicent Sollicitatores, vel illi negotiorum curam habentes, qui ut supra, Agentes appellantur.

Ista verò contra distinctio, quæ habetur inter Advocatos, & causarum Patronos (qui in aliquibus partibus, sed malè pro synonymis reputantur) antiqua est, in ipsamet antiqua prophana Curia Reipublicæ Romanæ, dum etiam apud illorum

temporum scriptores ista distinctio habetur, *Quintilian. instit. orator. lib. 12. cap. 3.*

10 Quinimò, non quatuor tantum ordines præditi habebantur, sed quinque; Siquidem aderat alter ordo Oratorum contradistinctus ab Advocatis; Unde propterea, male communis vulgi opinio, Oratores, & Advocatos, habet pro synonymis, dum erant diversæ professiones; Advocati etenim erant omnes illi, qui sive in forma judiciali, sive extrajudiciali, sive qui in scriptis ac ore tenus cum legibus, vel rationibus in ratione protectionis, vel negotiatione, alicuius defensionis assumebat; Oratores verò illi qui pro actore, vel reo, publicè in Senatu, vel in alio congressu orabant, eos defendendo, vel accusando, dum inter boni oratoris partes, artis oratoricæ instructores, & magistri, illam cupiunt, ac laudant, quæ consistat in scientia legum; Igitur diversum erat genus legistarum, & professorum ab illo oratorum, *Quintilian. dict. cap. 3. lib. 12.*

Adeoque istud Advocati vocabulum, potentia-
21 li, seu auctoritative defensionis, ac protectionis, congruebat, ut apud ipsum Apostolum, aliusque illorum temporum Sanctos P. P. Christo Domino illud attributum legatur; Apud alios verò pios scriptores, Beata Virgini Mariæ, & Sanctis intercessoribus; In prophetis autem, Regibus, & Principibus, vel etiam potentibus Magnatibus, seu nobilibus familiis, qui alicuius Ecclesiæ, vel Civitatis, aut familiæ Advocacionem assumerent, id est defensionem, & protectionem.

Hunc proinde clarus est modernorum error, ut nostrorum temporum Advocatis forensibus applicare velint ea, quæ apud antiquos scriptores, super advocacionis, vel defensionis munere habentur non reflectendo ad distinctiones temporum, personarum, & negotiorum, seu occasionum.

Hodie itaque pro Curia Romanæ stylo, in negotiis forensibus, utriusque jurisdictionis, contentiosæ, & voluntariæ, sive in contradictoris & gratiosis, dictæ quatuor species habentur; Advocatorum scilicet, Causarum Patronorum, qui Procuratores dicuntur; Sollicitatorum; Et agentium, dum nomen seu vocabulum oratorum in latino curiali sermone congruere solum videtur illis Principum, & Republicarum vel Civitatum Legatis, & Nuntiis, qui vulgò Ambasciatores dicuntur, vel sint; *supra disc. præcedenti.* A deo ut illi, qui ab eisdem Principibus, vel Republicis, & Civitatibus mittuntur, vel deputantur, quamvis in effectu idem munus explicent, ubi tamen præfatus Ambasciatorum titulus eis non tribuatur, diversum, Internunciorum, vel Residentium, sive Agentium, non autem Oratorum fortuntur vocabulum; Ac propterea, longe diversus est loquendi usus antiquorum, ac modernorum.

14 Ideoque tam in his, quam in aliis, manifestè erroneus, atque irrisione dignus est stylus illorum modernorum scriptorum, qui grammaticæ regulas rigorosè affectantes, *Ciceronis*, aliorumque illorum temporum scriptorum vocabula, adhibere satagunt, ita in æquivoca frequenter incidendo, atque capiendo quid pro quo; Atque ad id per modernos scriptores est reflectendum, dum majorem doctrinam, ac peritiam ostentare volentes, ita se indoctos ostendunt, atque publicant; Idque etiam apud scriptores Italici idiomatis, sive illius Itali-

cæ politioris linguæ, quæ hetrusca dicitur, frequens praxis, censura, & irrisione potius digna, comprobatur; Commendatione siquidem digna est, culta, & politior lingua, sed juxta communem, & currentem usum, non autem expiscando, sive ab antiquis tumulis resuscitando illa antiqua vocabula seu verba, quæ in defuetudinem, ac oblivionem jam abierunt, hunc enim errorem, etiam antiqui Jurisconsulti, (si eorum est illa lex) damnat, *lib. 2. ff. de origine juris*

I I.

De Advocatis Curia, in genere, & de eorum modo scribendi, & orandi.

Advocati itaque, juxta Romanæ Curia sty-
lum, sunt illi, utriusque Juris communis, Civilis, & Canonici (sub quo reliquum jus particulare venit) Professores, qui tam in scriptis, quam ore tenus, causas in puncto juris tantum tventur, iudicibus insinuant, quid de jure verius statutum sit; Sive an juris, jam notæ, & receptæ propositiones, illi casui bene applicentur, & congruant, & quomodo; Ita solas, nobiles, ac scientificas ingenii partes explicando, juxta facti præsupposita, quæ per causarum Patronos eis fiant, more antiquorum Jurisconsultorum, de jure tantum respondententes; Unde propterea, processus, & acta, nullatenus vident, neque in hoc mechanico naufragio labore versantur; Minusque in actorum judicialium compilatione, dum omnia hæc geruntur per causarum Patronos, qui ordinant libellos, vel commissiones, aut supplicationes, aliasve petitiones, nec non articulos, & interrogatoria, aliaque omnia acta, quæ processus compilationem respiciunt; Atque ad summum in aliquibus causis gravioribus, in quibus major diligentia adhibenda sit commissiones, vel petitiones, aliasve judiciales declarationes, vel protestationes, postquam & causæ Patrono compolite sunt, transmittuntur per manus Advocatorum, sive ab istis, illi in congressibus, consilium, vel normam Procuratores recipiant, quomodo eas concipere debeant.

Prout etiam Advocati, se non ingerunt in conficiendis minutis instrumentorum, aliarumque conventionum, quoniam ob copiam peritissimorum Notariorum, ab istis id frequentius (& bene) explicatur; Sive in gravioribus negotiis, id committitur alicui perito causarum Patrono; Transmittitur autem solum minuta revidenda per manus Advocatorum.

Ac etiam Advocati, qui re, non autem solo nomine sint tales, unde propterea classici dici mereantur, nullatenus se ingerunt in alius actibus, vel rebus judicialibus; Puta, in cura hæreditatis jacentis, vel patrimonii decocti existentis sub concursu, aliisque similibus mechanicis muneribus, quæ omninò abhorrentur.

In defuetudinem quoque hodie penè abiit in Advocatis ille usus, qui antiquitus erat frequens, annorum scilicet, vel mensurorum stipendiorum, quæ sub salarii nomine vulgò explicari solent; Et meritò quidem, cum istud salarii vocabulum, quandam famulatus speciem redolere videatur, huic muneri omninò incongruam, ac indecentem, ideoque laborum præmium, sub honorarii vocabulo in jure meritò explicatur, illudque pro communi in concessio, qualificatorum, & classicorum Advoca-
vocatorum

vocatorum stylo, mere voluntarium est, dum non nisi à sponte dantibus recipitur, adeo ut, non solum iudiciales petitiones abhorreantur, atque nunquam audiantur, sed neque extrajudiciales, iis exceptis, qui in sola nuncupatione Advocati, revera tales dici non mererentur, neque existimantur.

Hinc proinde sequitur ut sit probabili fundamento innixa Curiae consuetudo à scriptoribus communiter probata, ut clerici, etiam in sacris, istud munus licite peragant, quamvis ex sacrorum Canonum, & Conciliorum decretis, eis vetitum sit, atque illicitum reputetur, dum ita etiam claustralibus, & regularibus clericis congruere possit; Tum ex dicta ratione, quod laborum ingenii mercedem, non nisi à sponte dantibus recipiunt; Tum fortius quia omnis occasio abest calumniandi, vel mendacii reatum incurrendi, dum scribunt, & loquuntur juxta ea, quae in facto per causas Patronos praesupponuntur, ita more antiquorum Juris Consultorum, respondentes juxta ea, quae proponuntur; Eo modo quo etiam religiosi moralis Theologiae profectores super casibus conscientiae consulti respondent; A deo ut aliud vita forensis, ac saecularis vestigium adesse non videatur, nisi in casu quo in Tribunali Auditoris Camerae, vel in aliis superius recensitis informationibus fiant in contradictorio, dum in Rota, & in Camerae ac in Sacris Congregationibus, iste stylus non habetur, ut agendo de Tribunalibus supra advertitur; Ac etiam quia ista est principaliter curia Papae Principis ecclesiastici, ut etiam in fortioribus terminis militum alibi advertitur, *titul. de pensio. discurs. 46.*

Eorum autem quae facti sunt, super tenore scilicet instrumentorum, aliorumque jurium, vel super depositionibus testium, ad effectum ut per trames juris revel-vel irrelevantiam dignoscere valeant, atque actiones, vel exceptiones comprobare, si ve super congrua applicatione ad casum discurrere, illam habent, alibi insinuat *sup. disc. 32.* notiam seu informationem, quam habent quoque iudices, qui pariter non vident processus, & acta, siquidem scripturarum, & depositionum testium, partes substantiales per causas Patronos, hinc inde dantur in sumario; Quandoque tamen, sed raro, prouidentur quidem, & commendabiliter, & quo frequentius eo melius, tam Iudices, quam Advocati, mandant sibi dari copiam instrumenti, vel alterius documenti, aut depositiones testium per extensum, cum exinde aliqua meliora desumere soleant motiva, seu relevantiam, vel irrelevantiam, melius dignoscere.

In omnibus causidicis, vel curialibus, specialiter autem in Advocatis, illae partes desiderandae veniunt, quas antiqui artis oratoriae professores, & magistri desiderant in illorum temporum oratoribus; Ut scilicet, non solum legum scientificam non autem mere practicam, & per traditiones, more psittacorum peritiam habeant; Sed etiam, ut in historiis, aliisque scientiis, quae ad Reipublicae regimen influunt, bene versati sint, ut cum exemplis consimilium casuum, & quandoque, cum prudentialibus determinationibus, vel temperamentis alias adhibitis insinuare possint Iudicibus, & praesertim supremis Magistratibus ea quae magis congruant, *Quintillian. lib. 12. instit. orator. cap. 3. & 4.*

Illudque habent, Romanae Curiae Advocati majus onus, cui non subjacent aliarum Curiarum

Advocati, minusque subiacebant antiquae Romanae Reipublicae Oratores, quod scilicet, non solum legum civilium, ac prophanarum historiarum peritiam, ut supra habere coguntur; Verum etiam illam Canonum, & Conciliorum, & Ecclesiasticae eruditionis; Quinimmo etiam aliquam peritiam Theologiae dogmaticae, & moralis; Ex ea differentiae ratione, alibi quoque insinuata, *supra discurs. 32.* quod scilicet in aliis Curis, vel Tribunalibus respectivè, de aliquibus causarum generibus tantum ad illum forum pertinentibus agitur; Puta in foro Episcopali de causis spiritualibus, vel alias pertinentibus ad forum ecclesiasticum, rarè autem sunt causae prophanæ, quae in eo agantur ratione personarum ecclesiasticarum non exemptarum; In foro autem saeculari tractantur solum causae prophanæ, quae ad illum pertinent; Quinimmo promeritis regionum frequentius causae restringuntur ad tres, vel quatuor species, aliae autem nimium rarè sunt.

E converso autem, Curia Romana dici potest manus, quae tres gladios eodem tempore tenet, & exercet, ratione scilicet pluries enunciatae triplicis personae formalis, quae in eadem persona materiali Papae consideratur; Siquidem tanquam Episcopus Urbis, cum considerabili dicecesi districtus ad quadraginta miliaria, circumcirca, cognoscit per eius officiales, & Tribunalia, omnes causas, quae pertinent ad forum Episcopalem; Tanquam Princeps saecularis Urbis, & Status Ecclesiastici Italici, in quo ultra Urbem, quamplures nobiles, & considerabiles adsunt Civitates, multarum gravium litium productivae, ut sunt praesertim Civitates, Bononiensis, Ferrariensis, Perusina, Firmana, cum ampla ejus dicecesi, Ravennatensis, & aliae plures, agit causas prophanas, quae pertinent, ad forum saecularem, non minores cuiuslibet saecularis principatus, ob aliam quoque ditionem Gallicam Status Avenionensis.

Et demum singulariter ad quoscumque alios Principes, ratione pontificiae dignitatis, cognitionem habet omnium causarum, tam ecclesiasticarum, quam prophanarum, quae pertinent ad utrumque clerum, saecularem, & regularem, absque restrictione exemptorum; Ac ulterius, respectu saecularium totius Orbis Catholici, cognitionem habet omnium causarum spiritualium, seu ecclesiasticarum, ultra ea, quae concernunt materiam fidei, & canonizationes vel beatificationes Sanctorum, ac ritus ecclesiasticos; Ideoque in his omnibus, Advocatos oportet esse bene versatos; Potissimè quia ob Tribunalium stylum, & praesertim illum Rotae, in cuius rubrica, id est magis ex proposito advertitur, *dicto disc. 32.* semper oportet ex temporaneè, brevissimo temporis spatio, atque ut vulgò dicitur, properando, seu cursitando, de jure respondere super omnibus pene materiis utriusque juris, ac etiam moralis, & quandoque dogmaticae Theologiae.

Atque hinc (ut pariter alias insinuat est, non tamen inopportune repetitur,) nimium evidens, atque irrisione dignus est error aliquorum exterorum opinantium, quod professores Curiae Romanae, solum calleant ea quae pertineant ad jus Canonicum, vel ad materias ecclesiasticas pertinentes ad forum ecclesiasticum; Nescitur enim, cum quo imaginabili fundamentovet humano discursu, id opinentur, non reflectendo, quod eadem Curia cognoscit in terminis Juris communis civilis vel feudae-

feudalis, aut alterius municipalis, omnes causas fori sæcularis pertinentes ad principatum temporalem, ut supra ultra illas, etiam prophanas; ac de sui natura fori sæcularis causas, quæ accidentaliter, ratione personarum, vel Ecclesiarum, pertineant ad forum ecclesiasticum, per appellationem ab omnibus Orbis Catholici Ordinarius, & Metropolitanis, aliisque Prælati, ac Iudicibus ecclesiasticis.

2.2 Quinimmo in ipsa Romana Civitate, quæ adeo dives est, tantamquam Magnatum & divitum copiam habet, unde propterea, gravium litium feracissima est, municipalis jure cavetur, ut cum civilibus potius, quam cum Canonicis legibus, causæ cognosci debeant *di. disc. 32*. Ideoque profus fabulosa est hæc opinatio; Eandemque fabulam comprobant ad evidentiam tot decisionum Rota Romanæ volumina, quæ indies procedunt.

2.3 Debet quoque Advocatus, aliis animi dotibus esse præditus, & præsertim illa, summæ integritatis, & veritatis, abhorrendo calumnias, & mendacia, sive injustas lites confovendo, vel nutriendo, ob eius turpelucrum; Prout revera, nimium commendabiliter pro regula frequentior est praxis, quoniam, ad instar eorum, quæ agendo de Rota auditoriæ de Iudicibus dicta sunt; *eodem disc. 32*. Advocati quoque integerrimè in hoc se gerunt, non solum liberè insinuando clientibus veritatem, ac difficultates, quas habeant in causa, quod indies practicatur pro nimium commendabili stylo frequentium congressuum seu congregationum, quæ pro causarum directionibus, juxta earum contingentias & oportunitates habentur in domo antiquioris Advocati; Sed etiam totis viribus, cum exactis diligentis, ac laboribus procurando concordias; Ut enim bene advertit unus ex artis oratoris magistris, mendax vel dolosus, maleque morigeratus orator, non de facili veritatem Iudici suadere poterit, *Quintilian. lib. 12. cap. 1*.

2.4 Major autem, peneque tota doctrina, seu excellentia Advocati in Curia, consistit in bene scribendo, potius quàm in orando, ob pluries insinuatam styli, qui est penè generalis collegiatorum Tribunalium, & Sacrarum Congregationum non audiendi scilicet Partes in contradictorio, sed per privatas, & singulares informationes in Camera; Atque in illis Tribunalibus, in quibus contradictoriorum usus habetur, ut est præsertim illud Auditoris Camera; damnabiles potius, & contemptibiles reputantur illi superflui, ac inutiles verbosi apporatus, qui ab aliquibus in exultatione habentur, dum quò brevius, & strictius, eo melius, commendabilis; Postquam etenim inter causæ Patronos firmatum est factum, super quo etiã inter classicos Procuratores, nimium raræ sunt disceptationes, vel discordantiæ, qui solum, pro limitatione regulæ, inter Curialium infimam plebem, sive inter illos, quibus Rabularum forensium nomen meritò congruit, solent esse frequentes; Advocati, strictè insistant super conclusionibus juris, insinuando eas, quæ videantur probabiliores, opinioniones; Sive distinguendo, aut declarando conclusiones, vel doctrinas, quæ obflare videantur, ita immorando super earum congrua applicatione; Idque frequentius fit, cum magna Urbanitate, & benevolentia, adeo ut fori clamores, ac strepitus non audiantur, sed per speciem familiaris discursus,

vel congressus, id sequitur, dum illi iudiciorum strepitus, & clamores, qui per antiquos ac modernos scriptores declamari solent, audiuntur (ut dictum est) in illis publicis audientis, quas tenent iudices Tribunalis Auditoris Camera & Vicarii, & Capitoli, super incidentibus, vel super causis brevioribus, occasione lecturæ citationum, super quibus tunc extemporantè inter loquendum est; In ista verò functione nunquam interveniunt Advocati, minusque classici & qualificati causarum Patrem; Sive isti nimium rarò, quando causæ, vel incidentis qualitas ita exigat, dum id explicant, vel peragunt, mediante opera Sollicitatorum, quorum munus, in hoc principaliter versatur, ut infra, sive illorum juvenum, qui gratia ascendendi praxim, atque se habilitandi ad peragendum munus Advocati, vel Procuratoris, apud eos versentur.

Hinc proinde, Advocatorum penè nullæ vel nimium raræ videntur esse portæ orandi, (comparativè ad causas, quas in aliis Tribunalibus tuerentur;) Et nihilominus, quando de his agi contingat, longè diversus est modernus Romanæ Curia stylus, ab eo, quem habebat eadem Curia antiqua, sub Republica, vel florentissimo, adeoque potenti Imperio profano; Tunc etenim orandum erat Populo, vel Senatui quorum uterque saltem pro majori parte erat legum ignarus, neque merita causarum scientificè, & per regulas juris, prævio maturo studio, iudicaturus erat, ideoque unum, vel alterum, sive utrumque cum arte oratoria, in genere suavisivo, vel demonstrativo, captare atque in suam sententiam trahere oportebat; Ac propterea verbosi apparatus, ac etiam replicata eorumdem motorum exaggerationes, aliæque oratoriarum artis regulæ, congruè adhibeantur, etiam circa motus, vel gestus corporis, & quandoque oportune, risus, vel planctus, ac lamentationes adhibendo, ad auditorum benevolentiam captandam, sive ad promovendum in eis pietatem, vel respectivè rigorem, & indignationem, juxta oportunitatem, vel finem oratoris, ac juxta illum styli, quem hodie respectivè adhibent Concionatores, & Comici; Ac propterea etiam hodie, quando cum imperitis pectoralibus Iudicibus agatur iste stylus adhibendus est, atque commendabilis, imò necessarius videtur.

Damnabilis verò, imò contemptibilis, censendus est apud iudices literatos, ac professores Juris, qui per regulas juridicas, præcedente, vel subsequente formali studio, causas decidere debent; Isto enim casu, Advocatus, omninò effugere debet superfluos verbositates, atque strictè, & breviter insistere, super illis solidis motivis, ad quæ in substantia causæ pondus, vel cardo difficultatis restringatur, ut in ea, quæ deducuntur, aliquam faciant impressionem, ut potè futuri studii, præparatoriam; dum alias verbosæ superfluitates, Iudicis intellectum potius offuscant, ut neque bene percipiat, vel retineat ea, quæ verè opportuna sint.

Ad aptabile ad id videtur practicum exemplum, vel simile, quod habemus circa merita, & virtutes, vel miracula alicuius servi Dei; Quando etenim de his agendum est in pergamo, vel in academia, concionando, vel orando in laudem illius servi Dei, cum eo stylo qui panegyricus dicitur, ad incitandam populi devotionem, tunc cum regulis artis oratoriarum præviis apparatus, virtutes, & miracula,

eula exornentur, magnificantur, ac repetuntur, & inculcantur, incipiendo à levioribus, ut oratio crescat, atque orationem adjuvando cum corporis actibus, ac gestibus; Sed si hunc stylum teneret Advocatus informando Sacram Congregationem Rituum, ad effectum docendi quod ille servus Dei canonizatione, vel cultus sit dignus, utique irrideri meretur atque in eius professione ignarus, reputari dum strictè, beneque concludenter docere debet de sufficientibus probationibus, ac de iis, quæ Judices ad id movere debent rescando superflua quæ potius nocent.

Informatio etenim in voce apud Judices literatos, qui cum maturo studio per tramites juris judicaturi sunt, comestioni, seu dentium mastioni comparanda videtur, ut ita melius, ac facilius à stomacho fiat digestio, ideoque ille solum modicus, beneque preparatus cibus, in ore apponi debet, quæ stomachus digesturus est, pro corporis salubris armonia sine, vel effectu; Insinuando propterea Judici breviter facti seriem, atq; difficultates ad quas causa restringatur; Deindeque probando fux intentionis fundamenta, atque reprobando illa contradictoris, familiari tamen, ac urbano more; Atque hinc irrisione digni censendi sunt illi alicuius politioris literaturæ professores, vel atincti qui antiquorum scriptorum traditiones super lacrymis, suspiriis, risibus, aliisque gestibus conductitiis Advocatorum, & oratorum, nunc applicare fatagant nostrorum temporum Advocatis, cum in Curia Romana id ab aula penitus recesserit, ac propterea loquuntur extra propositum.

28 Quo verò ad aliud munus scribendi, (in quo verè majores, peneque totales Advocatorum Curia partes versantur) Pariter damnabiles & contemptibiles reputantur superflui apparatus, vel præfationes, quoniam verus, & commendabilis scribendi modus est [præsupposita facti serie jam per causæ Patronum in eius informatione enarrata,] strictè, & categoricè, quo brevius, eo melius & commendabilius, fundare de jure intentionem clientis, atque occurrere difficultatibus, quas alterius Partis motiva inferre possint, quando certò sciatur, quod alterius Partis defensores illa promoverè, seu deducere debeant, dum alias error est, præventivè respondere formidatis objectis, cum ita sit excitare dormientem, atque sapius, magisque placeant objecta quam responsiones.

30 Diversusque esse debet forensis scribendi stylus ab eo, quem artis oratorix regulæ docent, ut scilicet à levioribus inchoandum sit ad hoc ut crescat oratio, atque in fine sit melior, & claudatur cum solidioribus, magisque efficacibus motivis; Id enim congruum est oratori, qui in genere suasio, vel demonstrativo, cum sola verborum, seu rationis efficacia, imperitos Auditores suadere, atque in suam sententiam trahere debet, ut faciunt Concionatores, & Comici, seu militiæ Duces; Secus autem, cum Judicibus peritis, & juris Professoribus, quibus initio informationis, atque, ut vulgò dicitur, in frontispicio, magis solida, & stringentia motiva insinuanda sunt, ut ita bonum causæ iudicium, vel conceptum efformare incipiant; Et ne aliàs, è converso, ex debilibus, vel fallacibus motivis, sinistram efformando opinionem, negligant meliora, & solidiora fundamenta, quæ subjiciantur; Sive quod intellectus, à prævia lecturâ inutili fastidiosus, vel defatigatus, non ita bene utilia perci-

piat; Atque ad istum quoque effectum, clarus quidem, sed quo magis fieri potest, brevis, & laconicus stylus est adhibendus.

31 Equiparant etenim aliqui (& bene quidem) oratorem, vel scriptorem, illi debitori, vel ministro, qui aliquam pecunie summam, Creditori, vel Domino est soluturus, quoniam eam in parvo sacculo auream, vel saltim argenteam, melius solvet, quam æneam in magna quantitate, quamvis utraque species eundem habeat valorem, eandemque importet summam, immò minus aestimatur, dum prolixus, ac verbosus stylus, aliud non importat, nisi solvere in ære, illam pecuniam, quæ in auro, brevius, ac melius solvi potest; Ideoque Romanæ Curia stylum studendi brevitati, referunt etiam antiqui scriptores; Decius Consil. 404. Quinimò quod mirum est, etiam ubi stylus prælixus est in usu aliqui inculcant brevitatem. Muta ad consuet. Pat. norm. c. 68. n. 16.

32 Referunt hanc brevitatem aliqui exteri, Curia stylo dividendi causarum disputationes in plures punctos, super quorum singulis, distinctè scribitur; Verùm ista opinio, vel credulitas, germana est alterius supra insinuata, super imperitia Juris civilis, ac rerum prophanarum, ita in sancta simplicitate procedendo cum antiquis traditionibus illorum temporum, in quibus id in usu erat; Siquidem à tempore notabili citra, & fortè totius currentis sæculi, in desuetudinem id abiit, dum in unica disputatione, de tota causâ omnibusque eius punctis agitur, ut supra agendo de Rotæ Auditorio advertitur. supra disc. 32.

33 Bene verum, quod (deplorabiliter quidem,) etiam in Curia, istum adeo bonum, adeoque commendabilem stylum scribendi, strictè, & categoricè, corrumpere fatagunt aliqui inepti, verèque contemptibiles Pragmatici, qui facultatis scientiam non habentes per causas, & per principia, sed per solas traditiones, vel transcriptiones eorum, quæ legunt in repertoriis, chartas replent inutilibus allegationibus, ac generalibus regulis, & axiomatibus, frequenter negligendo illa substantialia motiva, in quibus causæ pondus consistat, sive super eis nimium parcè agendo, atque ita abundando in superfluis, & deficiendo in necessariis, Res quidem omninò damnanda, & contemnenda.

In hoc etenim homines distinguuntur à brutis, quod homines, id quod agunt, ex motivo rationis, sive propter aliquem finem agunt, dum omnis agens agit propter finem; Sive in hoc distinguuntur sapientes, ab insipientibus, ac literati à reliquo vulgò ignaro, ut illi non ex solis traditionibus, vel ex solo naturali instinctu, sed ex prudenti, beneque regulato discursu, suas metiantur operationes; Non videtur etenim qualè rationem, qualemve finem habeat iste ineptissimus abusus, ignaro leguleico vulgò placitus, inutiliter replendi chartas, cum superfluis allegationibus, super illis principis, ac propositionibus, quæ hodie plane sunt, nullamque patiuntur difficultatem, sed rectè præsupponi possunt; Ideoque scribendum est, insistendo principaliter super applicatione ad casum controversiæ, & super qua applicatione totus est pondus, generalitates præsupponendo.

34 Provenit hic error ex eo quod imitari volumus aliquos antiquiores scriptores decursi sæculi, vel etiam currentis circa eius initia, quæ cum laborato stylo (laudabiliter quidem) curarunt aliquos articulos

culos, & quaestiones plenè, cum auctoritatibus, & rationibus comprobare, ac disputare, & axaminare; Manifestus verò est error modernorum scriptorum, eundem adhibere stylum, ob temporum, ac rationis diversitatem.

Ex aliquibus etenim, *Glose Bartoli, Baldi, Innocen. & Jo. Andrea*, aliorumque antiquorum scriptorum, (sive à casu, sive serid illa prodierint) multæ inter alios scriptores posteriores, & præsertim retroacti sæculi irreperunt quaestiones, in quibus DD. in classes factionario more, divisi fuerunt; Unis unam; Aliis verò alteram sequentibus opinionem, adeo ut incertum adhuc esset, quanam opinio, verior censenda esset, atque in iudicando, vel consulendo tenenda; Tunc etenim (rationabiliter quidem,) oportebat hunc adhibere stylum, cumulandi diligenter, & cum summo labore, auctoritates, quæ hinc inde confluant, ad effectum inspiciendi quanam magis communis esset, majorisque sequacium calculo roborata, dum quilibet factio, vel classis eius opinionem esse communem, vel magis communem autumare solebat; Ideoque audiebantur ineptia de communi, & magis communi, vel communissima, sive de communi contra communem, ac propterea irrepsit axioma circa improbum legistarum laborem.

35 Istoque rerum statu retento, illa præsertim assumi solebat problematica quaestio, an auctoritatibus potius, vel rationibus esset deferendum, atque istam posteriorem partem sequi profitebantur magna Tribunalia, & præsertim Rota; *titul. de emphyteus. disc. 4. & alibi pluries, & supra dicto disc. 32.* Hodie verò, hæc omnia penè abolita sunt, quoniam (ut alibi pluries advertitur) omnes illæ, quæ nodosæ, atque involutæ quaestiones erant apud antiquiores, jam sunt sopite, dum una ex opinionibus, per moderniores, vel per Tribunalia, respectivè, firmiter cõstituta est pro regula altera verò, pro limitatione; Et consequenter, contingente casu, nulla suppetit necessitas assumendi disputationem in puncto juris, quanam opinio sit verior, vel magis communis, seu magis rationalis, ut nostris majoribus disputandi onus incumbat; Ideoque meritò illi, numericas classes, ac Litanias retexere cogebantur; Id autem hodie super eisdem penitus ineptum est & incongruum, quoniam disputationes restringuntur ad factum, sive ad applicationem, an scilicet, ex illius casus circumstantiis, locum potius habeat regula, vel respectivè limitatio.

36 Ut puta; In successione indivisus Regnorum, vel principatuum, & feudorum, sive primogenitorum, vel majoratum; Apud antiquiores adeo involuta erat quaestio, inter patrum secundogenitum, & nepotem ex primogenito, adeo ut aliqui crediderint, ut cum singulari certamine, vel cum iudicio fortis, ea decidenda esset, multas involvendo de super simplicitates; Sive an filii in conditione positi censeantur vocati; Aut an sub nomine filiorum veniant nepotes, & descendentes; Vel an masculinum concipiat femininum; Sive, an, attendi debeat proximitas gravantis, vel gravati; Aut an inter patruales, successio esse debeat in stirpes, vel in capita; Vel an Trebellianica possit prohiberi filii primi gradus, cum multis similibus involutissimis quaestionibus; Omnes autem istæ & similes hodie explanatæ sunt, atque in abstracto, disputatione indigne reputantur, dum ea solum cadit in concreto; Igitur, regula & respectivè limitatio.

nes, quæ in ea regione, vel in eo Tribunali extra controversiam hodie firmatæ sunt, atque receptæ, præsupponendæ veniunt, manifestaque ineptia est, irrisione quidem digna, chartas allegationibus de super implere, & præsertim in magnis Civitatibus, vel Tribunalibus respectivè; Sed eis præsuppositis, strictè insistendum est, in exclusione, vel inclusione limitationis, ob illius casus particulares circumstantias.

Major quoque ineptia est, nimiumque nauseativus stylus ille cumulandi allegationes, atque cum eis inaniter chartas replendi, super illis axiomaticis, vel principiis, quæ sint notoria, nullamque recipiant alterius Partis contradictionem; Puta quod possessioni anteriori, competat manutentio; Vel quod fideicommissario, docto de fideicommissi existentia, & pertinentia, ac legitimatione personæ, & identitate bonorum, & incompetencia detractionis danda sit immisso; Sive quod in prophanis, data revelantia, neganda non sit remissoria in prima instantia; Aut quod præsentato ab omnibus patronis, vel à majori parte, confiso de jure patronatus existentia, & pertinentia, & capacitate præsentati, danda sit institutio; Vel quod literæ Apostolicæ iustificatæ, sint exequendæ, cum similibus; Super his etenim, utique fatuitati tribuendum videtur, auctoritates congerere; Adinstar illius, qui sequuto aliquo casu in meridie, cum magno labore, ac sumptus multos curat testes inducere ad probandum quod tunc esset de die, & non de nocte; Et per consequens non videtur quamvis fatuosa, & inexcusable ratio, & finis, ad quem ista ineptia exercetur.

Tunc itaque iste labor opportunus est, nimiumque commendabilis, atque scribentis eruditio, nem probat, quando agatur de articulo adhuc dubio, qui existat in illis terminis, in quibus apud antiquiores, erant superius enunciata, ac similes quaestiones.

Longè autem commendabilius, quando scribens, agnoscendo quod illa opinio, quæ in loco vigeat, erronea, maleque fundata sit, solumque recepta ex abusu pragmaticorum procedendi more pecudum, & avium assumat opus, illam impugnandi, ac ostendendi errores, sive illam declarandi; Tunc etenim si haberi possunt multæ auctoritates graves, quæ id comprobent, expedit eas perquirere, & cumulare, non autem procedere cum solis ratiociniis, cum similibus, quibus eadem congruat ratio; Sed ea cessante, non videtur, ad quid id deserviat, & cui fundamento, vel rationi innixi sint illi, qui hunc nauseativum stylum adhibent; Nisi dicatur, quod sint ex illis ineptis pictoribus, qui nescientes corpus, eiusque membra bene delineare, & efformare, toti insunt in magna colorum congerie super vestibus, aliisque inutilibus ornamentis, quæ tabulam potius deturpant, eamque apud peritos reddunt contemptibilem; Bene verum quod pulchra videbitur pueris, & mulieribus plebeis, vel reliquo penitus ignaro vulgo, &c. Ita à pari iste ignobilis modus scribendi, referendus est stylo plebis, seu vulgi leguleici; Ideoque meritò plebi seu vulgo infimo, & pedaneo placet quia stylus fortè alterius adhuc altioris eorum intellectus est incapax.

Et nihilominus, etiam in casibus, in quibus hunc laborem adhibere congruat ille adhibendus est, cum illa scriptorum segregatione, vel ponderatione, de qua habetur supra in Rubrica Rotæ, *supra*

Supra disc. 32. occasione agendi de idea Judicis, cum eadem, quæ de Judice ibi dicuntur, scriptori, vel Consulenti congruant, ibique videri poterunt.

In reliquis etenim, ubi scriptor, methodicè, ac altè loquatur, plures præsupponendo conclusiones, vel regulas, ex quibus ad aliquam inferat consequentiam, vel conclusionem, utique (citra manifestam ineptiam) opinandum non est, quod ille non habeat notitiam illarum auctoritatum, quæ desuper habeantur, ob tam magnam copiam Collegiorum, quam hodie habemus, adeo ut etiam tyronibus, qui vix principia calleant, nimium facillè reddidit sit, magnas facere confarcinationes; Ideoque iste stylus est infimi vulgi, seu ineptæ plebis leguleiorum, quorum nomen, etiam apud primos legum, vel artis oratoriarum patres, & magistratos, in usu contemptibile semper fuisse habemus scriptum. *Cicero, Seneca, & alii quos refert Quintilian. dict. cap. 3. lib. 12.*

Dicere solent aliqui, quod huiusmodi cumulus allegationum, atque articuli plena reassumptio, prodesse possunt pro imperitis iudicibus, præsertim parvorum locorum, cum quibus præsupposita fieri non possunt neque ego improbo stylum quando ista necessitas cogat; Verum id in magnarum Civitatum, & Tribunalium Iudicibus, non est supponendum; Alias enim dicendum esset quod orator debeat multas facere digressiones docendo etiam regulas grammaticæ, eo quia multi adesse possunt Auditores, qui linguam latinam non intelligant; Et tamen esset iste clarus error, ac ineptia manifesta, quoniam supponendum non est, quod oratio fiat iis, qui grammaticæ regulas calleant, ita à pari.

Stupendum itaque est principaliter congruæ applicationi, pro illius individui casus particularibus circumstantiis, atque pro ipso decidendo; Ad instar medicorum, qui evocati ad infirmum curandum, vocare non debent disputationi scholasticarum questionum, sive longis inutilibus apparatus; vel discursibus academicis, super propositionibus generalibus; Sed eas, utpotè notorias, & certas præsupponendo, incumbere debent congruæ applicationi, ad effectum curandi illum infirmum bene perquirendo causam morbi, ac etiam ponderando illius præcisi corporis habitum, ac vires, ex quibus judicare debebunt, an congruant illa remedia, quæ doceant regulæ generales artis, atque alias erunt imperiti, & contemptibiles medici curationi infirmi non apti; Et hic est casus, etiam scriptorum seu Consulenti pro causarum oportunitate.

Magnas item questiones disputant aliqui Canonistæ & Morales, super munere Advocatorum, an scilicet, & quando liceat illas causas tueri, quæ, pro eorum opinione, injustæ videantur, adeo ut, si ipsi essent iudices, sententiarent favore alterius Partis; In hoc autem, ac similibus, quæ internum forum concernunt, nullæ sunt meæ partes agendi, quoniam ex iis quæ pluries alibi insinuata sunt viro forensi versato in iis, quæ externum forum concernunt, incongruum est, hoc munus assumendi questiones fori interni, utpote extra propriam spheram, ut è converso incongruum est professoribus fori interni se ingerere in iis, quæ ad externum pertinent, *sub titul. de usur. disc. 1. & 2. & alibi pluries.*

Relinquendo itaque integrum locum veritati, *Card. de Luca. Relatio Curie Romanae.*

discursivè tantum, sive ad quandam propriam satisfactionem (quatenus pertinet ad Advocatos Curie Romanae de quibus agitur) videtur quod manifesto æquivoco laborent Scriptores illi, qui non distinguendo regiones, vel earum diversos mores, & stylos generaliter, ac indefinitè loquuntur de Advocatis, innixi auctoritatibus eorum, qui juxta propriarum regionum mores, ac stylos, illos supponunt Advocatos, qui etiam acta, & processus ordinant, atque eorum quæ facti sunt, curam habent, habendo Procuratorem tanquam subordinatum, & inferiorem ministrum practicum, seu exequutorem eorum, quæ ab Advocato demandentur, juxta eam proportionem, quæ in Curia habetur, inter Procuratores, & Sollicitatores, adeo ut Advocato bene innotescant ea, quæ facti sint, atque ad ipsum pertineat, exceptiones proponere, ad subterfugia, & dilationes, quæ calumniam redolere valeant.

In iis etenim, quæ consistunt in facto, cuius veritas est certa, & invariabilis, huiusmodi Scriptores bene loquuntur, quoniam tueri causam injustam de facto, redolet per necessè fomentum calumniarum, ac etiam mendacium, quod est de genere malorum, atque semper, & intrinsecè est malum, ideoque injustè defenditur ille debitor, qui verum creditorem, vel rei dominum defatigare curet, cum calumniis, & cum subterfugiis, vel cum falsis probationibus.

Id autem penitus incongruum est illis Curie Romanae Advocatis, qui (ut decet) superius explicatum puri Juris Consulti munus gerant, respondendo de jure tantum, super iis, quæ in facto, per causæ Patronum præsupponuntur, cum bona fide, credendo, quod illa vera sint, adeo ut, causæ justitia, vel injustitia, pendeat ab articulo juris dubio, sive dubia applicatione regularum juris, ad illam facti speciem; Atque tunc solum (pro meo iudicio) illis Advocatis, præmissæ dubitationes bene congruere videntur, quando scilicet agatur de illis, (nimium tamen raris) casibus, in quibus agatur de re, in jure clara, & certa, verum Judex adeo imperitus esset, ut decipi valeat, sive altera Pars defatigari, cum propositionibus positivè falsis, vel certè reprobatis, aut cum aliis malitiosis fallaciis, quas Judex, vel alterius Partis parum peritus defensor non cognoscat, cum tunc pariter intrare videatur eadem ratio doli, ac mendacii, seu calumniæ, ut in iis quæ facti sunt, habetur.

Ubi verò esset ista circumstantia, quia nempe ubi agatur de puncto Juris ambiguo, & disputabili, ut pro frequentiori contingentiâ praxis docet in classicis Curie Advocatis, dum isti assumi non solent in causis planis, sed solum in ambiguis, & quando causæ Patronus agnoscat quod eius vires non sufficiant, adeo ut frequentius Advocati evocari soleant, eo modo quo medici extraordinarii alicuius majoris nominis, & existimationis, evocantur per medicum ordinarium, quando videat infirmum in aliquo periculoso statu; Et tunc, non videtur quomodo ad praxim reduci valeant ea, quæ per dictos professores interni fori desuper cum consuetis metaphysicis, vel idealibus discursibus in abstracto ponderari solent, circa propriam opinionem, vel conscientiam; Tum quia Advocati non judicant, neque cogunt Judicem ad ita judicandum, sed

Pp

solum

solum insinuant motiva comprobata cum auctoritatibus, & doctrinis, quæ habentur in libris impressis, ideoque de facili videri possunt, earumque fallacia dignosci; Tum etiam quia in magnis Civitatibus, & Tribunalibus, adest copia Advocatorum, literatorum, qui è converso per alteram Partem assumpti, id detegere possunt; Ac etiam ipsi Judices supponendi sunt periti, vel quod peritos habeant Assessores, vel Adjutores.

Magis autem ex eo, quod quotidiana praxis docet, ut in ambiguis articulis juris, seu in ambiguis applicationibus, ob ingeniorum varietatem, id quod uni videtur album, alteri æqualis doctrinæ, ac integritatis, videatur nigrum; Quinimodò ut in eodem Tribunali, ex eisdem, motivis, non immutato facto, pluries retractentur resolutiones, vel sententiæ; in omnibus materiis, & præferim tit. de fideicommiss. discurs. 179. Unde propterea frequens praxis docet, quod convocato congressu plurium insignium, & primi nominis Advocatorum, pro sola veritate concludatur causam esse in tuto, & tamen diversus sit infelix eventus; Et è converso concludatur, quod causa sit nimium periculosa, & tamen sit facilis, & felix victoria, ut præsertim in questionibus ambiguis voluntatis, mortuorum, vel etiam viventium, quotidiana experientia probat; Adeo ut stulti, pro meo sensu, reputari mereantur illi Advocati, vel Professores, qui tute, atque constanter, loquantur de justitia, vel injustitia causarum, quarum resolutio, ab articulis juris controversis, fortius verò, à dubia applicatione decisionem expectat.

Item quia magnum resultaret præjudicium Partibus, ut Advocati postquam assumpti sunt, atque de causæ meritis sunt instructi, ob eorum diversam opinionem, deberent causæ defensionem deserere, quoniam ita esset pandere secreta causæ, illamque declarare injustam, antequam Judex id agat; Et tamen potest ipse decipi, ut frequentissima praxis docet; Et in summa esset res omnimodò impracticabilis; Ideoque libenter ab istis scriptoribus audirem, quisnam sit ille, qui credat istam veritatem ita cognoscere.

Illud autem onus Advocatis, aliisque Professoribus, incumbere pro meo iudicio videtur, ut consulti pro veritate, illam sincerè, & candidè dicant, eo modo quo eam ex proprio sensu, vel opinione credant; Sive ut assumpti ad causæ defensionem, proprios sensus, propriasque difficultates clienti aperiant, ut ita rebus suis consulat, omnimodò abhorrendo stylum illorum, qui turpis lucri gratia, atque (ut vulgò dicitur) ne pipiones à columbaria expellantur, omnes afferunt causas bonas, & justas, adhibendo illud nimium damnabile dictum, ut nulla sit causa mala, quam bonus Advocatus non possit facere bonam; Ac etiam mea fuit consuetudo in parvis locis, atque apud pedaneos Judices, apud quos auctoritas scribentis impressionem facere possit, nunquam scribendi, nisi pro veritate; Quæ tamen ita obiter, & discursivè insinuata sint, nihil pro foro interno firmando, cum meum non sit assumere questionis opinionis probabilis, vel probabilioris de qua videant id ad quos pertinet, de ista questione Eagnan. in capit. ne invitatis de constitutionibus ex numer. 381. de Beneoper. moral. de conscientia opinante dubitat. 4. Boss. oper. moral. tom. 1. ex num. 732.

Problematica item est questio, an pluribus Advocatis in eadem causa scribentibus, congruat nec ne, omnes eorum informationes, reducere in unum compendium, quod sub restrictis vocabulis, in Curia explicatur, cum omnium subscriptionibus, juxta usum, qui antiquitus magis rarus, hodie, verò ab aliquo moderno tempore nimium frequens in Curia videtur; Aliqui siquidem id commendant, ne dum ob majorem iudicum commoditatem, & ne fastidiantur lectura tot informationum, quæ continent eadem, unde propterea remanere videtur superfluus labor; Tum etiam, ob causarum servitium, quod scilicet pro consueta ingeniorum diversitate, aliqui Advocati insistere magis soleant in certis motivis quam in aliis; Et alii è converso magis in iis, quæ per alios negligantur; Ita enim consultiur huic inconvenienti, atque omnia in una scriptura proponuntur; Idque expediens reputatur, ob eandem rationem varietatis ingeniorum, quæ in iudiciis quoque contingit, unde propterea, quod uni placet, alteri displicet, & è contra.

Ab aeneis enim nostris magistris Advocati momentur, omnia motiva deducere, etiam ea quæ ipsis levia videantur, cum sapius ex eis resolutiones favorabiles reportentur, iis neglectis, quæ ipsi solida, ac meliora credant, juxta alias insinuarum exemplum dapiferi qui non illos cibos tantum, qui sibi boni videantur, apponere debet in mensa convivii, in quo multi accumbant, sed debet apponere omnes illas ciborum species, quæ haberi possunt, ob gustuum, & stomachorum diversitatem, dum pluribus Advocatis in causa scribentibus, Judices ex genio, vel casu unius informationis lectura contenti esse solent, supponendo quod alii eadem dicant, & consequenter non vident alia motiva.

Alii verò è converso id non laudant, nisi in aliquibus casibus nimium raro contingibilibus, in quibus causa qualitas, ex necessitate, ob multiplicatam motivorum, quamvis laconicus adhibeatur stylus, informationes prolixas exigit; Ubi vero pro frequentiori contingente, (ut decet) non corrumpatur, optimus, & nunquam satis laudatus antiquus Curia stylus, brevis, ac strictus ad punctum abhorrendo superfluitates ut supra, tunc damnabile potius id reputant; Unde propterea ab ipsismet primis temporibus, in quibus Curiam praticare cœpi, ac semper successivè, expertus sum quod iste fuit sensus magis communis Advocatorum, juniorum, & primi ordinis, ex triplici ratione; Primò nempe, quia frequentius, in causis præsertim gravibus, pro quarum directione, juxta superius insinuatam commendabilem stylum, haberi solent congressus, seu congregationes, vel ob prævias eiusdem causæ disputationes in alia instantia coram Auditore Camera, vel alio Iudice, omnia motiva seu merita, omnesque doctrinæ, seu auctoritates, omnibus pariformiter innotescunt; Et tamen, inter plures indices experimur varios scribendi modos, quod scilicet alii sunt boni, & excellentes scriptores; Et è converso alii mali, & inepti, dum vis est in meliori, vel pejori stylo; Ut in aliarum literarum professoribus, & præsertim in historicis, vel chronisticis, aut in scriptoribus epistolarum familiarium, qui vulgò secretarii appellantur, quotidiana praxis docet, quoniam pluribus eisdem facientibus rerum enarrationes, unus bene, & excellenter; Alter verò malè, & insipide, idem

idem explicat; Ad instar plurium coquorum, qui easdem ciborum species diversimodè condiunt; Sive plurium pictorum, qui easdem figuras, super eodem indivisio modulo, in diversis tabulis pingunt, cum similibus, quoniam vis est in stylo, seu in modo dicendi, cum majori, vel minori spiritu, & elegantia, unde majorem, vel minorem, faciant impressionem; Et per consequens improprium videtur, quod si plures pictores, diversas tabulas, super eadem figura confecerint, melius, vel deterius explicantes desideratam imaginem, ut committi debeat uni juniori, qui fortè minorem praxim vel peritiam habeat, quod ex omnibus, unam efformet tabulam publicè exponendam, quoniam in substantia erit pictura unius juvenis, juxta eius pingendi, seu delineandi modum, ita obscuratis tabulis pictorum excellentium.

Secundò quia, cum nemo sit qui ingenio cedere velit, omnique avos amor, ac existimatio sui ipsius supra alios, magnam semper habuerint dominationem, juxta vulgare exemplum symie, cui proprii symioli cunctis animalibus pulchriores videntur; Hinc sequitur quod quilibet ex pluribus scribentibus ambit, atque inculcat, ut eius motiva eo modo, quo ab ipso deducta sunt, reportentur, ægrè ferendo quod aliter fiat, unde propterea compendii extensor, ut omnibus satisfaciatur, cogitur componere corpus informe contra ordinem symmetricum, atque ut vulgo in Curia dici solet, informatio continet quandam malè ordinatam confarcinationem, quæ vulgò *Saleicia* nuncupatur.

Et tertio fortius, quoniam in operibus ingenii, major stimulus est ille ambitionis, & emulationis, quod scilicet in concursu plurium idem opus componendum, quilibet studeat, ita perfectè, ac bene illud agere, ut plausum majorem reportet. Idque præsertim in Advocatis juvenibus commendabiliter cordi esse solet ac debet, unde propterea acuitur ingenium, longeque major adhibetur applicatio; Atque id non solum influit in privatam illius causæ utilitatem, sed etiam in bonum publicum, quod scilicet ita ex continuatis actibus, fit habitus bonus, sicque plures efficiuntur excellentes professores; E converso autem, ubi sciatur vel stante stylo, supponatur, quod faciendus sit restrictus, tunc languescit ingenium, atque cessat ista causa generosæ excitationis, spirituum; Ex his itaque ista posterior opinio, melioribus reputari solet fundamentis innixa, quandoque pro regula teneri debeat negativa, quandoque pro causæ qualitate limitanda, sed rarò.

Istam verò necessitatem, seu consuetudinem, produxit fortè, aliquorum modernorum scribentium abusus, corrumpendo adeo excellentem Curie stylum, atque amplectendo stylum exterum ineptum, ac damnabilem, replendi chartas superfluitatibus; Ac propterea, error, errores generat, atque multiplicat, quoniam si scriberetur, (ut decet) juxta stylum Curie, tunc ista necessitas non adesset.

Non desunt tamen, qui (forte non improbabili- ter) hunc abusum referunt moderniori diverso stylo Rotæ id decisionum editione, ob axioma Regu ad exemplam, &c. ut superius quoque, agendo de eo Tribunali advertitur; *supra discurs. 32.* Quoniam si in decisionibus abhiberetur (ut adhibendus esset) ille stylus magistralis, qui adeo mag-
Card. de Luca. Relatio Curie Romana.

no Tribunali congruit, præsupponendi scilicet, jam notas, & vulgares, regulares, & conclusiones, neglecto plebeo stylo, illas exornandi cum superfluis allegationibus, strictèque immorandi, more magistris, non autem discipuli, vel tyronis cum rationibus, & auctoritatibus, in solis motivis, in quibus consistat causæ pondus, & quæ fuerint causa resolutionis; Ita quoque edocentur Advocati, cum eodem stylo scribere strictè super eo puncto, in quo difficultas resideat; Id autem ex bono zelo, pluries insinuare, atque inculcare nunquam superfluum videtur.

Honorarium Advocatorum, ex antiqua Curie consuetudine, certam ac informem habet taxam, quod scilicet sine distinctione causarum, sive magnæ, sive parvæ sint, nulla ratione habita earum valoris, pro qualibet functione in scriptis, sive sit prima, & magis elaborata informatio ad causam, sive sit brevis responsio, vel replicatio; Ac etiam pro informatione in voce; sive sit unius judicis, sive plurium eadem die, & in eadem causa; ac sive in contradictoria, sive in privata informatione absque contradictore, in Camera, idem est præmium, juliorum scilicet viginti quatuor, pro magis communi consuetudine, & aliquando pro causarum, vel clientum aliqua magis conspicua qualitate, augeri solet, usque ad summam juliorum triginta, sive duorum scutorum auri.

Si verò sint consilia, vel discursus pro veritate, vel pro directione causæ, quæ instituta, vel institutenda sit, tunc honorarium est duplicatum, quoniam licet etiam sit exiguum, attamen inerat eadem ratio compensationis cum futuro causæ progressu; Ubi verò agitur de consiliis extra Curiam, in causis, in quibus non intret dicta ratio compensationis, tunc debet esse majus, & minus pro causarum qualitate; atque requirementum discretionem; Ubi tamen indiscretio adit, adhuc eadem adhibetur diligentia, neque fiunt mechanicæ repressalia vel petitiones.

Istam autem stylum, à quam pluribus prudentibus clientibus illarum partium, in quibus ille non vigeat, usque ad sidera commendari pluries ac pluries expertus sum, cum ita eradicetur occasio malæ satisfactionis inter Advocatum, & clientem, dum iste scit, quid dare debeat, & ille quid recipere; Et quamvis aliquibus, primò aspectu, taxa exigua videatur, qualitati operis incongrua, sive indecora; Attamen id clarum continet æquivocum, quoniam reflectendo ad multiplicatam functionum, & huiusmodi recognitionum, earumque cumulum invenietur, quod in causæ cursu, importet idem, ac illud præmium, quod una vice, in notabili summa cum majori displicentia & incommoditate præstetur, & quandoque plus.

Prodit autem ista taxa juliorum viginti quatuor ex qualitate monetæ aureæ, quæ antiquitus in Curia erat in usu; illorum scilicet ducatorum auri, qui scuti larghi Solis appellabantur, quoniam pro qualibet functione dabantur duo ducati; Sed quia ob frequentiore viam scutorum breviorum minoris valoris istius monetæ cussio negligi cœpit, ideoque æs erat, eius tamen valor ob inferius pretium auri importabat julios duodecim, hinc inolevit usus dandi æquivalentiam in magis currenti monetæ
Pp 2 argen-

argentea, de hac specie moneta titul. de benefic. discurs. 89. titul. de penson. discurs. 35. & titul. de credit. disc.

140.

Est quoque problematicum, an damnabilis, vel commendabilis censeretur Curiae stylus, ut idem est premium, in casu victoriae, ac in altero succumbentiae, dum victoria, nullum aliud (pro frequentiori stylo) praefert premium.

Siquidem pro opinione damnante hunc stylum, urget motivum, quod ita sub spe praemii, Advocatus fiat diligentior, magisque ingenium acuat; E converso autem pro altera opinione urget ratio, quod ita tollitur occasio Advocatis, ac defensoribus, turpiter agendi, atque curandi, per fas & nefas, reportare victoriam, ex stimulo eius majoris praemii, assumendo forte aliquando potius partes mediatoris, vel negotiatoris fordidum, & corruptelae cum Judicibus, & Notariis, vel in obtinendo favores apud Judices, quam Advocati in studio, ac defensione causarum per tramites juris, & iustitiae; Unde propterea lex merito adeo prohibuit in Advocatis, & Procuratoribus, pacta quotae litis; Ac etiam ob magna incommoda, qua litigantibus exinde resultant, dum ob favorabiles sententias, vel resolutiones, antequam eorum effectum reportent, coguntur istud incommodum de proprio pati, atque frequenter casus praebet, quod exequutio, vel effectus victoriae nunquam obtineatur, ideoque potius iacturam, & damnum de proprio sentiunt, eisque magis expedisset, illam non reportasse, sed passos esse succumbentiam, istaque posterior pars est melior.

Quamvis item, super pactis quotae litis, a lege prohibitis, DD. plures tribuant huius prohibitionis moderationes, & praesertim ubi participatio proportionata sit mercedi alias praestanda, cuius loco succedat, adeo ut conventio bona fide potius inita dicatur, ad levamen, ac majorem commoditatem clientis; Sive quod alias ex facti circumstantiis, cesset ratio, cui haec legis prohibitio est innixa, de isto pacto Farinac. quest. 106. Duran. decis. 53. dec. 358. in su. Peuting. decis. in principio. Adhuc tamen in Curia, pro frequentiori praxi, (cum nulla detur regula ab aliqua limitatione in unis) huiusmodi conventiones non audiuntur, & praesertim in Advocatis, ac etiam in classicis, & qualificatis Procuratoribus, Tu quia, per bannimeta particularia, juris prohibitio magis ampliata est, ita tollendo illas licentias, quas desuper tribuunt DD. subtilitates, vel declarationes; Tum fortius ob communem existimationem, dum speciem infamiae de facto id redollet; Si enim damnabile, atque existimationi praediaciale reputatur petere, etiam extra iudicium, fortius autem in iudicio, honorarium, ac mercedem alias licitam, & debitam, ut supra, multo magis quando huiusmodi conventiones fiant.

Iste autem Advocatorum ordo (ut supra innuatum est) duplicem habet speciem; Unam scilicet eorum, qui consistoriales dicuntur, atque numeratum Collegium constituunt, cui coopantur per Papam, cum provisione in titulum, tanquam per speciem officii, vel dignitatis; Et alteram, generaliter complexivam omnium aliorum, qui de isto Collegio non sunt.

De Advocatis Consistorialibus.

Super origine autem istorum Advocatorum Consistorialium, variae habentur opiniones; Una enim opinio credit, id provenisse ex decreto seu provisione Benedicti X. de anno 1340. de tempore quo Sedes Apostolica in Avenionensi Civitate residentiam habebat; Camill. Fanuccius de operibus piis Urbis lib. 2. cap. 2. 3. & ex eo Loter. in typo collegii procuratorum. Ex ea ratione qua super jus assignata est, agendo de Papae Consistorio, supra disc. 5. quod scilicet, cum antiquitus Papa consuetudinem haberet, examinandi, ac decidendi per se ipsum, cum voto Cardinalium graviore causas in Consistorio, quod propterea frequentius, bis in hebdomada tenebatur, cum interventu Advocatorum, & Procuratorum, etiam in contradictorio; Incongruum vero, atque indecorum reputaretur, ut omne personarum genus, in eo adeo qualificato consensu admitteretur, ita forte edocentibus inconvenientibus, quae exinde, ob illos mores, a magis urbanis Romanae Aulae diversos, resultabant; Hinc proinde, ex pontificio decreto prudenter statutum fuit, ut ad orandum, sive ad informandum in Consistorio, admitti non deberent, nisi illi Advocati, & Procuratores, qui ad id expresse approbati, ac deputati essent; Ad instar illius provisionis, quam nostra aetate fecit Tribunal Rotae, non admittendi ad scribendum in facto, nisi eos, qui praevio examine coram, Decano, ut supra approbati essent, dum etiam in Procuratoribus, ut infra id statutum fuit.

Altera vero opinio, longe antiquiorem expetit originem, ut scilicet, isti Advocati Consistoriales (nuncupatione tractu temporis immutata) sint illi septem regionarii Urbis defensores, qui a Divo Gregorio Magno, pro defensione pauperum, & aliarum personarum, quae oppressionibus essent subiectae, instituta fuerunt; Ex pluribus id arguendo; Tum scilicet, ex vocabuli identitate, cum idem importet defensor, ac Advocatus; Tum ex altera identitate numeri septenarii; Ac etiam ex identitate muneris, dum istis ex debito officii incumbit, pauperes, aliasque miserabiles personas tueri; Plures quoque ponderando praerogativas, praefatis antiquis defensoribus competentes, quibus isti Advocati hodie potiuntur; Majorem quoque antiquitatem arguendo ex eo, quod plures enunciantur personae, ista qualitate praeditae, priusquam praefatus Benedictus X. sedem Petri occuparet; Et praesertim Summus Pontifex Bonifacius Octavus, ac etiam insignes Juris Consulti, Lopus, Oldradus, & S. Raymundus & alii. Rubens in opusculo Advocatorum Consistorialium cui redymus defensoris nomen tribuitur cap. 1. Scannarol. de visit. carceratorum lib. 1. cap. 3. sect. 2.

Quidquid autem sit, de unius, vel alterius opinionis veritate, atque integrum locum illi relinquendo, cum parum, vel nihil referat, an antiquior, vel recentior sit introductio; Sive de quo tempore, ad formam collegii numerati redacti sint; Certum est, quod numerus septenarius, notabilem habet antiquitatem, utpotè in primitiva Ecclesia in usu habitus, ut docet septenarius numerus Protonotariorum, & Subdiaconorum Apostolicorum; Ac etiam in moderniori Curia, idem

septenarius est numerus Clericorum Camerae, & Referendariorum; Cumque supranumerariorum usus invaluisse, eo modo, quo in Camera Apostolica Clericis invaluisse superius advertitur; *supra disc. 33.* Hinc sub Innocentio Octavo, idem in isto Collegio quoque statutum fuit, quod prius Callistus III. alique Pontifices in dicto altero Collegio Clericorum Camerae decreverant, ut scilicet, ad solos septem numeratos, emolumenta & munia spectarent, non autem ad alios supra numerum; Isti verò erant varii, dum ex testimonio Practicorum, qui scripserunt sub Paulo tertio, tres tunc erant, istud Collegium ex decem Advocatis constitutum esse referendo. *Vestr. in praxi lib. 2. cap. 18.*

Hodie verò (incertum est quo tempore id sequutum sit) ad instar fortè Collegiorum Rotæ Camerae, plurimumque aliorum & præsertim illius Protonotariariorum, ex duodecim constitutum est; Eadem tamen in praxi continuante differentia, inter septem antiquiores, quinque juniores, quod scilicet, quanvis quoad honorificos tractatus, ac præminentias, in cappella pontificia, aliisque locis, ac etiam circa jus orandi in consistorio; Sive in facultate doctorandi, Vel in capacitate officii Rectoratus studiorum, quod penes idem Collegium, ex Apostolica concessione, titulo oneroso, sub Sixto V. residet, aliaque jura, vel prærogativas, & præminentias, æqualis omnium sit conditio; Attamen quoad participationem emolumentorum, illa est inæqualis, cum ad solos septem antiquiores pertineat, cum aliqua majori prærogativa eius, qui inter omnes majori polleat antiquitate officii, cui, ad instar omnium aliorum collegiorum, Decani vocabulum tribuitur; Dummodo tamen, in eodem statu vel sphaera Advocati perseveret; Adeo ut, si diversum, quamvis majorem, Prælaturæ, ac etiam Episcopalis, sive Archiepiscopalis, ac etiam Patriarchalis dignitatis gradum assumat, per quam, ubi non agatur de Episcopatu actuali, & residentiali, sed solum titulari in partibus infidelium, officium non vacat, sicuti vacat per Episcopatum, non actuali administratione, vel per assumptionem ad Cardinalatum, sive ad Auditoratum Rotæ, vel ad Clericatum Camerae, cum tali casu, ad instar eorum quæ de Rotæ Auditorio dicta sunt, primus efficiatur secundus, atque decanatum occupet ille, qui inter simplices Advocatos sit antiquior; Ex ea congrua ratione, quod caput esse debet ex ipso corpore, eiusque natura seu qualitate, non autem ex diversa.

In cooptatione eius, qui ad locum vacantem per Papam assumatur, eadem observantur solemnitates admissim, quæ supra in Rotæ Auditoribus insinuatæ sunt, *supra discurs. 32.* circa examen, cum duplici disputatione; Una scilicet publica, & solemniter in Aula magna Pallatii Cancellariæ, coram Collegio Cardinalium, totaque Curia, ut ibi dictum est, aliis Advocatis argumenta proponentibus; Et altera privata, quæ secreta dicitur, prævis quam pluribus solemnitatibus, ad instar earum, quæ in altero Rotæ Collegio adhiberi solent, prævioque consimili processu, super vita, moribus, gradu doctoratus in utroque jure, legitimis natalibus, & aliis; Ea addita, per eisdem Collegii statuta, quæ circa finem retroacti sæculi, de anno 1582. ordinata fuerunt, recensentur per Rubeum in dicto opusculo *Advocatorum Consistorialium, cap. 1. Card. de Luca. Relatio Curie Romana.*

numer-20. ut natales, non solum legitimi, sed etiam nobiles esse debeant; Ex ea tamen nobilitate, quæ legalis dicitur, apta distinguere nobilem ab ignobili in propria patria, qualis qualis illa sit, adeo ut generosa desideranda non veniat, ut quotidiana observantia docet, *de his speciebus nobilitatis tit. de præminent. disc. 35.*

Locum fixum, ex Apostolicis indultis, eodem modo, quo de Rotæ Auditoribus dictum est, tres obtinent Civitates, Bononiensis scilicet, Ferrariensis, & Mediolanensis; Alii verò novem, pro Papæ arbitrio eliguntur, atque pro frequentiori contingentia, ex Urbe, aliisque Civitatibus, & locis Italicæ ditionis temporalis Ecclesiæ assumuntur, ac etiam ex Hetruria.

In hoc autem, major cernitur ea, quæ agendo de Rotæ Auditorio supra insinuata est, injuria, quam patiuntur illæ duodecim adeo amplæ, & Romana Curia proficue provincie, ex quibus constituitur Regnum Siciliae citra pharum, quod alias Apulia, hodie verò Neapolitanum dicitur, dum ab eo tempore, in quo quidam Baldassinus Neapolitanus huic collegio cooptatus fuit, ratione coadjutoris, habens alterum Baldassinum successorem, illarum nationum fatum tribuit, ut negligi mererentur; Et fortè meritò, ita exigentibus rationibus, quæ in eadem Rotæ rubrica insinuatæ sunt.

Longè verò major injustitia, in isto Collegio elucere videtur, quam in altero Rotæ, quoniam majora emolumenta, quæ istud sublineant, ex duabus potissimum proveniunt causis; Prima nempe, ex emolumentis, quæ obtinentur pro concessione gradus doctoratus in utroque jure, dum ista facultas, ab antiquo tempore, penes istud Collegium ex Apostolicis indultis residet, dicto opusculo *cap. 5.*

Et secundò, ex orationibus, quæ fiunt in Consistorio, pro concessione pallii, quæ fiat Archiepiscopis; Siquidem major Pars eorum, qui doctoratus lauream ab isto Collegio suscipiunt, est ex illis qui ad id ad Urbem accedunt ex dictis provinciis, ob quosdam matriculationis rigores, qui citra omnem rationem adhibentur in doctoratu conferendo per Collegium Neapolitanum; Adeo ut forte unquam detur casus, quod Mediolanenses, & Ferrarienses, ab isto Collegio dictum gradum suscipiant, quinimò neque Hetrusci vel alii subditi ipsiusmet Status ecclesiastici, excepta Urbe & locis adjacentibus, ob frequentem Universitatum numerum, nempe; Firmanam; Perusinam; Maceratensem; Urbinatensem; Ferrariensem; Bononiensem; Pisanam; Et Senensem; ultra alias magis remotas; Patavinam, Parmensem; Papiensem; Taurinensem, &c.

Prout etiam, ex Bononiensi, & Mediolanensi Civitatibus, unius tantum respectivè pallii emolumentum obtinetur; Ex Ferrariensi verò nullum; E converso autem ex dicto Regno, eiusque provinciis, obtinentur emolumenta unius, & viginti Archiepiscopatum ibi existentium, adeo ut rectè dici valeat, quod pro majori parte, Collegium ab eo Regno sustentetur; Et tamen in eo locum non habet, ita, (ut dictum est) meritò exigentibus, illarum nationum, seu verius Metropolitanicæ Civitatis moribus, ac ventosis applicationibus in levitatibus.

Locum habent huiusmodi Advocati in Cappella

58 pella pontificia, ac etiam in pontificiis equitationibus solemnibus, aliisque functionibus, more Collegiorum prelatitiorum, cum quodam solemnibus habitu coloris violacei, quem etiam adhibent, in dicta functione publicarum disputationum, aliisque publicis functionibus, illa præsertim exequiarum generalium, quæ singulis annis, post Kalendaras, fiunt pro Rotæ Auditoribus, sive exequiarum particularium, singulorum Auditorum, vel Advocatorum Consistorialium; Aut in festo quod celebrat Collegium Procuratorum ut infra; Vel in apertura Rotæ, ac similibus; Quinimò in quibusdam maioribus solemnitatibus, coronationis Papæ, & Imperatoris, & canonizationis Sanctorum, habent usum cuiusdam vestis, quæ formam pluviæ habet; Atque in ista materia canonizationis Sanctorum, pluribus gaudent prærogativis; Tum quia eis tantum conceditur, in publicis

59 Consistoriis, de super orare in illis spatiis, in quibus sequatur aliquod Papæ orium, ut supra in Consistorii rubrica advertitur, *supra disc. 5.* Tum etiam quia in publica, & solemnibus functionibus canonizationis, ad eos, vel eorum aliquos pertinet pariter orare apud Pontificem, atque petere adscriptionem illius servi Dei catholico Sanctorum, quasdam alias prærogativas quoque obtinendo in ista functione, & in altera coronationis Papæ; Illam quoque valde existimabilem habentes prærogativam interveniendi in Conciliis generalibus.

61 Habitus verò domesticus, & quotidianus, antiquus, usque ad meam Curie præxim, erat communis etiam aliis Advocatis non consistorialibus, vestis scilicet longæ ad formam togæ, cum quadam cappa perforata, cui *mantelloni* vocabulum tribuitur, pariter usque ad talos, ad differentiam illius cappæ brevioris, vulgò *mantelletta*, quam supra vestem, ad genua gerunt Episcopi, aliique Prælati, illi præsertim, qui sint simplices Referendarii Signaturæ, absque alio adjuncto munere, dum, denegato eius usu coloris violacei, eundem adhibent colorem nigrum; Iste siquidem habitus erat communis omnibus Advocatis, tanquam toga doctoralis; Ab aliquo verò moderno tempore, per alios est intermissus; Et meritò, cum indecorus vel respectivè incommodus, atque dispendiosus esset, præsertim juvenibus, vel iis, quibus natura, vel fortuna avara esset, circa professionis occupationes, & negotia, unde propterea, inolevit in Advocatis idem usus vestis, & pallii, pariter ad usum togæ, quam adhibent, Procuratores, & Sollicitatores, ac etiam Medici, aliique Professores, & quorum habitus communis est cum illo Clericorum secularium, qui ab aliquo tempore, ad instar, illum in usu habere cæperunt, *de isto usu togæ doctoralis, in de iurisd. disc. 33.*

62 Hinc proinde sequutum est, ut iste usus cappæ perforatæ, seu mantelloni remanserit singularis Advocatorum Consistorialium; Idque eorum existimationis, apud populum & in aulicis functionibus nimium considerabile augmentum produxit, dum ita, quandam prælatitiam figuram quodammodo facere videntur; Et quamvis ex Alexandri VII. decreto iste habitus eis privativè concessus fuerit; Attamen fuit concessio Solis de mensæ Augusti, dum jam communis usus id produxerat.

Inter Curiales autem, illam quoque ex Sixti

V. moderna concessione obtinent prærogativam præcedentiæ, supra alios Advocatos, adeo ut consistorialis junior, præcedat seniore Advocatum non consistorialem *Const. 62. Sixti V.* In informando autem, ut in Rotæ rubrica advertitur, *supra dicto disc. 32.* nulla potiuntur prærogativa, circa commendabilem ordinem prioritatis temporis; Bene tamen, circa aliquam magis honorificam associationem, quam judices, juxta antiquos Curie ritus, faciunt omnium Curialium, juxta eorum diversas sphaeras, magis scilicet associando consistoriales, quam non consistoriales, magisque Advocatos, quam Procuratores collegiales, & magis Procuratores collegiales, quam alios non collegiales, magisque istos, quam Sollicitatores.

63 Obtinet quoque istud Collegium, regimen, ac administrationem Universitatis studiorum Urbis, quæ sub vocabulo Sapientiæ explicatur; Ac etiam nimium existimabilis est usus antiquus, de quo etiam antiqui Scriptores testantur, *2. Vestr. dicto cap. 18. lib. 2. dicto opusculo cap. 6.* obtinendi à Pontifice alicuius ex eorum filii idonei, & capacis coadjutoriam cum futura successione; Quod etiam quandoque (licet rariùs,) in fratre, vel nepote, ex fratre praxis docet; In his autem coadjutoribus, aliqua praxis, quæ à juris regulis exorbitat, habetur parum commendabilis, quod scilicet, in eisdem functionibus eodem tempore, cum eodem solemnibus habitu interveniunt, coadjutus, & coadjutor; Ac etiam quod coadjutor, adhuc vivente coadjuto, locum antianitatis occupat, etiam supra eos, qui postea in titulum provideantur, quod nimium refert, ut jure antianitatis occupetur locus inter septem antiquiores, qui solum de emolumentis ut supra participant.

64 Relinquendo autem pariter locum veritati (nullas Judicis, vel decisoris partes de super assumendo) an ex aliquo Apostolico indulto, vel potius à casu, & ex antiquo magis commendabili usu, quod non nisi excellentes & primarii Advocati huic Collegio coopertantur, id provenerit; Illud tamen præbet plurimum seculorum continuata observantia, quod duo infra scripta Advocatorum officia, Camera scilicet vel fisci, & pauperum, penes huiusmodi Advocatos Consistoriales esse consueverunt, ut præsertim legitur de insigni Jurisconsulto *Bonifacio de Vitalinis*, circa eundem supra recensitum annum 1340. Atque præ cæteris, munus Advocati fiscalis, obtinuerunt insignes Jurisconsulti, quorum scripta apud posteritatem remanserunt, *Silvester Aldobrandivus, Antonius Gabriellus, & Io. Baptista Spada* Advocati Consistoriales, *Rubeus in dicto opusculo cap. 7. & Chartarius in syllabo Advocatorum Consistorialium Scannarol. dicto libro 1. cap. 3. sect. 2.* Idque magna consideratione est dignum, non quidem ut Papa præcise arctatus esse debeat ad præfata munera, non nisi ex hoc personarum genere assumere; Id enim fabulosum est, atque stultitiæ speciem redolet, dum ubietiam explicitum adesset privilegium, adhuc tamen certum est Juris principium, ut illud non liget ipsum Papam concedentem, qui etiam officia collata, & privilegia concessa tollere potest, *titul. de Regalibus disc. 148.* Sed ut in pari causa, & quando in isto Collegio adsint viri doctrina, & integritate, aliisque animi congruis dotibus idonei, prælegi de congruo

gruo mereantur, non autem, ut Principis vel Reipublicæ servitio aliter exigente, id præcisam redoleat necessitatem.

66 Ex his autem liquet, istud esse munus nimia existimatione dignum, dum præmissas prærogativas producit, ac etiam utilitatem buralem considerabilem in septem participantibus mensuorum scutorum quinquaginta circiter, nullumque præstat exercitio Advocacionis impedimentum; Illudque etiam, ad instar Tribunalis Rotæ Pontificum, Cardinalium, & insignium præfulum seminarium esse consuevit, dum ab eo, tanquam ab equo Trojano, multi Summi Pontifices, Cardinales, & Præfules prodierunt.

67 Reputantur item Papæ familiares, dum ad instar Prælatorum obtinent partem panis palatii Apostolici; Ipsique habentes in eorum Collegii protectorem Sanctum Ivonem Advocatum, eius sollemnitatem, cum interventu Collegii Cardinalium & Rotæ Auditorii celebrant in Ecclesia, quæ in adeo magnifico studiorum vel Sapientiæ Palatio constructa est; Ac etiam curam, & administrationem habent per celeberrimam Bibliothecam sub Alexandro VII. in eodem Sapientiæ palatio constructæ singularibus ac excellentibus libris instructæ, multique aliis potiuntur prærogativis; Isteque reputatur congruus gradus ad Rotæ Auditorium, aliaque 68 majora munera.

IV.

De Advocato Pauperum.

69 **Q**UAMVIS autem in Curia, magis quam alibi, consultum sit pauperum defensionem, & patrocinio, eò quia, omnes Advocati, indistinctè istam charitatem libenter exercent, ut etiam faciunt Procuratores, si sint collegiales, si veniunt cum adit quædam pia Congregatio Curialium, quibusdam festivis diebus haberi solita in Ecclesia Sancti Caroli ad catenarios pro receptione supplicum libellorum, personarum miserabilium, quæ gratuitum patrocinium implorent, ibique causæ repartuntur; Ac etiam quia Advocatus Consistorialibus, utpote illud munus obtinentibus in officium à Papa istud onus incumbit; Scamoral. de visit. ubi supra. Adhuc tamen in causis criminalibus, ita consultum non remanet ob styllum Curie alibi iniunctum, quod classici Advocati & causarum Patroni, nimium occupati in causis civilibus, tam spiritualibus, quam prophanis, abstinere à criminalibus, in quibus propterea parum versati sunt, quasi quod istæ videantur professiones distinctæ, Civilistarum, & Criminalistarum, adeo ut earum quælibet totum occupet hominem; Ac etiam, ob alterum valde quidem commendabilem styllum, tractandi causas criminales cum nimia celeritate, adeo ut sæpius, terminus defensionum restringi soleat ad horas; Et merito quoniam cum delinquentium, ac facinorosorum hominum puniatio fiat potius pro medicina præservativa publicæ quietis, & tranquillitatis, ut homines à criminalibus arceantur, quam 22 pro curativa criminis jam irretractabiliter parati; Hinc proinde, quo magis puniatio est celer cum recenti memoria criminis, eo magis est medicina proficua, & operativa, adeo ut frequenter contingat, ut pauperum Advocatus, & Proen-

ratores, nedum omnibus aliis negotiis, sed ipsismet 73 cibo, & somno neglectis, cogantur huiusmodi defensionibus totum vacare; Ac propterea quamvis istud munus Advocati pauperum, competentibus emolumentis provisum sit, in annua summa scutorum auri mille circiter, ultra alia emolumenta, & utilitates, quæ resultant à frenchittis 74 gabellarum quibus potitur, tanquam unus ex iis, qui sedent in Tribunali Camera, ut agendo de eodem Tribunali supra advertitur, Ac etiam ob facultatem, quam habet, perinde ac si esset unus ex Judicibus ordinariis, interponendi decreta, in actibus voluntariæ jurisdictionis, puta in contractibus minorum, & mulierum ad 75 formam Statutorum Urbis; Nec non nimium existimabilis reputetur audientia Papæ, tamen diebus ordinariis, in quibus aliis officialibus præstetur, quam etiam in diebus & horis extraordinariis, quando res urgeat; Et quod magis est, videatur munus, quod magnam præbet occasionem meriti apud Deum, quando bene, & cum 76 debita charitate exerceatur, ut frequentius exerceri praxis docet, & præsertim per hodiernum, nimia quidem prohibitis, & charitatis Advocatum Aufebium amicum meum, virum candidissimum; Adhuc tamen, pro meo sensu, vel genio, his non obstantibus, videtur manus, nimium incommodum, & erummosum, utique non desiderabile; Tum ob prædicta incommoda, unde frequenter 77 integras noctes infomnes ducere oportet; Tum etiam quia, pena semper, standum est inter plangitum, & suspiria ipsorum carceratorum; quos audire oportet, eorumque uxorum, & conjunctorum; Et quod magis est, cum agatur de gravibus causis vitæ, & famæ hominum, cum damno irretractabili; Hinc proinde quando causæ exitus, reddat defensionem non proficuum, illi semper remanere videtur quidam conscientie stimulus, pro omnimoda, & majori diligentia forte non adhibita; Sive animi angor, quod indebitè ad patibulum traductus fuerit ille, qui ab eo non reputaretur, illo opprobrioso sine dignus.

Ex his itaque sequitur, quod non de facili 78 veniantur, neque sint frequentes Sancti Ivones, qui ex charitate, suoque are vivendo, atque alia negotia deferendo, istud munus suscipiant, ideoque præcisè necessarii sunt illi, qui in officium huic muneri, toti addicti sint, juxta omnium principatum, & magnorum Tribunalium styllum commune.

Præstatitur itaque huic muneri per Papam 79 nus ex ordine Advocatorum, atque juxta supra insinuatam praxim temporis considerabilis, ex illo consistorialium, qui non prohibetur continuare professionis exercitium, quod prius haberet in causis civilibus, prophanis, vel spiritualibus, in Rota aliisque Tribunalibus, cum id non sit incompatible cum officio; De facto tamen quædam species incompatibilitatis resultat, ob continuas occupationes ut supra.

Potitur iste Advocatus, jam recensitis prærogativis; habendi audientiam Papæ, & sedendi in 80 Camera, more aliorum, qui Camerales dicuntur, nec non exercendi voluntariam jurisdictionem cum considerabilibus emolumentis pariter insinuatis, atque est officium regulariter, & de sui natura perpetuum, quod per mortem, vel per promotionem ad majora munera incompatibilis

tibilia cessat; Ac etiam jus habet interveniendi in omnibus Congregationibus criminalibus, quæ pro commendabili stylo, qualibet hebdomada habentur in superius enarratis Tribunalibus, Gubernatoris, Auditoris Camerae, & Vicarii, ac etiam in foro Capitolino, sedendo etiam de tempore quo causa examinatur, ac vota proferuntur eodem modo

81 quo Advocatus fisci, quem precedit, digniorem locum occupando; Prout etiam intervenit in visitationibus carcerum, ut supra insinuatum est in rubrica, in qua de hujus visitationis Congregatione agitur; Atque nostra ætate in ultima Cardinalium promotione facta per Innocentium decimum, pro censuris Curia contingentiis, rerumque circumstantiis, ab isto munere Advocati pauperum,

82 cum sola aliquorum mensium prælaturæ utriusque Signaturæ mixtura, vidimus (dignè quidem) eventum ad purpuram, magnum, in minoribus, & in majoribus, amicum meum, Carolum Gualterium Urbevetanum, nuper immaturè defunctum.

Prohibetur autem iste Advocatus scribere ad defensam divitum & idoneorum, cum præmio; Et merito quidem, ex duplici probabili ratione ita provisum est; Primo scilicet ne magis deditus hujusmodi causarum defensionem, quæ præmium habeant manuale, deserat causas pauperum, vel eis (ut decet) non sit ita diligenter deditus; Ideoque congruit, ut singulariter sit in eis occupatus, dum causæ civiles compatibiles dilationes, ac moras pati possunt; secundo, ne detur anfa, vel occasio turpiter agendi, ac etiam à minus idoneis præmium extorquendi; sub affectata credulitate vel opinione quod essent idonei; Aliaque super hoc munere recensentur per illos, qui de praxi visitationis carcerum volumen componere laudabiliter professi sunt, *Scannarol. de visitatione carceratorum.*

V.

De Advocato Camerae & Fisci; Ac etiam de Promotore Fidei.

84 EX eodem Advocatorum ordine, ut supra juxta stylum, omnibus principatibus communem, per Papam assumitur unus, qui in officium tinentur causas Camerae, & fisci tanquam advocatus, agendo solum de iis, quæ juris sunt, juxta supra insinuatum stylum Advocatorum Curia, cum de iis quæ consistunt in facto, circa compilationem, processum offensivi & defensivi eiusque visionem, aut lecturam, ac alia hujusmodi; pertineat ad duos Camerae, & fisci Procuratores, de quibus infra.

Dicitur autem Advocatus, Camerae, & Fisci, quoniam licet in grammaticali, ac etiam in legali significatione, ista vocabula Camerae, & fisci, synonyma sint, idemque sèvent; Nihilominus pro stylo; seu loquendi usu Curia, reputantur diversa; Ut enim alibi pluries advertitur, duplex fiscus habetur; Unus scilicet qui dicitur favorabilis, & privilegiatus, concernens publicum ærarium Principis, vel dotem Reipublicæ, constitutam ex juribus regalibus, aliisque publicis emolumentis, non pœnalibus; Et alter odiosus tam circa personalem delinquentium punitionem, pro qua fisci officiales, & defensores, ex officio instant, atque principaliter in-

cumbunt, quam etiam pro interesse burfali, quod refultat à publicationibus bonorum, & pœnis pecuniariis, quæ ratione criminis, vel contumaciæ fisco applicantur; Unde propterea privilegia tacite hypotheca: & potioritatis in bonis postea quaesitis, adversus anteriores, ac alia quæ per legem, fisco attributa sunt, primo fisco favorabili, non autem alteri odioso competunt; Atque huic posteriori, non autem primo congruit vulgare dictum *Philippini in epistola ad Trajanum*, quod sub bono Principe, fisci causa semper mala est; Ac propterea sub nomine Camerae explicatur prima fisci favorabilis species, cujus causa post consumptam primam instantiam, vel respectivè quandoque secundam coram Apostolicis Collectoribus, & Thesaurario, vel Camerario, cognoscuntur in Tribunali Camerae, quod se non ingerit in confiscationibus bonorum delinquentium, vel in aliis multis & pœnis pecuniariis ratione delicti, cum solum de illis causis criminalibus seu pœnalibus, ipse cognitionem habeat in ulteriori instantia, quæ dependeat à juribus camerilibus; Putà in causis decupli, contra administratores, vel Appaltatores fiscales, qui computa minus fideliter tradant; *tit. de Regal. dist. 119. cum seqq.* Vel ubi agatur de pœnis, ob fraudatas gabellas, sive ob occupata bona, vel jura Camerae; Aut ubi ageretur de illis confiscationibus, quæ civili potius, quam criminali more fiant de illis bonis, quæ in isto principatu possideantur per illum qui in altero principatu, vel territorio sententiam capitalem, veram vel contumaciam, cum publicatione bonorum passus fuerit; *ead. tit. de Regal. dist. 160. & latius in supplemento* dum in pœnis & confiscationibus, quæ fiant in Tribunali Gubernatoris, vel Auditoris Camerae, & Vicarii, ac in aliis tam Urbis, quam reliqui Status ecclesiastici, utpote pertinentibus ad Tribunalia criminalia, Tribunal Camerae se non ingerit, ideoque inolevit ista vocabulorum discretio, quod scilicet, aliud sit Camera, & aliud sit fiscus, cum distinctis patronis, seu Procuratoribus, dum ille qui est Camerae, dicitur Commissarius; Ille verò qui est Fisci, appellatur Procurator fiscalis ut infra de eis agendo.

Cum itaque iste Advocatus utrique procuratori, in iis quæ juris sunt, opem præstare soleat, ac debeat; Hinc proinde dicitur advocatus Camerae & fisci, ad denotandum utrumque munus dum iste Advocatus jus habet interveniendi in omnibus Congregationibus criminalibus, quæ ut supra sunt, qualibet hebdomada in Tribunalibus Gubernatoris, Auditoris Camerae, & Vicarii, ac etiam in Congregatione Consultæ, quæ, ut supra in eius particulari Rubrica, habetur bis in qualibet hebdomada, nec non in visitatione carcerum, & in aliis congressibus, in quibus de causis criminalibus agi contingat.

Majus verò, ac principale eius munus versatur circa causas camerales alterius fisci favorabilis, quoniam cum materia criminalis, comparative ad duas civiles, prophanam scilicet, & spirituales, theoreticè sit nimirum facilis, & finita, adeo ut ille ingeniosus professor, qui se illi addicat, ad breve tempus, quoad partem theoreticam, seu scientificam, valde peritus, ac excellens reddi valeat, quod utique de præfata duplici materia civili, etiam si vivat centum annis, non de facili asseri potest; Major autem materiae criminalis difficultas, vel peri-

peritia consistat in praxi, pro qua exiguntur magis experientia, & sagacitas, quam pars scientifica theoreticæ; Hinc proinde, nimium raro sequi solet, ac debet necessitas recurrendi ad majorem peritiam Advocati, cum ad munus Procuratoris fiscalis, cui principaliter ista partes incumbunt; assumi non solet, nisi criminalista peritissimus, & qui diu per omnes criminalitatis gradus transferit, ac versatus sit, etiam gerendo munus Judicis, vel Locumtenentis, cum in officio Procuratoris fiscalis generalis Urbis, reputetur primus, ac major criminalistarum gradus; Accedente potissimum, quod in Curia, & præsertim in Tribunali Gubernatoris, & in Congregatione Consulta, in quibus majora, & graviora negotia criminalia peraguntur, pro frequentiori praxi, proceditur cum stylis, & cum bannimentis, ac etiam cum moribus propriis pontificiis, adeo ut nimium rari sint casus in quibus ita provisum non sit, unde propterea ad apices, vel regulas juris communis, convolare oportet; atque majorem Advocati peritiam adhibere.

Hinc proinde, in quodam extra judiciali dubio, quod incidenter de recenti excitatum fuit, an scilicet, clericatus, præsertim in sacris, comparibilis esset cum hoc officio Advocati Camerae & fisci; Illi, qui incompatibilitatem asseverabant præcipuum constituiebant fundamentum, in decreto Concilii Lateranensis sub Innocentio III. registrato inter decretales, in cap. sententiam 9. de Cler. vel Monach. per quod expresse inhibetur Clericis ne sanguinis causas agant, atque in eis quoque modo se ingerant, Et ex cujus decreto, aliorumque Canonum, vel Sanctorum Patrum auctoritate, Canonice, & Morales, in specie istorum munerum, Advocati & Procuratoris fiscalis, firmantur ut per illa, irregularitas incurrat, saltem illa quæ dicitur levitatis, quoniam non solum manibus, seu cum gladio materiali, homicidium committi, & sanguis fundi dicitur, sed etiam cum gladio linguæ, & sic cum petitione, vel consilio, aut mandato, vel alia cooperatione, juxta sententiam Divi Augustini, agendo de passione Domini, quod licet per milites, non autem per Scribas & Phariseos, aliosque Judæos, materialiter crucifixus fuerit, magis tamen occisus fuerit gladio linguæ, & clamando ad Pilatum *Crucifige, Crucifige. Ex his ita firmant alii relatis Maiol. de irregularitate libro 2. capite 9. Giballin. de irregularitate capite 4. diff. 16.*

Diversa tamen erat mea opinio, quam audiui magis communiter in Curia apud bene versatos haberi, ex ratione superius recensita, quod scilicet revera ista partes, instandi apud Judices in casibus particularibus, pro pœna ordinaria delinquentium in concreto, aliaque gerendi, quæ ad idem tendant, revera sunt Procuratoris fiscalis, qui totum agit; Interventus autem Advocati in Congregationibus criminalibus, quamvis per Apostolicas constitutiones editas super reformatione Tribunalium injungatur, *Scannarol. de visit. carcerat. lib. 1. c. 4. num. 14. de Rubens in dicto opusculo diff. 7. n. 35. & seqq.* At tamen ille, istas partes, juxta frequentiores antiquum stylum, non gerit, sed potius, tanquam insignis, ac primarius Jurisconsultus (qualis hucusque semper esse consuevit ille, qui hoc munus occupavit) habendo votum consultivum tantum, non autem decisivum, gerit par-

tes Consilarii pro veritate, super iis, quæ in puncto juris ambigui consistant, ne in aliquem errorem, cum justitiæ detrimento incurratur, quod æque se habere potest ad inquisitorum condemnationem, ac absolutionem, ita theoreticè; seu in abstracto, juxta ea, quæ proponuntur de jure respondendo, atque gerendo solas partes insinuatoris, vel magistris, & principaliter consulendo pro servitio justitiæ, ac Reipublicæ quiete, non autem se ingerendo in applicatione ad concretum, ut ille reus tanquam sufficienter convictus de crimine, tali, & tali pœna puniatur, cum revera ista non sint partes Advocati, sed Procuratoris fiscalis ut supra; contrarium autem pro frequentiori praxi est in aliis principatibus, eorumque Curis, & Tribunalibus, quod scilicet præcipue; ac totales partes, quæ in Urbe geruntur per Procuratorem, explicentur per Advocatum, cujus Auditor, vel sollicitator est Procurator, eo modo quo infra, agendo de Procuratoribus, advertitur, Ac propterea alibi disputari solet quæstio, quæ tamen in Curia nunquam pro mea notitia auditur, an Advocatus fiscalis possit allegari suspectus, *Fontanell. decis. 30. Carena resol. 16. n. 31.*

Et ulterius, cum ista dicatur quædam irregularitas impropria, & remota, quæ non provenit à crimine, vel à peccato, sed ab actu licito, quinimmo meritorio. Hinc provenire potius dicitur à quadam majori Ecclesiæ pietate, quoniam Divinum oraculum Sacræ paginæ veteris testamenti, per quod vir sanguinum ab altari avelli præcipitur, tanquam mysticum potius quam morale, evanuisse videtur, utpote evacuatum per incarnationem, & passionem Christi, dum aliàs Papa non posset dispensare irregularitati ex homicidio, præsertim voluntario, & criminoso, cujus contrarium incôcussa praxis docet, & revera loquitur de homicida criminoso, De ista verò specie magis levis, ac remotæ irregularitatis, in illis Tribunalibus, quæ Papalia sunt, & in quibus Judices, alique officiales, præficiuntur per ipsum Papam, qui rectè sciet, quid acturi sint, id non procedit, per quandam virtuales seu implicitam dispensationem, quæ inesse videtur; Ut docet praxis in Gubernatore, & in Vicario, eiusque Vicegerente, & in Auditore Camerae, quod interveniunt in hujusmodi Congregationibus, quarum ipsi sunt Præsidentes & Regulatores majores; Atque pro frequentiori praxi, & præsertim in Tribunali Gubernatoris ab istius sensibus, magis, vel minus rigorosis delinquentium, celer, & rigorosa punitio pendet, ipseque casum refert Papæ, atque ab eo oraculum recipit; Idemque respectivè, in Cardinalibus Legatis, Præsidentibus provinciarum, Et in Gubernatoribus Civitatum Status ecclesiastici, qui omnes sunt Prælati, pro magna parte in ordine sacerdotali, & frequenter in Episcopali, & Patriarchali constituti; Magis verò, id comprobatur praxi Congregationis Consultæ, de qua superius in eius particulari Rubrica actum est, quod in ea interveniunt multi Cardinales, & Prælati, ut plurimum in sacerdotali ordine constituti, ac etiam in Episcopali, qui quotidie missam celebrant, & tamen magis proximè, atque in longè majori frequentia, causas sanguinis agunt, præcisè decernendo in concreto mortem inquisitorum.

Decretum verò Concilii Lateranensis in genere emanatum pro universo Orbe, prudenter editum fuit, atque exactè observandum est, respectu Tribunalium sæcularium, sive aliorum, quibus ista ratio

tio non adaptetur; Ad instar eorum quæ alibi infir-
nuantur, circa militiam, vel notariatum crimina-
lem, aliave officia secularia, quæ cum clericatu
incompatibilia reputantur non tamen in servicio
Papæ, *tit. de pension. disc. 47. & seqq.*

In hoc autem versatur continuum, atque perpe-
tuo damnabile pragmaticorum æquivocum, atten-
dendi scilicet doctrinas, vel leges, in sola litera, seu
generalitate, non reflectendo ad congruam appli-
cationem resultantem à debita distinctione casu-
um, & regionum, aliarumque circumstantiarum, &
sine qua nunquam applicatio bene sequi potest; At-
que exinde resultare solet frequens incurfus æqui-
vocatorum, præsertim in Moralibus, circa forensia
seu judicialia, quoniam nullam fori negotiorum
practicam notitiam habentes, procedunt cum propo-
sitionibus generalibus in abstracto, quæ foro
interno bene congruere possunt, non autem ad-
aptantur foro externo; Sive rectè procedunt, in u-
na regione, non autem in altera; ob diversos mores,
vel stylos.

Nimiam autem existimationis est in Curia
istud officium non solum ob interventum in om-
nibus Tribunalibus, & Congregationibus cri-
minalibus, in quibus eius votum solet esse magni
ponderis, magnæque auctoritatis, sed etiam ob
alia majoris existimationis negotia cameralia per-
tinentia ad utrumque siscum ecclesiasticum, &
prophanum, Papæ scilicet tanquam Papæ per u-
niversum Orbem catholicum, & ejusdem tanquam
Principis ditionis temporalis; Ideoque iste Advoca-
tus sedet quoque in Camera inter Camerales,
atque intervenit in Congregationibus, quæ pro ju-
ribus Camerae fiunt coram Thesaurario, quarum
una Computorum, & altera Cameralis dicitur;
Nec non in Congregationibus Montium & Ba-
ronum, ut supra de eis agendo advertitur; Ac eti-
am in Congregatione Immunitatis Ecclesiasticæ,
& in altera Consistoriali, omnibusque aliis, in
quibus sedes vel Camera Apostolica, quoquo mo-
do, directè, vel indirectè interesse habe-
re potest.

Magis autem crescit hujus Advocati existi-
matio, auctoritas & occupationes, quando (ut
pro frequentiori praxi sequi solet) ei inunctum
quoque sit alterum officium seu munus, (quod re-
vera est diversum, ideoque à persona diversa occu-
pari potest) Promotoris Fidei, id est Advocati
fiscalis, vel oppositoris in causis beatificationis, vel
cultus, aut canonizationis servorum Dei, ut ita
melius veritas inquiratur, atque per acrium oppo-
sitionum ignem perficiatur aurum; ne alias ex ni-
mia pietate, vel devotione eorum, qui hujusmodi
canonizationibus vel beatificationibus incumbunt,
admittantur ea, quæ admittenda non sint;
Ideoque intervenit quoque in Congregatione Ri-
tuum, aliisque congressibus, vel actibus qui
istam materiam percutiant; Non intervenit autem
in illis causis fidei, quæ aguntur in Congregatione
vel Tribunali Inquisitionis universalis dum adest
proprius, ac particularis fiscalis.

Emolumenta istius officii sunt eadem, quæ su-
perius insinuata sunt de Advocato pauperum, &
aliqua majora, dum illi volenti, interdictum non
est, scribere in causis criminalibus contra reos, ad
instantiam accusatorum, vel instigatorum, recepta
mercede; Quod tamen licet sit licitum, non tamen

honestum reputari solet, ideoque pro frequentiori
praxi, possessores hujus officii ab hoc abstinerere
consueverunt; Et quando admixtum quoque sit
prædictum aliud munus Promotoris fidei, alia
obtinetur considerabilia emolumenta, licita, &
publica pro mercede magni laboris.

Occupari semper huc usque consuevit, ut etiam
supra advertitur, istud munus per magnos, ac pri-
marios Curia viros, qui non solum essent insignes
Jurisconsulti, beneque versati in utroque jure divi-
li, & canonico, magis vero in feudali, cujus peritia
principaliter necessaria reputatur, ob feuda, aliæque
jura regalia Camerae; Sed etiam in exacta notitia
Conciliorum, & ecclesiasticarum, ac profana-
rum historiarum pro juribus, Sedis, & camerae A-
postolicae bene tuendis occasione controversia-
rum jurisdictionalium, vel præeminentialium, quæ
habeantur cum Principibus secularibus; Ideoque
illud occuparunt supra enunciati insignes juris-
consulti primarii Advocati, *Aldobrandinus, Gabriel-
lus & Spada*, ut docent eorum scripta, quæ publi-
cæ luci edita sunt, Neque dissimiles fuerunt alii,
quorum labores sub tonebris remanserunt; Ut
præsertim nostra ætas vidit, in insigni Juriscon-
sulto, & primario Advocato Antonio Cerro, patre
Caroli, qui postquam, triginta circiter annorum
spatio, in Rota etiam tanquam Decanus, commen-
dabiliter sedit, digne ad purpuram evectus fuit;
Diciturque Cerri successor fuit, idemque munus, jun-
ctum cum altero Promotoris fidei, à prædecessore
quoque tentum, spatio triginta annorum, & ultra,
exercuit & exercui & exercet Petrus Franc. de Ri-
beis, alias primarius Advocatus, nunquam in parte
scientifica satis commendatus; dum non solum
eximius, ac profundus est Jurisconsultus, verè sci-
entifico more, per principia, non autem per tradi-
tiones, & repertoria, juxta ineptum morem Prag-
maticorum, quibus magis sæculum modernum
abundare videtur, & præsertim ob magnam per-
itiam in materia feudali; Sed etiam quia, dici po-
test animatum archivium universale historiarum,
ac Jurium Sedis Apostolicæ, adeout (sine aliorum
præjudicio) Job hujusmodi universalitatem, ac me-
moriam promptitudinem, & ingenii acumen, simi-
lem virum Juristam, non solum expertus; Et tamen
jam octuagenario major, in hoc munere, ad se-
pulechrum forsitan accedet, aliis majoribus muneribus
in parte occupatis ab eis, quorum aliquos Deus
fecit; Talis enim est consuetudo fortunæ stultitiæ, vel
aularum consuetudo.

VI.

De Procuratoribus seu causarum Pa-
tronis.

Eodem retento præsupposito, cum quo in Ad-
vocatis hucusque processum est, quod scilicet
agatur de iis, qui non solo nomine, sed etiam
re sint tales, non autem de iis qui vix ad sollicita-
toris munus idonei, istudque revera exercentes
Advocati, vel Procuratoris nomen usurpant; Ad-
instar eorum, quæ de Doctoribus eorumque pri-
vilegiis Scribentes tradunt; Nobile est in Cu-
ria Romana Procuratoris officium, cuius-
que insigni Jurisconsulto, etiam nobilium nata-
lium congruum, ut quotidiana praxis docet,
dum

dum plures munus Procuratoris exercent, qui etiam Advocati primi ordinis esse possent, Ideoque eis non congruunt ea quae ab aliis quibus de illo Procuratoris officio dicuntur, eum intelligenda veniant, de illis procuratoribus merè mechanicis, qui vacant solum actibus mechanicis in compilatione processus, Siquidem Procuratores Curiae Romanae sunt verè causarum Patroni, qui more Advocatorum, se non ingerunt in actibus inferioribus & mechanicis, quos explicant, per sollicitatores, vel per eorum juvenes, & adjuutores, dum eorum partes sunt componendi commissiones, vel monitoria, seu libellos, nec non articulos instructioque processu, illum videndi, atque exinde conficiendi discursum pro congressibus fieri solitis pro directione causarum, ita instruendo Advocatos de illarum statu, atque promovendo motiva etiam juris; Efformando quoque informationem facti & juris, pro cuius majori comprobatione superaddi solent informationes Advocatorum; Verum adhuc, tam motivis, quam auctoritatibus more Jurisconsulti illa bene referta est, adeo ut revera gerant ea quae in aliis Tribunalibus, & regionibus gerunt Advocati, ubi non habeatur ille usus Advocatorum; qui habetur in Urbe; Ideoque apud antiquos scriptores communis est traditio quod Procurator Curiae Romanae, exequati sunt Advocatis aliarum Curiarum. *Zachias de Salar. quest. 82. n. 21. & 22.*

Bene verum quod in abusum irrepsisse videtur, atque potius damnabile reputatur, ut Procuratores, in iis quae juris sunt, nimium se extendant si ve immorentur, dum ita quandoque, à partibus ingenii, quae magis gratæ sunt, allesti, seu abstracti, ab inferioribus, minusque gratis partibus, diligentis, & accuratae lecturæ processus, & indagatiōis facti distrahi solent cum præiudicio causarum; Ideoque eorum præcipuæ partes esse debent, in diligenti studio processus atque in indagatiōe facti, eiusque breviter quidem, sed accurata, & diligenti enarratione, excitando solum motiva, ut Advocati suppleant, cum doctrinis, & ratiociniis.

In Procuratoribus autem, magis frequens esse solet usus annuorum stipendiorum, seu provisionum, adhuc tamen in parte intermissus est, comparativè ad antiquum stylum quando ita stipendium annuum statutum non sit, eorum honorarium pro mercede laboris, est in omnibus uniforme, cum illo Advocatorum, supra recensito; Cum aliqua tamen discreta moderatiōe, circa frequentiores functiones, quas ipsi facere solent in voce, vel in scriptis, per memoria, super incidentibus; Merces autem studii processuum de partibus, solet esse maior, vel minor, pro illorum qualitate, & pro Partium discreto arbitrio; Adhuc tamen quædam taxa moderata, ex antiquis traditionibus, in praxi apud eos habetur.

In isto quoque ordine, dignoscitur eadem supra insinuata discretio consistorialium, & non consistorialium, sive collegialium; & non Collegialium; dum est Collegium, quod ab antiquo (juxta unam opinionem supra recensitam) per Benedictum XII. de anno 1340. in Avenionensi Civitate erectum fuit, illorum Procuratorum, quibus tantum liceret consistorium ingredi, atque causas con-

sistoriales peragere, ideoque illi, qui sunt de Collegio, intitulantur Procuratores causarum Sacri Palatii Apostolici; Non dicuntur enim consistoriales, quoniam hodie non habetur amplius usus disputandi causas contentiosas in Consistorio ideoque illud non ingrediuntur ut Advocati, Habent item facultatem scribendi etiam in iure, atque à Judicibus, & Tribunalibus majores obtinent honorificos tractatus, quam obtineant illi Procuratores, qui non sint de Collegio, & supra quos licet antiquiores habent præcedentiam, eo modo quo supra de Advocatis Consistorialibus est dictum. *de isto Collegio Vestrius in praxi libro 2. cap. 19.*

Antiquiori tempore; illud non erat numeratum; In hoc autem sæculo sub Paulo V. effectum est tale, constitutum in numero, determinato viginti quatuor; Bene verum, quod vacante loco per mortem, vel per promotionem ad statum diversum incompatibilem, non sequitur illico subrogatio, ut in Collegio Advocatorum practicatur, sed expectari solent plurimum locorum vacationes, & postquam aliquis considerabilis numerus deficit, tunc, tanquam per speciem promotionis, ab ipso met Collegio, absque alia auctoritate, fieri solent bene visa cooptatio aliorum, inter plures ex iis, qui desuper preces porrigant, atque digniores, vel magis provecti videantur.

Ista verò admissio, vel cooptatio, fieri solet, prævio diligenti processu, non solum super idoneitate in exercitio professionis, quæ minus aliis inquiritur, quoniam ubi quis ad istud Collegium adscribi petat, jam effectus est notoriæ idoneitatis; Potissimè quia illa hodie probatur quoque per examen Rotale, quod ad annos præcedere solet, ut infra; Sed principaliter super vitæ ac morum probitate; Et potissimum super illa probitate quæ pertinet ipsius professionis exercitium, magnam habendo rationem bonæ, vel malæ famæ, super integritate, vel calumnioso genio respectivè; Ac etiam super natalibus nobilibus, vel saltem in propria patria, civilibus, valdeque honestis, nullo pacto admittendo eos, qui legitimorum natalium defectu laborent, minusque si eos habeant legitimos, sed plebeos; Atque hinc sequutum est, ut omni tempore viri nobiles, etiam de familiis antiquis, & illius nobilitatis, quæ generosa sit, istud munus exercere, atque ad Collegium admitti non dubitaverint; Ex præfata ratione, quod reverà istud munus causarum Patroni in Curia, importat idem, quod illud Advocatorum extra, dum illa species Advocatorum, quam habet Curia, est singularis.

Item ex isto Collegio, ad instar eorum, quæ superius dicta sunt de altero Advocatorum, plures prodierunt Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi & Prælati; qui primaria Curiae officia habuerunt, illa præsertim Datarii, & Gubernatoris Urbis; Ut præsertim inter plures, circa finem retroacti sæculi, & initium currentis praxi docuit in *Dominico Thusco*, qui post alios gradus, fuit Urbis Gubernator, & præsertim de tempore quo Clemens VIII. Ferrariam adiit, deindeque Cardinalis Pontificatus etiam valde proximus, ut conclavium chronicæ docent; Atque nostra ætate vidimus insignem Canonistam *Marcum Aure-*

Aurelium Maraldam, Datarium Pauli V. & secretarium Brevium Urbani VIII & Innocentii X. & *Hieronymum Bertuccium* Datarium Innocentii X. & alios, Bene verum, quod ex reliquo cætu Procuratorum non collegialium plures quoque eadem dignitates, & fortunas sortiti sunt.

706 Plures quoque prodierunt Auctores operum, quibus ad publicam utilitatem potitur; Ut præfertim ex antiquioribus inter plures sunt, *Vestrius*, *Galleus seu Massæ*, *Erazonius*, *Et Mandosius*; Et ex recentioribus Præfatus *Cardinalis Thuscus*, *Lorzerius*, *Ubertus*, & alii.

Obtinebat Collegium antiquiori tempore jus præsentandi vel nominandi, ad pingue, & qualificatum beneficium, Archipresbyteratum nuncupatum Ecclesie S. Mariæ supra Rotundam, quod eadem Collegio magnam præbebat, nedum honorificentiam, sed etiam utilitatem, ita scilicet providendo aliquos ex collegialibus, qui nollent, vel non possent amplius Curialibus negotiis vacare; Verum ob revocationem hujusmodi patronatum, quæ in Concilio Tridentino sequuta est, isto considerabili jure caruit; Obstat autem cappellam Sancti Michaelis Archangeli in Ecclesia Sancti Eustachij, atque in

708 die Dedicacionis de mense Septembris, dum missa solemniter in dicta cappella celebratur; interveniunt duo collegia, Auditorum Rotæ, & Advocatorum consistorialium, in habitu solemniter; Auditores scilicet cum roqueto, & cappa magna; Et Advocati, cum illo habitu violaceo, quem, ut supra, adhibent in aliquibus solemnitatibus, & isti sedent infra cappellam; Extrâ verò eam, intra ambitum columnarum, à latere dextro, post Auditores Rotæ, in banco elevato pannis cooperto, sedent juxta ordinem antianitatis, alii Advocati non Consistoriales, jam cogniti & probati, quos eidem Collegio invitare videatur; Et à latere sinistro, post Advocatos consistoriales, in consimili banco cooperto, ipsi Procuratores collegii juxta pariter ordinem antianitatis; Ipsi autem bini ex quatuor

709 junioribus aliquibus diebus præcedentibus curam habent invitandi Auditores, & Advocatos, tam consistoriales, quam simplices; Atque in eadem functione, in obsequium Collegii, interveniunt quoque stantes in reliqua parte Ecclesie, Juvenes, & Sollicitatores, ac etiam aliqui Procuratores, ex illis qui aspirant ad cooptationem in Collegio; Adeo, respectu Curie forensis, videatur quidem solemnitas alicujus majestatis præparatoria quoque alterius, quæ de proximo in prima die juridica Octobris fieri solet in apertura Rotæ; In cujus equitatione, jam recensita occasione agendi de isto Tribunali, supra disc. 32. cum interveniant duo Auditores juniores representantes Tribunal, immediate post eos interveniunt duo Advocati consistoriales, & duo ex istis Procuratoribus eorum collegia representantes; Idemque ordo sedendi, qui tenetur in ista solemnitate, tenetur etiam in exequiis generalibus, quæ singulis annis in Kalendis anni novi fiunt pro Auditoribus Rotæ, ac etiam in particularibus singulorum Auditorum, & Advocatorum consistorialium decedentium, ut supra.

Antiqui scriptores praxis Romanæ Curie, istius collegii alumni, superius recensiti *Vestri* in

prax. lib. 2. dicto cap. 19. damnant, ut aliis præterquam istis collegialibus, qui ita prævio processu probati sunt, permittatur istud munus causarum Patroni exercere, vel quod saltem istud vocabulum, vel attributum aliis assumere liceat, quasi quod libertas quæ desuper, cuicumque vulgari professori conceditur, aliquod nobilitati muneris præjudicium, causare videatur; Non tamen eorum sensum, Curia amplexa est; Et merito; Tum quia exiguus est eorum numerus, ideoque insufficientis, dum ob negotiorum multiplicitatem, magnus requiritur numerus Procuratorum qui forte in decuplo, & ultra est major; quam sit ille Advocatorum, de jure respondentium; Tum etiam quia inter illos, in quibus natura parum benevola fuerit, eis absque demerito, tribuendo natales illegitimos vel plebeos; excellentia & peregrina ingenia frequenter adesse solent, adeo ut efficiantur Curiales primarii, eximia doctrinæ junctæ cum integritate, & probitate morum, Ideoque justum non esset istis, qui hujusmodi defectus, absque demerito proprio patiuntur, aditum præcludere, ne talentum à Deo sibi concessum exercere valeant; Ad etiam quia nonnulli ex iis, qui hujus muneris exercitio se addicunt nobiles etiam generose nobilitatis regionis vel patriæ, in qua munus Procuratoris, in modica existimatione sit; Quamvis rectè sciant, quod Curie mores sint diversi; Adhuc tamen, ut satisficiant opinioni vulgi in propria patria ab hujusmodi positiva adscriptione se abstinere solent; Ponderando quoque quod esset species monopolii, in jure damnati.

Inconvenientibus autem, quæ per dictos antiquos Præfatos considerantur, tempore nostræ ætatis, occurrere studui Rota, introducendo examen; quod coram Decano fieri solet per duos antiquiores hujus collegii Procuratores, tam super idoneitate ad munus exercendum, quam etiam ad super morum probitate, & integritate, neque alias admittuntur ad scribendum in facto in ipso Rotæ Tribunali. Unde propterea illi, qui approbati sunt, dicuntur Procuratores Rotaes, ideoque prodiit quidam novus ordo diversus à reliquo genere.

Stante autem hujusmodi collegiorum existentia, plures in facti contingentia, (oretenus tamen, & in forma familiarium discursuum) dicere consuevi; quod in Curia, indefinite non procedat propositio, quam DD. firmant, quod scilicet, Advocati, & Procuratores, necessitate, vel justa causa impellente, quamvis invitati, per Magistratus cogi valeant ad patrocinium præstandum vel consulendum, quasi quod huic muneri se addicendo, quemdam quasi contractum cum Republica inire dicantur; *Mastril. de Magistrat. l. 1. cap. 10. n. 78. & seqq. Muta ad consuet. Panormo cap. 68. n. 20.* Ut agendo de medicis tam corporalibus, quam spiritualibus alibi advertitur, *tit. de iurisdic. disc. 32.* Siquidem cum adsint illi Advocati, & Procuratores, qui munus suscipiunt solemniter, & in officium, pluribus potendo emolumentis, & prærogativis, quibus alii carent; Hinc proinde rationabile videtur, ut ex regula *Secundum naturam &c.* ut quem sequuntur commoda, sequantur incommoda; istorum prior debeat esse obligatio; Aliorum verò nisi subsidia; Bene verum quod nimium raro, & forte nunquam formiter hujusmodi quæstiones disputari occasio præbet.

Hujus.

Hujusmodi autem Curia Procuratoribus, magis quam Advocatis, congruere videtur traditio antiquorum Canonistarum, *Hofion-in proem sum, numer. 7. Muta ad consuet. Patrom. cap. 68. & alii communiter.* ut plus mereantur Advocati bene suum officium facientes, quam religiosi Carthusiani; Eo quia ista professio, de sui regulari natura, nimium periculosa sit, Pejorandi etenim occasio, in calumniis, & mendaciis (ut supra advertitur) proprie vigere videtur in iis defensoribus, qui causas dirigunt, ac processus ordinant, atque ex eorumdem processuum, aliorumque jurium visione, distinctam habent informationem facti, in cujus alteratione viget periculum animæ; Ac etiam quia, utpote fiduciarum litigantium, tam in litibus, quam in aliis negotiis, beneque informari de omnibus secretis domorum ita illi, quibus latronum, & grassatorum potius, quam Curialium nomen congruit, eos suffocare, atque excoiriare satagunt, sive cum prævaricationibus secreta pandere, ut ab alia parte pecunias obtineant; (Et utinam in Mundo non adessent Curiales ex hujusmodi infami genere); Et per consequens bene dicitur, quod magni meriti censendi sunt apud Deum, probi Curiales tanquam operarii Justitiæ, Reipublicæ proficui; Boni etenim, & integri causidici, non solum Reipublicæ proficui sunt, pro causis, & negotiis quæ ipsi peragunt, sed etiam quia cum eorum exemplo, eos qui malos mores, vel malum genus habeant; terrent, vel saltem in parte coercent, ne majora mala committant; Ac etiam quandoque cum ipsismet Judicibus, idem effectus resultare solet, dum probi, & integri Curiales, Judicibus, & Magistratibus cujuscunque gradus sint, liberè, & alte loqui possunt quando videant justitiam titubantem quod non possunt facere illi qui malos habeant mores.

Procuratoribus item, magis quam Advocatis, pro Curia stylo, congruere videntur ea, quæ alibi agendo, de contractibus, vel ultimis voluntatibus infirmi ad favorem medici, insinuata sunt, *tit. de testament. dist. 51.* cum Advocati, & præsertim classici, penè cum litigantibus non tractent, neque causarum, ac negotiorum curam habeant, adeo ut quandoque causæ disputatæ, bonum, vel malum eventum, per hebdomadas, vel menses ignorent, totaque fiducia, & conversatio litigantium, sit cum Procuratoribus, à quorum libito, ut plurimum pendet Advocatorum assumptio, ac mutatio; Quin immò etiam approbatio seu fama, quoniam litigantes, à Procuratoris oraculo pendere solent, atque judicium efformare, an bene vel malè Advocati scripserint; Unde propterea in Curia res videtur in oppositum ejus quod alibi praxis docet, quod scilicet Advocati, & præsertim juvenes, qui negotiorum occasiones cupiunt, vel etiam illi seniores qui (juxtà meam dicendi consuetudinem) ex ordine mendicantium censendi sunt, Procuratoribus nimium obsequiosi esse coguntur.

Item istis classicis Procuratoribus, æquè ac Advocatis congruunt omnia alia quæ DD. tradunt (loquendo generaliter de Advocatis) quoniam isti proprie sunt illi Advocati, quorum usus in Urbe est frequentior; Tum circa punitionem, ob injurias, & convicia in scriptis, vè ore tenus *Sancti. decis. 374.* Tum etiam circa eam propositionem, quam antiqui Canonistæ

Card. de Luca, Relatio Curia Romana.

tradunt, *10. Andr. in cap. per tuas num. 7. qui filii sint legitimi Aponte de Proreg. tit. de assensu reg in Rubrica in foro.* ut Advocato bonam causam fovere justè opinanti, deducere quoque liceat motiva irrelevantia, ob aliquorum Judicum imperitiam unde bona, & solita motiva non agnoscant, amplectantur autem irrelevantia, & levia juxtà alias insinuatam exemplum illorum, qui salubres ac nobiles cibos nauseant, nimium autem eis cordi sunt, fabæ cæpæ & alia; Dummodo tamen absit mendacium positivum in quo est puniendus.

VII.

De Procuratore fiscali generali Urbis; Aliisque fiscalibus, & de Procuratoribus pauperum; Ac etiam de de Commissario Camera.

Quemadmodum autem, in ordine Advocatorum, ut supra, sunt duo superius recensita officia, Advocati pauperum, & alterius Advocati Camerae, & fisci; Ita in hoc ordine Procuratorum, adsunt officia, pariter pro pauperibus, ac pro fisco, & Camera, quales sunt; Procurator fiscalis generalis, de quo jam supra (licet incidenter) actum est sufficienter, occasione agendi de Advocato fiscali; Ac etiam pluries mentio habita est agendo de singulis Tribunalibus Urbis, quæ causas criminales quoque peragant; Istudque munus inter alia, supra recensita, primum locum occupat, dum Fiscalis præcedit Commissarium Camerae, atque dicitur Papæ familiaris, non solum ob partem palatii, quam obtinet, sed etiam quia utitur vestibus violaceis, quibus utuntur Papæ familiares actuales, & aulici, qui illi in aula domestica inferviunt, *Camariarii* appellari, quorum aliqui sunt honoris tantum, alii verò actuale servitium præstant; Eisdem prærogativas in omnibus habet quoque Commissarius Camerae qui est Procurator Camerae, & fisci in civilibus, sive in negotiis cameralibus, juxtà distinctionem superius traditam, inter Camerae, & fiscum.

Ambo itaque isti duo Procuratores, Camerae, & Fisci in officium, sedent in Camera inter camerales, ac respectivè interveniunt in Congregationibus, aliisque congressibus criminalibus, vel cameralibus, pro qualitate negotiorum, quæ eorum cuilibet incumbunt, ut agendo de Advocato fiscali supra advertitur.

Et nisi essent officia manualia ad nutum amovibilia, adeo ut non habeant illam perpetuitatem, quam de ejus regulari natura habent prædicta duo alia officia Advocati pauperum, & Advocati fiscalis, essent longè majoris existimationis; Tum ob majora emolumenta; tum etiam ob majorem occasionem beneficiorum, vel præjudiciorum, ex quibus in hoc mundo existimatio major resultare videtur. Fiscalis sc. in causis criminalibus, & Commissarii in appalibus, & spoliis, aliisque juribus cameralibus, dum isti officiales majorem habent in hujusmodi negotiis partem, quam Advocatus, qui juxtà eandem Curia praxim, etiam cum privatis, reputatur remedium subsidiarium pro difficultatibus, quæ consistunt in puncto iuris, in reliquis autem totum pondus, totaque fiducia est Procuratorum; Idque ad rem potissimè comprobatur praxis audientia Papæ; Siquidem ut alibi supra

Q

adver-

advertitur, post Cardinalem nepotem superintendentem generalem, & Datarium, ac Secretarios Brevium, & Status, magis frequentem, & accuratam audientiam Papae habent, Gubernator Urbis, & Thesaurarius statutis diebus mercurii, & sabathi, ultra illam extraordinariam quam negotiorum urgentia exigit; Isti vero officiales majores semper adjunctos habent praefatos officiales minores, Gubernator scilicet Fiscalem, & Thesaurarius Commissarium, ut si oportunitas exigeret, Papae audientiam quoque habeant; Quinimò praxis quandoque docet, quod majorem fiduciam habeat Papa cum fiscali, quam cum Gubernatore, sive majorem cum Commissario, quam cum Thesaurario; Et tamen id non sequitur in Advocato, quem raro, & in aliquibus extraordinariis gravibus negotiis Papa solet audire.

Bene verum est, quod antiquioribus temporibus, longè majus erat munus Commissarii Camerae, dum quamplura explicabat ex iis, quae nunc explicant Gubernator, & Thesaurarius, ut saepius recensiti antiqui Romanae Curiae praxis scriptores testantur. *Vestr. dict. lib. 2. c. 19.*

Non semper tamen isti officiales, ex isto Procuratorum ordine assumuntur, & praesertim procurator fiscalis, dum ut superius insinuatum est, esse solet peritus criminalista, qui in munere iudicis, vel Locumtenentis criminalis diu versatus fuerit; Pro frequentiori autem praxi ex hoc ordine procuratorum, & praesertim ex illis collegii, assumi solet Commissarius, sed quandoque rarius, etiam ex ordine Advocatorum.

Habent autem isti officiales adjutorem, vel ministrum subordinatum, qui substitutus fiscalis, vel substitutus Commissarii appellatur, istique ex ordine sollicitatorum, & quandoque etiam procuratorum, non tamen Collegii assumi solent quantum praxis docet.

Adfunt quoque in criminalibus, quidam alii fiscales; Nempè ille supraenunciatus, Tribunalis Sancti Officii, sive Inquisitionis universalis; Alter fori Capitolini enunciatus in ejusdem fori particulari rubrica; Et alter in Tribunali Aedilium seu Magistrorum viarum, ut pariter supra in hujus Tribunalis rubrica habetur.

Procuratores pauperum, duo sunt, ut occasione agendi de visitatione carceratorum, pariter supra insinuatum est; *supra disc. 29.* Unus scilicet quem juxta generalem morem omnium principatum, & magnorum Tribunalium respectivè, deputat Papa, tanquam adjutorem, & operarium Advocati pauperum, in iis quae facti sunt, sive iis, quae processus ordinaria concernunt; Alter vero deputatus per insignem Archiconfraternitatem, quae Charitatis appellatur, eaque erecta est in Ecclesia S. Hieronymi propè palatium Farnesianum; Qualia verò sint istorum Procuratorum munera, vel obligationes, plenè agunt moderni scriptores de visitatione carcerum, qui in hoc munere, nimium laudabiliter diu versati sunt, ideoque apud eos facile erit inspicere, *Scannarola de visitat. carceratorum lib. 1. §. 8. cap. 6. fol. 106.*

VIII.

De Sollicitatoribus, & Agentibus, aliisque togatis qui sub Curialium genere veniunt.

IN juridica significatione, Sollicitatores sunt duplicis speciei; Una scilicet forensium seu

causidicorum qui in causis contentiosis, sunt adjutores, & operarii Procuratorum, circa acta ordinatoria, & alia munia personalia magis mechanica, in quibus classici, & occupati Procuratores non solent se ingerere per seipos, ut supra dictum est; Et altera eorum, qui vacant negotiis Datariae, & Cancellariae Apostolicae, ac etiam Secretariae brevium, seu Penitentiariae, & sic circa gratiosa potius quam contentiosa.

De communi verò loquendi usu, sub hoc vocabulo Sollicitatorum, veniunt solum illi de prima specie, cum alii de secunda, appellentur Expeditores, sive Expeditionarii.

Verificatur autem in forensibus, & contentiosis, ista tertia species, in causis Tribunalis Rotae, ac etiam in aliquibus gravibus aliorum Tribunalium, & praesertim utriusque Signaturae Camerae, & Auditoris Camerae; In reliquis enim generaliter ista contradistinctio non datur, quoniam unus gerit omnia, solumque aliquando (sed raro) ubi gravis difficultas urgeat, ad opem Advocati, ut plurimum, post vulnus acceptum, recurrere solent; Istorumque est major, ac penè infinitus numerus, utramque figuram faciunt Procuratorum scilicet, & Sollicitatorum respectivè, pro causarum qualitate; Quinimò etiam inter eos plures classes seu distinctiones dignosci videntur, pro diversitate Tribunalium, quibus aliqui omninò addicti sint, in aliis non versentur; Aliqui verò magis, & minus, aliis quoque vacant.

Istorum Sollicitatorum, qui sub Procuratoribus, eorumque subordinatione, causas sollicitant, munus est incumbere aliquibus actibus ordinatoriis, tam judicialibus, quam extrajudicialibus, & praesertim in citationibus, & intimacionibus, atque in subscriptionibus dubiorum, atque in distributione informationum in propositione causae, juxta ea quae agendo de Tribunali Rotae insinuata sunt, *supra disc. 32.* ac etiam in illis Camerae, & utriusque Signaturae; Ipsique ut plurimum interveniunt in contradictoriis, quae habentur in publicis audientis, in Tribunalibus praesertim Auditoris Camerae, & Vicarii, ac in aliis.

Et quoniam isti, pro majori parte esse solent juvenes studiosi, & diligentes, qui hoc munus suscipiunt, ut instruantur, atque habilitentur ad munus procuratoris, & quandoque etiam ad illud Advocati, cum etiam in puro Jurista, nimium conferat, habere aliquam notitiam praxis, non solum istius sollicitaturae, sed etiam alterius Datariae, & Cancellariae, praesertim pro materiis beneficialibus; Quinimò magis id conferret, atque fortè necessarium esset, in iis, qui viam Praelaturae assumpturi sunt; Hinc proinde, classici occupati Procuratores istorum operam adhibere solent, etiam in vltura, & spolio processus, & in compositione summarii, super magis substantialibus, juxta pluries enunciatum stylum; Quia verò non omnium hominum eadem est conditio, atque impossibile est, ut in aliquo genere personarum dentur solum viri probi & integri, sine mixtura improborum; Hinc aliquando sequi solet, quod aliqui maligni Juvenes, concipere solent summarium minus fidele seu factum diversimodè supponere, atque exinde apud non benè versatos, scandalum adversus Curiales concipi solet; Verum Procu,

Procuratores quando id agnoscant, seu per alterius Partis oppositiones, præmoniti sint, cum memorialibus, in vigilia propositionis causa; Judices, de errore, vel alteratione, candide, atque cum debita integritate advertunt; Istorumque Sollicitatorum præmium pro frequentiori praxi consistit in annuo vel menstruo stipendio, tanquam per speciem salarii, atque ut plurimum ipsi sunt Procuratores judiciales id est quod in eorum personis conficiuntur mandata ad lites, ideoque juxta Procuratores defensores verè & propriè sunt Patroni causarum, sive Advocati juxta morem aliarum Curiarum, & regionum in quibus non habeatur ista tertia species Advocatorum Curia respondendum de jure tantum.

De altera verò specie Sollicitatorum Dataria, & Cancellaria, aliquid insinuat est supra agendo de Vicecancellario & de Datario, supra disc. 9. & 10. Istorum verò præmium licitum, & publicum suas habet taxas à quadam consuetudine, tot scilicet ducatorum, pro qualibet expeditione, juxta earum diversam qualitatem; Reliquum verò quod à partibus ignavis extorqueatur, quodque facilius in negotiis ultra montes sequi potest, & forsitan quandoque solet, est furtum, & rapina.

Item in hoc etiam primo genere Sollicitatorum forensium, ad est unus qui habet hoc munus in officium, nempe sollicitator Camera, atque in hac sphaera reputatur munus considerabile; Tum ob emolumenta; Tum etiam ob peritiam quam assumit graviorum negotiorum cameralium.

Agentes dicuntur illi, qui curam habent negotiorum, tam forensium, quam aulicorum, quæ in Curia habeant Legati, Nuntii, Episcopi, Gubernatores, & alii similes; Ac etiam, Principes, & Magnates, atque Communitates; Istorumque penè infinitus est numerus, atque ab eis peragitur major pars negotiorum, quæ in forma extra judiciali, pro majori parte per viam supplicum libellorum seu memorialium peraguntur in Sacris Congregationibus Cardinalitibus, de quibus distinctè supra est actum; Istaque Curialium species vel sphaera, est forsitan Curia famæ, & estimationi magis præjudicialis, in negotiis præsertim gratiosis Palatii Apostolici vel Dataria, & Secretaria brevium, sive Sacrarum Congregationum, ac etiam quandoque in negotiis contentiosis Tribunalium, quod scilicet ad proprium turpe lucrum; Aliqui extorqueant à correptionibus pecunias, falsò fingendo munera & corruptelas officialium, seu mediatorum; Ad sunt tamen inter eos quoque viri probi & integerrimi, omnique laude digni.

In hoc etiam genere, ad sunt illi, qui hoc munus habeant in officium publicum; Ut sunt Agentes Communitatum, de quibus superius agendo de Congregatione boni Regiminis advertitur, supra disc. 26. Ac etiam sunt aliqui nimium qualificati Agentes Imperatoris, & Regum, aliorumque magnorum Principum, qui peragi non congruit per eorum Oratores, quatenus ad sint, sive etiam ea, quæ ab ipsis agenda essent, quando abesse contingat.

Magnum præterea numerum habet Curia, professorum togatorum, etiam nimium literatorum, & in scientiis versatorum, qui quandam tertiam seu neutram speciem constituunt, quia

quia nempe, non sint formiter addicti Curia forensi, gerendo explicitum munus Advocati, vel Procuratoris, vel Sollicitatoris, sive Agentis; Minusque addicti sunt Curia aulicæ gerendo munus Auditoris, vel Secretarii literarum, & memorialium respectivè sive Adjutoris studiorum, sed propria domi viventes, atque aliquas aulas colentes, pro eorum præfensionibus, assequendi dignitates, & beneficia, sive, ut se disponant ad prælaturam, adhuc aliqua peragunt negotia, vel aliquarum causarum studio, & defensionem vacant, gerendo actus, sub nomine alterius Curialis; Istaque personam ego per aliquod spatium gessi, priusquam muneri Advocacionis, ex amicorum suasionibus, formiter me addicerem, dum absque hoc animo, accidentaliter ad Curiam accessi, pro aliquibus controversiis immunitatis ecclesiasticæ, occasione Vicariatus Generalis in patria, adeò ut casui mea curialitas referenda sit, præter intentionem assumendi hanc pessimam occupationem, quam dedit Deus filiis hominum.

Admirationem aliqui non benè informati concipiunt, quod Advocati, vel Procuratores classici, & famosi, juxta aliorum principatum stylium, non frequenter ad majora munera, majoresque gradus promoveantur; Verùm admiratio effectus est imperitiæ; Ubi libet etenim literatorum duæ sunt classes, vel duo sunt in simul connexi ordines; Unus scilicet Magistratum; Iter verò Advocatorum; Ideoque ad Magistratum loca vacantia, ex alio Advocatorum ordine assumere oportet; Secus verò est in Curia, dum quatuor sunt literatorum, & togatorum ordines; Primus nempe Magistratum majorum; Secundus Prælatorum, qui cum magna propriæ æris erogatione in Nuntiaturis, & Guberniis, aliisque Sedibus Apostolicæ muneribus, ac servitio diu versantur, ac merentur; Tertius est Advocatorum, & Procuratorum; Et quartus Aulicorum, ac aliorum ut supra; Ideoque post primum ordinem, succedit secundus Prælatorum, qui digniorem occupat locum, & per consequens non mirum, si rara est assumptio, vel evocatio eorum qui sunt in tertio & quarto; Ac etiam, quia electivi Principatus qualitas frequenter operatur verificationem parabola Evangelii, quod sint novissimi primi, & primi novissimi.

DISC. XLVII.

De Notariis; Et remissivè de aliis pertinentibus ad Curiam Romanam.

SUMMARIUM

- 1 De duplici specie Notariorum privatorum, & illorum qui habeant in officium.
- 2 Quod Notariorum privatorum usus in Curia sit modicus.
- 3 De substitutis, & adjutoribus Notariorum habentium officium.
- 4 Quod isti substituti debeant esse Notarii, & quid si non sint tales.
- 5 An Sacra Congregationes adhibeant Notarium.
- 6 De Notariis Rota.

- 7 De Notariis Camera.
- 8 De illis Auditoris Camera.
- 9 De Notariis Vicariis & Gubernatoris & præsertim de Notario criminali Gubernatoris.
- 10 De Capitolinis.
- 11 De Notario Archivi, & de aliis singularibus aliquorum Tribunalium.
- 12 De recusationibus Notariorum, vel questionibus super pertinentia causarum.
- 13 An Procuratores, & Sollicitatores teneantur de proprio ad solutionem emolumentorum pro actibus & expeditionibus.
- 14 Emolumenta Notariorum habent suas taxas.
- 15 De fide quæ præstatur Notariis Curie præsertim Auditoris Camera.
- 16 De huiusmodi officiorum venalitate, vacatione, & pertinentia.
- 17 De materiis criminalibus, & canonizationibus Sanctorum quare non agatur.
- 18 De aliis generalitatibus ad materiam Curie ceremonialis, vel aulicæ, seu polyticæ.

ULtrà illos ad eò qualificatos Curie Notarios, qui in Prælatuæ statu constituti sunt, Protonotarii Apostolici de numero participantium appellati, numeratum Collegium constituentes; ut supra in rubrica plurium Collegiorum habetur; Magnus in Curia ad eò numerus Notariorum, qui sunt de duplici specie; Una siquidem est eorum, qui privato jure ob aliquam peritiam in conficiendis instrumentis, huic professioni se addicunt, obtinentes privilegium, seu facultatem à Collegio scriptorum Archivi, sive ab altero Protonotario, aut ab aliis, quibus talis facultas competat, nullum habentes officium publicum; Altera verò est species illorum Notariorum, qui habeant notarium in officium publicum, à Principe collatum, sive ab eo, ad quem respectivè istud jus pertineat, cum utraque facultate, illa scilicet, quam habent quoque superius recensiti Notarii privati, se rogandi de instrumentis super actibus voluntariis, inter vivos, vel per ultimam voluntatem; Et alteram actorum judicialium in causis contentiosis, quæ agantur coram illis Judicibus, & Tribunalibus, quorum ipsi sint Notarii.

Quamvis autem de prima specie, magnus in Curia numerus adfit, in habitu, seu in potentia; Rarus tamen in actu, seu in exercitio eorum usus ad eò ut non dignoscantur illi privati Notarii, qui ob eorum peritiam, probatamque fidem, per quandam speciem apothecæ, publicè expositi sint, magna que conficiant protocolla, atque notabiles parent divitias, ex sola ratione huius privati exercitii, privatæque peritiæ, ut in aliis, præsertim Italiæ Civitatibus, praxis docet, quoniam ob majorem diligentiam, & securitatem in conservatione scripturarum publicorum officiorum venalium, Partes huiusmodi Notariis publicis utuntur; Ideoque privatorum Notariorum exercitium versatur, in munere substituti, vel adjutoris Notariorum publicorum, habentium notarium in officium, juxta distributa munera, quod scilicet; Alii sunt substituti in judicialibus actibus singulorum Judicum illius Tribunalis; Et alii sunt substituti, qui instrumentantes appellantur, utpotè à Notario in capite huic muneri particulariter præpositi ad effectum se rogandi de instrumentis publicis, quæ fiant su-

per actibus voluntariis, inter vivos, vel per ultimam voluntatem.

Siquidem de juris censura, & ad præscriptum 4 Constitutionum Apostolicarum quamvis illi substituti, vel adjutores, qui juvenes quoque appellari solent, instrumenta conficiant, sub nomine ipsius Notarii in capite eorum Domini, qui subscribit instrumenta, quæ in publicam formam reassumantur Partibus tradenda; Adhuc Notarii quoque esse debent.

Benè verum, quod quandoque casus præbet, ut ipsi non sint tales, & tamen adhuc ex quadam consuetudine substituentur actus per eos confecti seu rogati, per ipsos principales Notarios, qui malè quidem agunt, atque punitione forsitan digni sunt, non observando leges de super præscriptas; Sed id præjudicare non debet Partibus, quæ bona fide, ad id assumant illum, quem in publico, ac probato officio, vident publicè expositum, sive huic muneri præpositum; Durum etenim, atque impracticabile esset, ut qui contractus, vel testamenta ordinare velint, in quolibet actu perquirere debeant notarium juvenis substituti, dum non istius sed publici Notarii principalis habentis officium à Principe, fidem sequuntur, sub qua elusi remanerent; Tunc etenim partibus imputandum est, cur non benè inquisierint facultates illius, quem elegerunt pro illo actu conficiendo, quando elegerint personam privatam, seu Notarium de prima specie, ut supra, secus autem isto casu in quo publicam fidem sequi dicuntur, ut alibi particulariter advertitur. *tit. de judiciis disc. 27. & tit. de testamen. disc. 33. & latius in supplemento.*

Plures autem sunt huiusmodi publicorum Notariorum species, juxta diversas species Tribunalium, & Magistratum; Si quidem Sacræ Congregationes Cardinalium, cum explicant negotia in forma extrajudiciali, certos non habent Notarios; Et quando contingat, ut illum adhibere oporteat, quia sic alicujus negotii qualitas exigat, tunc assumi solet aliquis ex publicis Notariis, pro libito, atque pro frequentiori praxi assumi solet ille Notarius Auditoris Camera, vel alterius Tribun. quo tunc utatur Palatium, Apostolicum pro libito Aapæ regnantis, vel ejus palatii Præfecti, cum pariter non adfit officium fixum; Præ cæteris autem S. Congregatio Rituum habere solet Notarium, quem ita pariter pro libito assumit quoniam Tribunalia contentiosa tantum, habent fixa, & determinata officia Notariorum.

Tribunal itaque Rotæ, ex quadam antiqua consuetudine, ita fortè in illis temporibus causarum multiplicitate exigente, magnum habebat numerum, quadraginta, & octo Notariorum, qui inter Auditores distributi erant, quod scilicet quilibet Auditor quatuor Notarios sub se haberet, pro causis coram eo pendentibus; Hodie verò, ob modernam reformationem sub Clemente X. regnante sequutam, sunt quatuor tantum, quorum singuli, pro numero, & qualitate causarum, necessarios, vel oportunos habent Adjutores, vel substitutos, cum distributa pertinentia provisionis huiusmodi quatuor officiorum; Quorum unum est ad provisionem Papæ; Alterum Vicecancellarii, Tertium Camerarii; Et quartum ipsius Rotæ, distributa participatione emolumentorum, juxta quemdam præcticum stylum.

Alte-

Alterum Tribunal Camerae, habebat novem Notarios, ad quos pertinebat, non solum agere negotia, seu acta judicialia dicti Tribunalis, & Theaurarii, sed etiam rogare instrumenta appaltuum, aliorumque negotiorum; Ac etiam super consensibus, quae praesententur, vel super obligationibus, quae fiant in Dataria, & Cancellaria Apostolica, super resignationibus, vel permutationibus, aut super pensionibus & aliis; Sed pariter ex eadem moderna reformatione, redacti sunt ad quatuor, quibus Secretariorum nomen tribuitur; Istique explicant omnia, quae explicabant dicti novem, cum perceptione omnium emolumentorum, competentem pariter numerum habentes substitutorum, seu adjutorum, & operariorum.

Continuat adhuc in antiquo solito statu, Collegium Notariorum Auditoris Camerae constitutum ex decem Notariis, quorum singuli, quoddam collegium substitutorum, & adjutorum, constituere videntur, habendo scilicet quatuor substitutos, pro actibus judicialibus, unum pro quolibet ex tribus Locumtenentibus; civilibus, & criminali respective, & unum pro ipsomet Auditore, nec non unum, vel plures pro rogibus actuum voluntarium, inter vivos, vel per ultimam voluntatem; Ultra alios operarios, pro extractibus, vel registris citationum, aliisque inferioribus officiis, ita ad formam bene regulati Collegii, vel Conventus, vivendo in eadem domo, & in eadem mensa ipsius Notarii.

Vicarii Tribunal, cum eodem ordine, plurimum substitutorum, & instrumentantium ut supra, quatuor habet Notarios; Gubernator autem tres habet Notarios distinctos, duos scilicet in civilibus, pro illis causis, quas ejus Locumtenens civilis cognoscit, & quandoque (sed nimirum raro) per se ipsum, & unum criminalem, qui magnum habet substitutorum & adjutorum numerum: Prudensque consilium est, ut haec negotia criminalia, per unius bene versati Notarii organum transeant, cum ita pro publica quiete melius regantur; Atque in isto Notario potissimum, verificari videtur solitum dictum, quod Notarius est oculus Judicis, dum Gubernatores pro tempore, praesertim circa initia suscepti gubernii, priusquam bene instruantur, magnum lumen, ac directionem ab isto Notario tanquam versato, ac bene experto pro frequentiori praxi recipere solent.

Forus Capitolinus magnum habet numerum Notariorum civilium, qui per singulas Urbis regiones distributi sunt, cum alia distributione inter ejusdem fori Judices, quoniam; Alii sunt Notarii, primi; Et alii secundi Collateralis; Unus particularis Capitanei appellationum; Et alter maleficatorum, qui Notarius criminalis appellatur.

Plures item adsunt Notarii singulares, pro diversitate Judicium; Ille scilicet qui deputatur per Collegium scriptorum Archivii, a quo nomen desumit, ideoque Notarius Archivii appellatur, qui est Notarius generalis Iudicium Commissariorum, id est illarum causarum curialium, vel extra, quae per commissiones directas singulis Praelatis aguntur.

Alter est Notarius Aedilium, seu Magistrorum viarum; Alter consulum agriculturae; Alter Ripetae; Alter Ripae; Et alter deputatus a Vicario, pro causis, & negotiis Hebraeorum, propè

Card. de Luca. Relatio Curia Romana.

ipforum ghetum, cum plerisque aliis, pro aliquibus Iudicibus, vel negotiis particularibus.

Inter istos Notarios respective, etiam inter illos ejusdem Tribunalis, & praesertim illius Auditoris Camerae, quaestiones habentur, etiam in plena Signatura disputari solita, super pertinentia causarum, ratione praeventiois, ac etiam super recusatione, quae de Notario praeventiente fiat per unam Partium, ex capite suspicionis, unde propterea pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis; Quandoque recusatio rejici solet; Quandoque simpliciter admitti; Et quandoque negotium remitti Mensario, qui est ille Notarius, qui in eo mense per turnum facit figuram Praefecti, seu Capitis Collegii Notariorum illius Tribunalis; Et quandoque deputatur alter Notarius, qui conficiat acta, commo- dum autem emolumentorum sit illius Notarii recusati, qui causam legitime praeventit, ne in libito unius Partium sit, colludendo cum altero Notario, tollere jus illi, cui jam quaesitum est,

Audiri etiam solent quaestiones, inter Notarios, & Procuratores, vel sollicitatores, an scilicet, & quando isti teneantur pro principalibus, & praesertim pro absentibus ad solutionem emolumentorum, pro expeditionibus, magis vero pro regestris, vel extractibus, in quibus quaestiones cadere solent, cum pro causarum qualitate, notabiles summas importent; hujusmodi autem quaestionum decisio, non de facili certam habet regulam generalem, cum pendeat a singulorum casuum circumstantiis, & a stylo currenti, qui per reformationes, vel novas provisiones variari solet.

Omnium vero emolumentorum taxa, distincte praefinita habetur in Constitutionibus Pii IV. & Pauli V. emanatis super reformatione Tribunalium, aliisque decretis, & provisionibus, adeo ut desit occasio extorsionum.

Super hujusmodi autem Notariorum fide, aliquid insinuantur in sede iudiciorum, agendo de Notario in genere; Ac etiam de fide instrumentorum, & de sententia; tit. de iudic. disc. §. 27. & 36. Nec non supra agendo praesertim de Tribunali Auditoris Camerae, supra disc. 3. insinuantur magna fides, quae de Notariis habetur per Iudices, subscribendo multas paginas in albo; Et tamen praxis docet fidei observantiam, neque de facili ejus violationes audiuntur.

Omnia ista officia sunt venalia, sed diversae naturae, vel pertinentiae; Quoniam, Alia sunt vacabilia seu vitalitia, ad dispositionem Papae, unde propterea venduntur per organum Datariae; eaque sunt personalia seu vacabilia; Alia pariter vacabilia, pertinentia ad alios Magistratus; Et Capitolina pertinent ad aerarium seu Cameram populi, sed sub diversa natura, quod scilicet non sint vacabilia, sed transitoria ad haeredes; Et aliqua pertinent ad loca pia, ut praesertim est officium Notarii Criminalis Gubernatoris, quod pertinet ad pluries insinuatam Archiconfraternitatem Charitatis; Et alterum criminale Capitolii pertinet ad Archiconfraternitatem Annuntiatae; Atque aliqua officia hujusmodi emi solent per viros nobiles, pro sola ratione emolumentorum, cum jure illa transmittendi ad haeredes vel respective ad vitam tantum, unde propterea, per officii Dominum conceduntur alicui Notario approbato, per Magistratum, ad quem pertinet, in appal- tum,

tum, vel in administrationem ad annum, sive ad aliud praefinitum tempus; Ad instar eorum quae extra Curiam, ferè ubique, praesertim pro moribus Italiae, habentur de Cancellariis Gubernatorum, aliorumque officialium localium; Atque de his occasione particularium controversiarum agitur in sede regalium, ubi plura ad materiam hujusmodi Notariorum Urbis habentur. *tit. de Regal. disc. 7. cum plur. seqq. disc. 17. & 21 in aliis.*

Curiam forensis, alia quoque negotia percutiunt, quae in hac relatione, sub silentio remanent, ut potè extra propriam sphaeram, ideoque de iis agere non conceditur; Ut sunt, causae criminales, earumque processus, & condemnationes, tam veræ, quam contumaciales, cum distinctione processuum, unius scilicet informativi, seu offensivi, & alterius defensivi; Ac etiam super condemnationis executione & praxi, tam in personis, quam in bonis occasione eorum publicationis, vel mulctarum.

Ac etiam sunt processus, qui fiunt, super beatificationibus, & canonizationibus, vel cultu aliquorum fervorum Dei, ob martyrium pro fide, vel ob virtutes; Sed quoniam (ut praemissum est,) vel genium, vel aliorum generum causarum, & negotiorum occupationes, non permittunt hujusmodi negotiis vacare; Idcirco alii, qui in eis melius versati sint, reservatur supplemento, nisi eam majus otium, vel occasio permittat perficere in supplemento.

Prout sub silentio remanent ea, quae alias diversas, initio insinuat Curiae species percutiunt; Ceremonialem scilicet in cappellis, & in processionibus, & in equitationibus, aliisque pontificiis functionibus; Et praesertim in illis majoribus, magisque solemnibus Canonizationis Sanctorum; Coronationis Papae, & Imperatoris; Receptionis Regum, & Principum, vel eorum magis solemnium Oratorum obedientiae,

cum similibus; Ac etiam in iis, quae concernunt Curiam aulicam, super ordine scilicet Aulicorum; in servitio Papae, & Cardinalium, ac Oratorum, & Principum, seu Magnatum.

Aliaque Curiae species est politica, tam super negotiationibus, quae concernant utrumque principatum, ecclesiasticum, & temporalem, super modo tenendo cum Regibus, & Principibus, praesertim iis, qui sunt inter se inimici, vel æmuli pro conservatione illius neutralitatis, & æqualis benevolentiae, quam decet, ut summus Pontifex, tanquam communis pater habeat, atque ita magis opportunum sit instrumentum ad pacem ineundam, atque bellorum & inimicitarum compositionem; Quam etiam circa conservationem propriae existimationis, ut oportune incuti valeat ille timor, qui juxta nostrorum temporum magis corruptos mores, potius operativus esse solet, quam amor, seu stimulus religionis, ac pietatis.

Eandemque Curiam politicam respiciunt, factionariae divisiones Cardinalium; eorumque adhaesiones, & dependentiae cum Regibus, & Principibus tam super electione Pontificis, quam super aliis gravioribus negotiis; Sive super novis Cardinalium promotionibus, & praesertim ad commendationem Regum, & Principum; Aut super deputationibus Nuntiorum, & Legatorum ad ipsos Reges, & Principes cum similibus; Haec etenim, politicam potius, quam forensis Curiam percutiunt, extra sphaeram sunt viri forensis, qui in legibus, mereque judicialibus negotiis in Curia sit versatus; Et quando etiam facultas esset de his quoque forsitan non obscure agere; Adhuc tamen prudentiae leges prohibent; Ideoque alii, qui in his magis se versatos, atque peritos credunt, suppleant, cum haec, pro aliqua notitia Curiae forensis, de qua solum agere munus assumptum est, insinuasle videatur satis.

